BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
42 B
36

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

I. $\frac{1}{2}$.

Digitized by Google

[illegible] Google

NIC. CISNERI

JURECONSULTI, POLYHISTORIS, ORATORIS ET POETÆ CELEBERRIMI

Imperial. olim Cameræ Adſeſſoris, Conſiliarij Palatini

OPVSCVLA

Hiſtorica & Politico-Philologa

Tributa in

LIBROS IV.

Quorum Elenchum à Præfatione proxima pagella monſtrat.

Edita ſtudio & Opera

QUIRINI REUTERI D.

PROFESSORIS IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI.

Præfixit idem

D. NICOL. CISNERI VITAM.

Cum Indice Rerum & Verborum locupletiſſimo.

Bibl. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRTI,

In Bibliopolio JONÆ RHODII,

CIƆ IƆ C XI.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
GENEROSISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO
FRIDERICO V.

Comiti Palatino ad Rhenum,
Duci Bavariæ,
S. R. I. Archidapifero & Electori Nato,

Domino Gratioſiſſimo
S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VEtus eſt illa querela, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, eaq; à Sapientiſſimo Rege, (Salomonem dico) primum inſtituta: Faciendi libros multos non eſt finis: poſtea ſepius à magnis autoribus repetita; ſed hac inprimis æ-

Digitized by Google

tate frequens ac ſolennis, nec abs re quidem uſurpata: quâ nimis vera ſunt iſthæc vatum dicta:

Scribimus indocti doctiq; poëmata paſſim,
& —— Tenet inſatiabile multos

Scribendi Cacoethes. Hoc autem qui coërcendum exiſtimant, ij bene ſentire, prudenterq; judicare videntur. Cui enim bono tot examina librorum, ex innumerabilibus officinis agmine denſo quotannis, imò quotidie provolantia? quantum & iſta ſcripturiendi licentia vel libidine redundat in Rempublicam incommodorum? Ut ne tangam alia, ſanè juventutem hoc pacto cernimus à præſtantiſſimorum autorum, è quibus ceu limpidis fontibus haurienda fuerat eruditio ſolida & ſapientia vera, lectione multum abduci: contra verò ad quoſdam lutulentos rivulos, ſive lacunas putidas, ſub ſpecie novitatis gratæ, cum diſpendio gravi temporis & laboris, etiam nihil tale ſuſpicantem abripi, adeò ut ignoret poſtmodum neceſſaria, quia non neceſſariis antea temerè ſemet occupavit. At rectius ſtudiis rebuſque ſuis conſulent adoleſcentes φιλομαθεῖς, ſi florentem ætatem ac tempus, ἀνάλωμα πολυτελέστατον, operamque ſedulam impendant præclariſſimis quibuſque monumentis, antiquitatis primùm, eruditionis &

ſapientiæ

ſapientiæ gloria celebris, authenticę, & extra aleam iniquæ cenſuræ dudum poſitæ: poſt etiam ævi ſuperioris ac proximi ſcriptis, à viris autoritate & doctrina præſtantibus in lucem editis: adhibito tamen delectu, pro cuiuſque vitæ genere, & fine ſtudiorum: quàm ſi neotericis evolvendis ſe diu fatigent: quorum plerique ſcrinia veterum & antecesſorum compilare, vel quaſlibet male conceptas imaginationes ac ſententias, tanquã oracula, chartis illinere, & foras extrudere non verentur. Hanc ob cauſam arbitror, illos de Republ. literaria bene mereri, qui tum priſci, tum nuperi ſeculi, (*quo non aliud in omni genere ſcientiarum erudititiſſimorum hominum copia magis floruiſſe ſentio*, magnos huius opinionis duces ſecutus) ſcripta melioris notæ & uſus evidentis indagant, recognoſcunt, ab oblivione vindicant, & in aſpectum ſtudioſorum proferunt. Inprimis autem exiſtimo conſultum eſſe, ea luci reſtitui, quæ domi noſtræ quondam nata ſunt, ac de propriis rebus erudire nos poſſunt. Etenim ἄτοπον, præpoſterũ adeóque indignum fuerit, inquirere ſolicitè curioſéque in exterorum facta, dicta, monumenta: quæ verò geſta ſunt ædibus in noſtris, quæ à bonis viris in patria, intra parietes noſtros, olim ſcripta memoriæque prodita, vel

poſteritati relicta commendataque fuerunt, ea vilipendere, negligere, tenebris obruere. Unde talis ignorantia præteritorum conſequatur neceſſe eſt, in quali majores noſtri ſeculis anterioribus verſati ſunt, qui cum priſcorum Germanorum præclarè geſta nec ipſi annotarint; nec ſi quæ ab aliis ſcripta fuerunt, aſſervarint: in ſummam inſcientiam veri poſteros conjecerunt: cujus negligentiæ meritò à graviſſimis hiſtoricis adhuc accuſantur.

Equidem haud diffiteor, animum meum non rarò ſubiiſſe quandam admirationem, interdum etiam indignationem, quòd cum Illuſtriſſimi Principes Palatini ferè cuncti Clementiſſimos literarum & literatorum Mecœnates ſe præbuerint, ac multos viros doctos, omnium diſciplinarum peritos, ac in ſua quemque facultate excellentes habuerint liberaliter: ex iis tamen extiterint pauci, qui Patronos & res Palatinas pro meritis celebrare in animum induxerint, aut operam & ſtudium præcipuum ad patriam noſtram exornandam contulerint. Quò majorem laudem iis tribuendam cenſeo, qui cum non ſibi ſolis, ſed patriæ potiſſimum ſe natos, & huic officia ſumma debere intelligerent, ei pro viribus grates dignas rependere ſtuduerunt. In quorum cenſum magno ſuo merito venit, & omnino referendus

ferēdus eſt NICOLAUS CISNERUS Moſbachenſis, J. U. D. nec Jureconſultus ſolum, ſed & Hiſtoricus, Orator, Poëta, Philoſophus & Philologus ætate ſua Clariſſimus, propinquus & conſanguineus meus, qui dum vixit, docendo, ſcribendo, conſulendo, jus dicundo, de Palatina vel potius univerſa Republica optimè eſt meritus. Eius Opuſcula, quæ quidem invenire potui, luceq; digna putavi, ceu reliquias monumentorum ingenii illius, partim ſponte & amore nominis CISNERIANI, propinquitatiſq; iure, partim amicorū, & magnorū hîc & alibi virorum impulſu, nonnullo ſtudio ſubceſivis horis collegi, recognovi; & illuſtrata prælo typographico commiſi; quæ ſpero, bonis omnibus & amantibus patriæ, cumprimis ſtudioſis hiſtoriarum ac elegantiorum literarum, & grata & utilia futura: ſi quidem ita eſt, ut Poëta canit,

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Iſthæc CISNERI Miſcellanea, Princeps Generoſiſſime, Celſiſſimo tuo Nomini nūcupare & dicare viſum eſt his de cauſis, quas C. T. me probaturum confido. Primā indicabo hanc, Fuit D. NICOLAUS CISNERUS Civis Palatinus, in hac Archi-Palatina vel Heidelbergenſi Academia liberalibus artibus informatus, atque educatus, honoribuſque

ſcholaſticis

ſcholaſticis ornatus: poſtea docendi munere functus: in quo magna cum laude doctrinæ, virtutis & induſtriæ verſatus eſt, ita ut Scholæ, prout gratum diſcipulum decebat, ἀντιμισθίαν optima fide perſolviſſe iudicaretur; initio quidem humaniores literas ac Philoſophiã Moralem; inde Jus Civile profitendo, ſcriptisq́; doctiſſimis nomen celebre parando & tuendo, ac ipſam Academiam illuſtrando. Quibus de cauſis & olim Maioribus Tuis, Agnatisque primùm, Optimis & ſummis Principibus FRIDERICO II. atque OTHONI HENRICO Palatinis Electoribus; & poſtea Proavo Tuo FRIDERICO III. longè cariſſimus extitit: à quo etiam propter inſignes animi dotes, ingenium, ſcientiam, indefeſſum laborem, ſincerum ac dexterrimum judicium, & Anteceſſor in Jureconſultorum huius Univerſitatis facultate conſtitutus, & in Conſiliarium Curiæ Palatinæ cooptatus. tandem ad Ampliſs. Aſſeſſoris Imperatorij Tribunalis Spiræ munus eſt deſignatus: unde ab Avo Tuo LUDOVICO Electore, Principe Clementiſs. & doctorum amantiſſimo ad Intimi Conſiliarii & Proiudicis aulæ, necnon extraordinarii Profeſſoris praxeos Juris provinciam evocatus fuit: in qua diem extremũ clauſit. Cui igitur potius iſta CISNERI, qui

tot

tot Palatinis ut fidelis, ita iucundus & familiaris fuit, debeantur, quã Tibi, tantorũ Principum hęreditario ſucceſſori, Palatinorum Illuſtriſſimo Sideri, quodq; à ſeculo eoque amplius nulli contigit, Electori Nato; virtutum avitarum æmulo ſtrenuo, ſcientiarum, optimarum in hac ætate ſupra captum & opinionem bene perito, literarum amatori, doctorum fautori benigniſſimo?

Deinde Collectanea iſta propter materiæ ſive dignitatem, ſive varietatem T. C. ſemetipſa commendabunt. Hîc enim leges plurima ſcitu digniſſima, tum de Palatinis & Bavariæ Ducibus *priſcis, atavis, agnatis, propinquis tuis*: tum de *Principum Electorum origine, inſtitutione*, dignitate officioque: tum de *Imperij* Germanici Maieſtate, quam Pontifices Romani nefariè violarunt: maiores autem Tui præcipuè pro virili vindicarunt. Cum autem Deus O. M. T. Celſitudinem poſt immaturum nobis omnibus, patriæ, Reipubl. toti luctuoſiſſimumque obitum Patris tui FRIDERICI IV. Principis nondum ſatis laudati, in hæreditariam poſſeſſionem Electoralis ἀξιώματος & ditionis immiſerit; ac in iſta tenera adoleſcentia iam maximis animi dotibus, ingenio & memoria tanto Principi convenientiſſima, linguarum, Latinæ pariter &

ã v.

Gallicæ, tum etiam hiſtoriarum egregia cognitione: ſed inprimis vera & religioſa Pietate, quæ virtutum omnium baſis & caput, tam propitius exornarit: equidem opinatus ſum, huius libri lectionem ad aliquam rerum Palatinarum notitiam, & politicam prudentiam in adminiſtratione Reipublicæ, cujus Bono Natus es, vivis, & ex voto cunctorum bonorum, diu vives, nonnihil adiumenti, vel ſaltem oblectationis amœnæ allaturã eſſe.

Quod ſupereſt, Deum Regẽ Regũ ex intimo pectore rogo, ut C. T. eadẽ, qua hucuſq; ſemita deducat, ſua gratia, & omnibus animi corporiſque donis indies accumulet, ab omni malo cuſtodiat, & Eccleſiæ, Reipub. Chriſtianæ, noſtræque Palatinæ patriæ florentem & incolumem diutiſſime conſervet: quò paulò pòſt Electorales habenàs Bono publico capeſſas ac in extremam ſenectam teneas: denique præclariſſimam expectationem piorum cum gloria tua & ſalute Reipub. ſuperes.

Scrib. è muſæo Collegij Sapientiæ. XII. FebruarI. qua die ante annos LII. Magnanimo Principi OTHONI HENRICO Electori Palatino, Heroi vera conſtantique Pietate & in doctos munificentia clariſſimo, hìc defuncto ſucceſſit proavus Tuus

FRI-

FRIDERICUS III. Pius magno ſuo merito cognominatus, primus è Simerenſium Palatinorum faſtigium & inſignia dignitatis Electoralis adeptus: quod honoris decus Tibi tuæque proſapiæ ad ſeram uſque poſteritatem perenne, glorioſum ac feliciſſimum exopto, voveo, precor. Amen.

Anno Domini cIɔ Iɔ c XI.

Celſ. T.

addictiſſimus

QUIRINUS REUTERUS
S. Th. D. & Profeſſor in Acad. Heidelbergenſi.

Digitized by Google

ELENCHVS

TRACTATUUM HUIUS VOLUMINIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIB. I.

Oratio de OTHONE *III. Saxone Imp.* *p. 11.*
& Septemvirorum inſtituto, vel Electorum Princip. Germanorum origine. *p. 25.*
de FRIDERICO *II. Cæſare* *p. 73*
CONRADO *Suevo.* *p. 155.*
HENRICI *VII.* *p. 223.*
LUDOVICI *BAVARI Geſtis pro Imperij Majeſtate contra Pontifices Romanos.* *p. 256.*

LIB. II.

Oratio in obitum HERM. LUDOVICI *Palatini.* *p. 283.*
Memoriæ FRIDERICI *III.* PALAT. ELE.

Elct. *p.299.*
Mariæ Brandeburgicae
Herm. Ludovici
Christophori Palat. D.B.
Carmina, quibus inſerta plura in honorem eorundem, atque etiam
Ludovici Elect. Pal.
Iohannis Casimiri Pal. Adm. *p.315.*
Oratio D. Christophori Palatini. *p.323.*
Ad eundem Carmina. *p.332.*
Deſcriptio Nuptiarum D. Philippi *ab* Hanaw, *&c. &* Philippi *à* Leiningen, *&c. cum* Helena *&* Amalia *Palatinis, &c. Equeſtrium certaminum Nobilitatis, & hiſtor. Palatin.* 345.
De Hiſtoriæ utilitate, dignitate, neceſſitate, ac Ioh. Aventino: ad DD. Iohan. *&* Carol. *Palatinos.* *p.395.*
De Saxonib. Cattis, Priſcis Germanis: ac Alb. Kranzio. *p.418*
Germanis Hiſtoricis, & Opere D. Schardij. pag. *465.*

LIB. III.

Oratio de Iure, num opinione conſtet. Habita Heidel.

Heidelb. Anno 1580. p. 491.
De Iuris prudentiæ dignitate & Fr. Duareni operibus. p. 536.
Iurecoſſ. antiquis Romanis, & recentioribus: ac Iuris interpretatione & emendatione: judicijsq. p. 546.
De Ioh. Mylæo I.V.D. & Profeſſore Heidelb. Epiſtola ad Iacobum Micyllum p. 627.
Oratio ad Senat. Pariſienſ. pro vindicanda cæde Germani ſtudioſi. p. 648
de gradibus Iurisconſultorum. p. 661
de Legibus Orat. III. p. 672.
de præſtantia Ethices. p. 699,

LIB. IV.

Hymnus de Natali Chriſti, ad Dn. Wolfgangum Palatin. p. 725.
Declamatio de vocatione gentium. p. 743.
Idyllion, ac Oratio de Veris & Autumni collatione ad Dn. Fridericum El. Pal. p. 761
Carmina de triumpho Chriſti. p. 808
Ode ad Ioh. Albert. D. Megapolit. p. 811.
Querela Germaniæ. p. 814.
de Circumciſione Chriſti. p. 818.
de Creatione & alijs. p. 820.
Pſalm. 128. ad Philip à Gemingen. p. 837.
Epithalam. D. Chytræi. p. 848.

Arnoldi

Arnoldi Opſopæi. p.854.
Ciſneri. p.869.
Epiſtola ad Paulum F. & conſolatio Micylli. pag. 911.
Epiſtolæ ad Bucerum. p.921.
Philipp. Melanth. p.924.
R. Aſcham. p.928.
Alex. Pflug de hiſtoriæ lectione. p.936
Iac. Cujac. p.944
H. Donell. p.947.
Ciſneri confeſſio de Cœna Domini. p.960.
Epiſt. ad Chytr & Chytræi. p.962
Zach. Vrſini. p.973.
P. Victorium. p.977.
Ad Ioh. Poſthium. p.978.
Eraſm. Neuſteter. p.1005.
Rich. Hemel. p.1007.
C. Breunlin. p.1012.
Paſchaſ. Briſmani. p.1016.
Ciſneri Epitaphia Carmina. p.1025.

NICOL.

Google

Digitized by Google

VITÆ

NICOLAI

CISNERI V. CL.

Brevis deſcriptio per

D. QUIRINUM REUTERUM
IN ACADEMIA HEIDELB.
PROFESSOREM.

NAtus eſt NICOLAUS CISNERUS Anno à ſalutifera D.N. Jeſu Chriſti nativitate M D XXIX. XXIV. Martij, Moſbachij, familiâ vetuſtâ eaque honeſtiſſimâ. Fuit hæc urbs olim una ex Imperialib: at ante ſecula plura Imp. conſentiente, iuriſdictionis Principũ Palat. effecta: & quidẽ annis ab hinc ducentis aulæ ſedes OTTHONI, RUPERTI Romanorum Regis, Filio; (qui poſt mortem primogeniti Fratris LUDOVICI Barbati, licet

ceteris fratribus ætate, junior, Adminiſtrator Electoralis Palatinatus ob virtutes eſt conſtitutus uſq; ad maturam ætatem LUDOVICI Placidi, A. C. MCCCCXLII. itẽ OTTHONI II. F. Principi docto, & tum aliarum ſcientiarum tum Mathematicarum ſtudioſo cultori: unde hi Moſbacenſes Palatini ſunt cognominati; quorũ ſtirps cito deſiit: eò quòd OTTONI huic, & tribus fratribus ἀγάμοις, ac his quidem Eccleſiaſticis eſſe luberet, RUPERTUS enim Epiſcopus Ratisponenſis; Albertus, Argentinenſis item Epiſcopus, Johannes, Auguſtanus prælatus eſſe maluit, quàm proſapiam in Germania Nobiliſſimam propagare: prout eius ſeculi mores aut potius ſuperſtiſtitiones ferebant.

Jam autem eſt ea civitas una è præcipuis Electoralis Palatinatus municipiis, ſive præfecturis, & caput vicini territorij: à Nicro vel Neccaro flumine celeberrimo diſtat uno lapide; loco ſat fertili; atq; irrigua & amœna valle ſita: Franconiæ montibus, pleriſq; viniferis, penè cincta: Diœceſeos Herbipolenſis in Eccleſiaſticis olim; habuit Eccleſiam collegiatã, ut vocant, ſive congregationem preſbyterorũ plurium: Templum FRIDERICI II. Imperatoris ævo magnificè extructum, & munificè tum ab aliis, tum ab OTTONIBUS Pala

latinis Moſbachenſibus eſt locupletatum.

In ea civitate jam ab aliquot ſeculis eminuit Ciſneriana familia, quæ præcipuas etiam & conſulares dignitates geſſit. Ac ut alios maiores omittam, avus NICOLAI JOANNES, vir ordinis Senatorij, defunctus Ann. 1494. in extrema ſenecta, præter laudem magnam, reliquit ex ſe natos quatuor filios, JODOCUM, ANDREAM, JOHANNEM, WILHELMUM. JODOCUS genuit hunc NICOLAUM J. U. D. de quo agimus, Profeſs. & Conſil. Elector. Palatin. & PAULUM J. U. L. itidem profeſſorem in Academia Heidelbergenſi, & in Curia Palatina Advocatum atque Conſiliarium: (qui poſt ſe reliquit filios *duos*: Joh. Cōradū, in Neuhuſiano gymnaſio ſtudioſum, ſed triſti fato dum aquā è circumfluo ſtagno haurit, ſummerſum: alterum Georgium, Duc. Pomeran. Stetini Secretarium & quæſtorem:) ac JODOCUM civem & Senatorem Mosbacenſem: quorum filij iam defuncti, nepotes autem ex filiabus ſuperſtites ſunt, ut & neptes honoratis viris elocatæ. Alter filius ANDREAS quatuor itidem filios habuit, & ſobolē numeroſam. Ex ANDREAE F. ANDREA natus eſt JONAS Conſul & Senator Heidelbergæ; cuius ſoror, Cunegundis nomine, doctiſſimo viro D. RICHARDO

Hemelio, Illuſt. Pædagogei Heidelbergenſis Rectori nupta fuit. Tertius filius JOHANNES, avus meus maternus, copioſę quoq; prolis parens extitit, quam longum ſit enumerare. Quartus Wilhelmus, primus Evangelii reſtituti præco & paſtor in oppido Lorbach; ubi luculenta arx ab Æmylia ſive Amalia vidua FRIDERICI III. PII. &c. plures annos habitata; altero lapide à Mosbachio: & ipſe fœcundus, præter alios nepotem ſuperſtitem habet Chriſtophorum Heimbergerum, Senatorem Wormacienſem. Sed omiſſa Genealogia, ad NICOLAUM redeo. Is à parentibus & patruis inde à pueritia bonis in ſchola patria literis imbutus, & in omni virtutum genere educatus, cum ingenii & indolis præclaræ ſpecimen egregium edidiſſet, Heidelbergam miſſus eſt, ubi primum in Gymnaſio Nicrino, (quod ab alluente Nicro ſic etiamnum vocant, & tum illuſtre pædagogeum urbis erat; antequam hodiernum inſtitutũ fuit: quod à FRIDERICO III. factum. A. LXVI.) operã ſtudiis ætati convenientibus dedit; ex qua quidem ſchola non paucos doctos viros prodiiſſe ſępè dicebat; poſt anno 1544. in Collegium Dionyſianum, (quod nunc ab Illuſtriſs. & fortiſs. Duce, JOH. CASIMIRO, qui ex fundamentis aliud ædificavit ſplendidiſſimè, Anno

M.D.

M.D.LXXXVIII. Casimirianum dicitur) aſcius, inſignes tum in literis humaniorib. inprimis Latinis & Græcis, atq; Poëſi, tum in Philoſophia progreſſus fecit, adeo ut primam lauream an. M. D. XLV. XVI. Junii, poſt ann. XLVII. VI. Julii Philoſophici Doctoratus, ſive, ut vulgò, Magiſterii inſignia cõſequeretur, adeoq; in ſenatum Philoſophicæ Facultatis cooptaretur. Atq; tunc quidem, ad docendũ alios animum adiecit, omnemq; ſuam operã & ingenii vires ad inſtituendos ſtudioſos contulit; Ariſtoteleam Philoſophiam, & alias, etiam Mathematicas diſciplinas explanando, multa legendo ſcribendóq;, clarum ſibi nomen paravit. Poſt profectus eſt Argentoratũ, & ſtudiorum, & aliorum doctorum virorũ notitiæ, uſuſq; maioris cõparandi cauſa; ſed abſenti tamen locus in Academia patria nihilominus integer ad reditũ ſervatus. Illic Martinus Bucerus doctiſſimus & pacis ſtudioſiſſimus Theologus Ciſnerum humaniſſimè complexus eſt, ut qui ipſi junctus affinitatis quoq; vinculo eſſet: (Nam Buceri coniux, Mosbacenſis, & Ciſneri aviæ ex ſorore neptis erat) eiq; locum apud ſe ſtudiis aptiſſimum, & à domeſticis negotiis alienum, cum ſumma teſtificatione amoris conceſſit. Nec Bucero ſolùm, ſed & Petro Marty-

RE; PAULO FAGIO, JOHAN. STVRMIO, cæteriſq; luminibus Argentinenſis Reipub.familiariſſimè eſt uſus Ciſnerus: & illorũ in ſe benevolentiam & virtutes ſæpius prædicavit; ac ſacrarum quoq; literarum, & puræ religionis cognitionem ex ore illorum hauſit: de quo ſibi plurimum eſt gratulatus. Ad amicum eo tempore ſic ſcripſit: *Argentinæ religio adhuc integra eſt, neq; perditum illud commentum* (Interim vulgò dictum) *promulgatum. Legatos ad Cæſarem miſit Senatus, qui peterent, ut recepto teterrimo monſtro in Collegiatis templis; reliqua puræ verbi Dei prædicationi & vero Sacramentorum uſui conſervarentur.* Hæc tum Cisnerus.

Veruntamen paulò pòſt diſcedente M. BUCERO in Angliam, ab amicis religioni puriori faventibus ad docendum Heidelbergam revocatus, & ab Illuſtriſſimo Principe Electore FRIDERICO II. ſtipendio liberali dotatus eſt. Ac cum veritatis, literarum, & inprimis PHILIPPI MELANTHONIS, utpote civis Palatini, Germaniæq; Phœnicis, deſiderio flagraret, abiit hinc Wittebergam: ubi quanto ſit PHILIPPUS illum amore complexus, oſtendunt Epiſtolæ & Carmina, quorum aliqua nunc in lucem proferimus.

Witteberga rediit huc anno LII. & de voluntate FRIDERICI Principis Electoris primus Ethices

Ethices Profeſſor publicus, extra ordinem, & pręter morem antiquum maiori ſalario, quàm alii Philoſophiæ doctores, conſtitutus, interpretando Græca Ariſtotelis ad Nicomachũ Ethica, & Ciceronis de finib. libros, expectationi ac muneri ſuo pręclarè ſatisfecit: in quo perſtitit, uſq; dum ſæva peſtis Anno ſequente LIII. Scholã diſſipavit. Itaq; tũ agmine multorum diſcipulorum nobilium (in queis JOHANNES LANDSCHAD à Steinach, poſt Aulæ Electoralis Marſchallus, & Mosbachẽſis præfectus; alii atq; etiã JULIUS & ANTONIUS GEUDERI, patritij Noribergẽſes) tãtũ nõ oneratus (ipſius CISNERI verbis utor) in Galliam poſt in Italiam ſe contulit; ac in iſtis regionibus amplius quadriennio commoratus, Juri Civili, & præſtantiſſimis JCtis operam dedit, & in Academia Piſana Doctor renuntiatus; nec eius ſolum ſcientiæ, ſed elegantium etiam literarum Profeſſoribus, PETRO VICTORIO, FR. ROBORTELLO, ceteriſq; clariſſimis Italis, cariſſimus, imò admirationi fuit: Biturigibus autem inprimis. FRANCISCO DUARENO, HUGONE DONELLO, reliquiſque JCtis familiariter uſus. Vixit etiam Andibus, & Pictavii; Rupellam Santonum portum adiit. Bibliothecas in illis regionibus præcipuas inquiſivit diligenter, ita

jubente & petente Illuſtriſſimo Electore OTTONE HENRICO Palatino, qui libris raris antiquitatisque venerandæ Palatinam Bibliothecam inſtructurus, nulli ſumptui, nulli labori pepercit: quo gloriã immortalem & ſibi, & Bibliothecæ Palatinæ peperit.

Anno M D LIX. reverſus è Gallia CISNERUS J.U.D. & multiplice ac exquiſita ſciẽtia auctus, Heidelbergenſis Academiæ Profeſſor Pandectarum, ſimul Electoris Palatini FRIDERICI III. Conſiliarius eſt deſignatus: nec multò pòſt FRANCISCI BALDUINI ſucceſſor, & juris Civilis anteceſſor à proceribus Academiæ, ob præclaram docendi facultatem, induſtriam & promtitudinem, ac integritatem vitæ conſtitutus.

Duxit ſub id tempus, anno nimirum LXII. Coniugem ANNAM, filiam HARTMANNI Hartmanni ab Eppingen, J.U.D. quondam Imperialis Cameræ Aſſeſſoris, poſt Conciliarij & Cancellarii FRIDERICI II. Electoris Palat. &c. Iſtum *Hartmannum* Solonis Palatini cognomine noſtrates indigitarunt, ob Juris ſcientiam, conſilij præſtantiam, Juſtitiæ tutelam, agendi dexteritatem: quibus virtutibus adiunxit veræ religionis ſtudium & aſſertionem; ut Epitaphium eius oſtendit: in quo Vir in rebus agẽdis animi & Cõſilij præſtantia

ſtantia conſpicuus, veritatis Juſtitiæq; aſſertor ſtrenuus appellatur. In Annalibus etiam laudatur, quòd artes & literas elegãtiores Academiæ, Eccleſiis Palatinis Evangelij doctrinam reſtituerit; ut qui totus in id incubuit, ut à Papatus ſordibus eæ repurgarẽtur. Obiit V. Non. Quintil. Annó Chriſti M. D. XLVII. eo quoque nomine felicior habitus, quod ſimilem ſibi filiũ reliquit *Hartmannum*, & ipsũ J.U.D. Imp. Cam. Aſſeſſorem, poſt Trium Electorum Palatinorum Conſiliarium, Inclyti Conſiſtorii Elect. Palatini Præſidem, ſive Judicem aulicum, ac Heidelbergenſis Diœceſeos Præfectum, affinem CISNERO multis nominib. cõiunctiſſimũ. At matrimoniũ iſtud fuit orbũ liberis: unde poſtea CISNERI hęreditatem nepotes ex fratribus adierunt.

Rectoratum Academiæ geſſit ann. LXIII; aliaſque dignitates cum commodo Scholæ: cui quidem per octennium ſplendoris & laudis plurimum attulit: è qua diſceſſit Anno LXVII. in ampliſſimum Imperatorij iudicij Collegium & Cameræ Spirenſis Adſeſſorem cooptatus. Itaque Sereniſſimi Principis Electoris FRIDERICI III. permiſſu, imò voluntate, ut qui illum ad eam provinciam nominaſſet, Spiram ſe recepit, ut exercitationi Juris in ſummo tribunali ſe dederet, &

ẽ v,

patriæ maiori uſui eſſet. In ea ſtatione permanſit annos XIV. omnium ordinum ſumma gratia & approbatione: & ſummi illius tribunalis honore & emolumento: iuſtitiæ & æquitatis antiſtes integerrimus: hiſtoriæ ſimul & Muſarum cultor eximius. Nā ibi quicquid ab ordinariis laboribus vacui ſpacii habuit, legendo, ſcribendo, varios autores evolvendo & edendo conſumſit, omne tempus ſe perdidiſſe ratus, quod libris non impendiſſet. Collegis Aſſeſſoribus, & nominatim Reinhardo à Sikingen: Melchiori à Feilſch: Henrico Ramel; Renato à Duyn: Reinh. ab Oldenhuſen: Jona Weidenkopf, Joh. wageſſer, Theodoro Appiano: ceteriſque valde carus & acceptus fuit, quos inter D. *Iohann. Hartlieb cognomento VValſporn*; Argētinēſis Reipubl. Cōſiliarius fideliſſimus, & Ciſnero familiariſſimus, adhuc vivit, & de ipſo rebuſq; eius teſtificari poteſt. Ac illi quidem Ciſnerum lubenter & cupidè ſecum Spiræ retinuiſſent, cuius ſapientiam, æquitatem, ἀγχίνοιαν, integritatem multo tempore cognoviſſent: ſed eum Anno M D X X C. Illuſtriſſimus & optimus Princeps LUDOVICUS Elector Palat. Heidelbergam revocavit, ut eius conſiliis, quæ Pater Fridericus III. ſalutaria fuiſſe fuerat expertus, in Republ. patria gubernanda commodius uteretur:

tur: eiq; tum Curiæ Palatinæ Iudicis Vicarij tum extraordinarii quoque Profeſſoris Juris in Academia provinciam duplicem demandavit: Utramque præclarè geſſit, quoad vires corporis ſinebant. Valetudine enim annis duobus inſequentibus afflicta fuit: cumque paralyſis acceſſiſſet tandem, extremum diem clauſit Heidelbergæ, anno M D XXCIII. VI. Martii, intra quintam & ſextam Veſpertinã, qua eadem die, Menſe & anno Doctor *Zacharias Urſinus* Theologus celeberrimus, & illi Wittebergæ ſtudiorum ſocius, Neuſtadii expiraſſe fertur.

Lubet hîc inſerere Magnif. & tum Illuſtriſſimi Rectoris Academiæ programma publicè affixum, quo ad iuſta Ciſnero perſolvẽda ſubditos invitavit.

FRID.

FRIDERICUS DEI GRATIA HÆRES NORWEGIÆ, DUX SCHLESUICI ET HOLSATIÆ, &c.

Academiæ Heidelbergenſis Rector.

Obijt heri circiter 6. Veſpertinam diem ſuum, collectus nimirum in ſanctiſſimam & beatiſſimam cæleſtis paradiſi Academiam, Magnificus & Conſultiſſimus vir, D. Nicolaus Ciſnerus, *I.V.D. qui & olim in inclytâ hac Academiâ, maximâ cum laude docuit publicè, & poſtea in ſummo Cameræ Imperialis judicio inter Aſſeſſores eximium & præcipuum quendam locum ſingulari cum dignitate per multos annos obtinuit. Et inde rurſus ex ſententiâ Illuſtriſſimi Electoris Palatini Domini noſtri clementiſſimi ante triennium hûc revocatus, inter ceteras plurimas easq; maximas & difficilimas occupationes iterum Academiæ operam egregiam fideliter & feliciter docendo navavit, donec tandem morbi graviſſimi impetu fractus poſtmodum & Rempub. & Academiam & deniq; jam vitam hujus mundi à*

Deo

Deo ipſo ἐργοδιώτῃ evocatus reliquit, Fiet huic ſummo & venerabilis ſemper memoriæ Viro, omni eruditionis laude, omni virtutis, integritatis, candoris, judicij, conſilij & dexteritatis atque etiam felicitatis gloria, quam admirabili cum gravitate & autoritate nec minori cum emolumento publico geſſit ac tutatus eſt, cumulatiſſimè ornato atque aucto, ſi et, inquimus, ei funus hodie ad horam quartam. Cujus honor ſolus eſt, in quo tum officium pietatis tanto nomini pro maximis laboribus & meritis extremum præſtare: tùm etiam deſiderij erga ipſum, & ſimul animi noſtri erga alios ejus ſimiles, quicunq́ ſunt in vitâ ſuperſtites, indicium facere queamus. Quare hortamur omnes, non tantùm Iuris Anteceſſores & ſtudioſos, qui hoc lumen ſuum ingens ultrò agnoſcũt & venerantur, ſed & cæteros Iurisdictioni noſtræ ſubditos, apud quos doctrina, virtus & ſapientia in honore eſt, ut dicto tempore ante ædes defuncti ad comitandum officioſè & ornandum funus conveniãt, & ſimul divinæ Majeſtatis ac potentiæ vim, omnẽ gloriam atq́ virtutem humanã ſub peccato & morte concludentis, & viciſſim ineffabilis miſericordiæ atque bonitatis abundantiam & præeminentiam ex profundiſſimo interitu credentes omnes revocantis & in ſtatum multo glorioſiorem vindicantis, piè expendant, & pro Republicâ, cui Deus non obſcurè minitatur, cùm tam grandes ac fortes columnas ei ſubducit, vota religioſè faciant. PP. VII. Martij. Anno Saluatoris. 1583.

Sepultum autem eſt illius corpus in choro templi ad Spiritum S. juxta conjugis, paucis ante Menſibus defunctæ, ſocerique Hartmanni *monumentum. V. CL.* Juſtus Reuberus, *hoc illi Epitaphium in pariete adſcribi curavit:*

PERPETUÆ MEMORIÆ NICOLAI CISNERI MOSBACENSIS J.C. SUA ÆTATE CLARISSIMI, QUI PRIMUM HEIDELBERGÆ MAGNA CUM LAUDE DOCUIT: DEIN SPIRÆ ADSESSOR, TANDEMQUE IN SUPREMO PALATINATUS JUDICIO PROJUDEX CUM OMNI ADMIRATIONE JUS DIXIT; HÆREDES GRATI, CURANTE JUSTO REUBERO JURECONSULTO POSUERUNT.

VIXIT ANNOS LIII. MENS. XI. DIES VI. OBIIT PRID. NON. MARTII, POST ANNAM HARTMANNAM CONJUGEM MENS. IV. DIES XX. ET CUM EA HOC SEPULCHRUM SIBI COMMUNE ESSE VOLUIT.

Hæc

Hæc de curriculo vitæ Ciſneri Viri multiplici & exquiſita omnium pene literarum ſcientia præſtantis, φιλοπόνου, & indefeſſi laboris & induſtriæ, ſummæque virtutis & ſinceritatis, dixiſſe ſufficiat. Ingenij monumenta lubens recitarem, ſi ad manus meas, omnia perveniſſent; Præter enim Opuſcula iſta, nunc à me divulgata, ſcripſit plurima, tum in Iure, tum in hiſtoricis, tum in humanioribus diſciplinis: uti Commentaria in Ethica Ariſtotelis: de ratione exercendi ſtyli ad imitationem veterum, inprimis Ciceronis, libros. IV. in quorum primo de epiſtolis ad genus deliberativum pertinentibus egit: in ſecundo de iis, quæ ſub laudatione continentur: in tertio generis judicialis materias tractavit: quartum attribuit mixtis: ſicut ipſe ad amicum ſcripſit. Sed deplorandum hîc eſt fatum bibliothecæ Cisneri, quam reliquit inſtructiſſimam, & manuſcriptis refertiſſimam. Accidit ei, quod de Ariſtotelica referunt autores vetuſti: quæ cum ad hæredes Theophraſti, diſcipuli Ariſtotelis, homines ἀπαιδεύτους, nec tanti theſauri gnaros, vel dignos æſtimatores perveniſſet, carie ſituq́; periiſſet, niſi Sylla Romanus, captis Athonis, Apellicontis bibliothecam, in qua latuerunt Ariſtotelis & Theophraſti monumenta, magno pretio redemiſſet: eaq́; doctis Grammaticis & Philoſophis, recenſenda commendaſſet. Sic jacuit & Ciſneriana plures annos abdita, gurguſtio humido recluſa, ſqualiori, putredini, tineis & blattis obnoxia:

xia: poſt longè diſtracta, venit ære, nonnullâ ſui parte, in poteſtatem CL. & Conſultiſs. V. Dn. PHILIPPI HOFFMANNI *I.V.D. & Profeſſoris in Inclyta hac Academia, collegæ honorandi, qui pro ſua humanitate mecum aliquam farraginem chartarum Cisneri communicavit: ſed adeò confuſarum, mutilarum, fœdatarum, ut opiner minori labore & moleſtia Maronem olim è quisquiliis Ennij (ſicut ajebat) aurum legiſſe. Tãta quoq; κακογραφία fuit autoris, ut à nullo manus eius ſatis poſſet agnoſci, ſenſúq; ſubinde divinare oporteret: cui tamẽ incõmodo remedium petivi à Rever. V. D.* ANDREA HAUGIO *Paſtore & Inſpectore Billigheimenſi, quem Cisnerus ſex poſtremis annis vitæ librarium habuit fideliſſimum: Quemq;* PASCHASIUS BRISMANNUS JC. *manus, oculos, aures, linguam & pene mentem Cisneri vocavit; populari & à pueritia commilitoni familiariſſimo: qui gratam & utilem in explicandis obſcuris & deſcribendis κακογράφοις operam navavit. Itaq; ſi cui quædam minus elaborata in hoc libro videbuntur, autorem excuſatũ habebit: cui ſi vita longæva contigiſſet, tum hæc recognoviſſet, tũ multò plura, partim perfecta, partim affecta, ex divitis ingenij & Bibliothecæ penu protuliſſet: & rei literariæ plurimum profuiſſet. Aſt aliud viſum vitæ Domino ſemper Optimo, Maximo, Iuſtiſſimo.*

CISNERI *autem Opera typis antehac excuſa*

ſunt

ſunt hæc: Acta viſitationis Cameræ Imp. certos in titulos digeſta.

Avētinus Latinè & Germanicè ex manuſcriptis authenticis Codicibus reſtitutus.

Crantzij Wandalia, & metropolis recognita.

Cyni Lecturæ in Codicē recognitæ & notis marginalibus auctæ.

Franciſci Duareni JC. Bituricēſis anteceſſoris opera, collecta & recognita.

In Jure varios etjam ſcripſit libros, & Commentarios in diverſos titulos; ut de Novi Operis Nunciatione: de Jure Uſucapionum: de Actionibus: quos tractatus nūc ſeparatim Typographus excudit: alia quoque plurima, ſed quæ perierunt.

Superſunt annotationes quædam ad Plinium: quas huic libro connectere volui: ſed quia limam vel ſaltem collationem accuratiorem requirere videntur, in aliud tempus diſtuli: Quod ſi lectori gratas fore comperiam, cum auctario non inutili fortaſſis in lucē dabo. Lubet nunc Coronidis vice Clariſs. doctiſſimorumque virorum Ellogia quædā CISNERI ſubiicere.

VITA
PHILIPPUS MELANTHON.

In ea regione, ad Nicrum cujus ripas tenuiſſe ſcribũt Charitinos; eſt oppidum Mosbach, clarum ſcriptis integerrimi & doctiſſimi Viri NICOLAI CISNERI, &c.

DAVID CHYTRÆUS.

In deſcriptione Creichgœæ edita Witebergæ Anno MDLXI.

Orientalis Creichgoiæ limitis initium eſt Vimpina, ſeu potiùs infra hanc Obrica; (ubi ſunt initia Sylvæ Francicæ, & montium, quos Abnobos Ptolomæus nominat & Nicer alluit) è regione ripæ, in cujus ſinu MOSBACHIUM, patria Clariſſimi Viri, & omnis doctrinæ & virtutis elegantia politi D. NICOLAI CISNERI, J.U.D. ſitum eſt.

Et non multò poſt:

In Heidelbergenſi Academia Jurisprudẽtię erudita lumina sũt FRANCISCUS BALDUINUS & NICOLAUS CISNERUS, à quibus ſingulari ingenij ſolertia & dexteritate; diligentia & fide ſingulari Juventus legũ ſtudioſa ad veros fontes legum & eruditæ antiquitatis & facilem ac eruditam in diſcendo ac docendo methodon, & orationis Latinæ puritatem ac elegantiam revocatur.

CON-

CONRAD. GESNER. IN BIBLIOTHECAE APPENDICE.

NICOLAUS CISNERUS Moſbachius ex ditione Palatini Electoris, edidit Hymnum de Natali D. I. Chriſti Witebergæ. Orationē & Idyllion de comparatione veris & autumni Ibid. Epithalamion Arnoldi Opſopæi, Heidelb. 1551. Deſcriptionē luſuum equeſtrium in nuptiis Philippi Comitis ab Hanaw, & Helenæ Palatinæ; & nobilitatis præcipuæ: & hiſtoriarum Palat. Heidelb. Anno 1552. Epithalam Davidis Chytræi, & Odas ad D. Joh. Alb. Megapolitanum. Witebergæ excuſa. Floret juvenis hoc tempore & plura parat edenda. Sic olim Geſnerus. Addidit JOSIAS SIMLERUS & JOH. JACOB. FRISIUS, in huius Bibliothecæ recuſis exemplaribus alios nonnullos tractatus Ciſneri: quos, plures etiam, nos hac editione exhibemus, ut ante commemoravimus.

MIC. NEANDER ILFELDENSIS *Scholæ Rector, in Chronico.*

GErmania inter alios multos JCtos habet etiam CISNERUM, virum præter Juris

ris cognitionem doctrina varia, & veterum hiſtoriarum ſcientia excellentem. quod libri eius multi teſtantur. *Idem in Geograph.*

Hoc loco exiſtimavi operæ precium me & gratum prætereà facturum ſedulo & curioſo Lectori, ſi ſubiicerem capita decem librorum illuſtratæ Germaniæ *Iohannis Aventini* Bavari, quæ primus *Conradus Geſnerus* accepit à *Gilberto Cognato Nozereno*, & cum ſtudioſis omnibus communicavit, ut excitaret eos ad inveſtigationem eius operis eruditi, laborioſi, & hactenus à nemine mortaliũ, (quod ſciri poſſit) lecti aut viſi: una etiam ſignificarem omnibus, ſingula iſta & univerſa, quæ libris iſtis X. Aventinus fuit complexus, contineri in libris VII. Annalium Bojorum; quod Clariſſimus Vir *Nicolaus Ciſnerus*, Juriſconſultus dignitate & autoritate præcipua in aulâ Palatinâ præſtans, deprehendit primus, annotavit, cõtulit, & demonſtravit, atque lectori fidem fecit, ut deſinant deinde ſtudioſi queri, amiſſum opus incomparabile Aventini; & ſciant, ubi illa decem librorum capita expoſita atque cõmemorata, ſed ſolo librorum ordine mutato, reperiantur: atque ad lectionem librorum illorum eruditorum, qui multa rara atque abſtruſa hactenus continent, invitentur, & omni tẽpore ſciant, unde rerũ antiquarũ ſed tamen

men reconditarum optima atq; dextra explicatio ſit petenda. Porrò capita librorum. X. illuſtratę Germaniæ referuntur copioſiſſimè in libris VII. annalium Bojorũ, quodq; ſuo libro & capite, & inſtituitur diligens collatio ſingulorum cum his capitibus concinnata & conſcripta à laborioſiſſimo & doctiſſimo CISNERO. &c.

Fit eiuſdem CISNERI *mentio honorifica à D. Ioh. Baptiſta Zileto Veneto, in Catalogo Interpretum Iuris. Necnon à Wolfgango Freymonio in Obernhauſen I.V.D. Imp. Procancell. in Elencho Scriptorum Iuris.*

P. MELISSI

CISNERUS.

Anagram. *Acroſtich.*

SINCERUS.

C leio, prima ſoror meæ cohorti S,
I n Imâ ne locare calce I I br I
S uſtineS mihi tam fidele Nome N?
N ix qua caNdida, C andidũq; quo la C
E ſſe vix pot E, luce purior E.
R e ve R bisq; apeR itur ipſe cando R,
V irt U s pectore nata, aperta Vult U,
S ummis hunc ſimilem facit Metelli S.

EI-

EIUSDEM

Nominis hæc elementa tui, CISNERE, *diſertim*
Tranſpoſuit Natura ſagax: ſtudióne vel arte
Fecerit occultans, artem ſtudiumq́; Minervæ
Experturamea? SINCERUS *es atq́; fidelis*,
Theſeaq́; fide non te ſincerior alter,
Theſeas immò inter tu ſinceriſſimus omnes:
An non te Muſæ inſcribant Amarantide cerâ?

MARQUARDI FREHERI
ConſiliarI Palatini
In CL. V.
NICOLAUM CISNERUM

GRatia Pieridum, Suadæ Themidosq́; (quid ul-
Hiſtoriæ quæ in ſe ſacra profana tenet: trâ?)
Cultores clarare ſuos ſi ſingula poſſi[illegible];
Quid conjuncta, quid & omnia ſumma ſimul?
En jus qui in Cathedra docuit, jus reddidit idem
Endo foro: juvit conſiliisq́; Duces.
Carmina digna cedro panxit, tenuitq́; perorans
Pulpita plena: faces intulit Hiſtoriæ.
Scævola, Varro ſui, & tantum non Tullius, ævj.
Eſt, tamen hos omnes vincere quo meruit.

M. F. f.

AD EFFIGIEM NICOLAI CISNERI

Moſbachium genuit, Muſæ erudiêre benignæ
Panorideſq́; domi, Leucorideſq́; foris.
Ad Themidem duxit Duarenus, cumq́; Donello
Clari quos tellus Itala, Franca, tulit.
Ius docui, ac dixi ſummâ integritate fideq́;
Inq́; Palatini, Cæſaris inq́; foro.

Quirinus Reuter D. propinquo.s.l.facieb.

ALIUD.

Vt ſchola Ciſnerum, ſic Imperiale tribunal,
Atq́; Palatini prædicat aula Ducis.

ΡΊΧΑΡΔΟΣ Ὁ ἘΜΈΛΙΟΣ

Εἰς ἔκδοσιν ταύτην τῶν Νικόλεω τοῦ Κισνήρου ἀνδρὸς ἐλλογιμωτάτου.

Πολλὰ μὲν, ὦ Κισνῆρε Διὸς πεφιλημένε κούραις,
Πολλὰ μαθὼν ἔδαης φρεσὶ πευκαλίμῃσι περὶ πάντα,
Οὓς τρέφεν ἠδ᾽ ἀτίτηλεν ἀριστοτόκος γλυκέτειρα,
Γαῖα. Παλατίνων στεφυληκόμος ἡγεμονήων
Πολλὰ σοφοῖο γράφες πολυϊδρείῃσι νόοιο,
Ἠϊθέων δ᾽ ἐδίδαξας ὁμοζυγέων στίχα μύθοις

Θελξινόοις, Φαίνων μυστήρια κυδιανείρης
Παντοίης σοφίης, ὅσα δ᾽ οἶδας, καὶ ἐδυνήθης,
Ἔργῳ καὶ μελέτης περὶ ἐκείνων ἦγες ὄνησιν.
Εὖτε δὲ λευγαλέοιο μετὰ βραχὺ τέρμα βίοιο
(Ἄξιος αἰῶνος παναπήμονος οὐ μινύθοντος)
Ὤλεο, μοιριδίοισι δαμεὶς θανάτοιο βελέμνοις,
Ὅσσα γράψες καμάτῳ πολλῷ, καὶ ὅσσα δίδαξας,
Τοῦτο μέχρι χρόνου χρονίῃ κεκαλυμμένα σιγῇ
Κεκρύφαται ξύμπαντα μυχῷ λιποφεγγέος οἴκου.
Οἷον χρυσὸς ἐρυθρὸς ἁπάντων κοίρανος ἀνδρῶν,
Καὶ λίθακες χρυσοῦ προφερέστεραι αὐγαλέοιο,
Ἐνδόμυχοι κέαται, δνοφερῆς ἐνὶ βένθεσι γαίης,
Πακτωλοῦ δὲ ῥοαῖσιν ἐχεκτάνου ποταμοῖο.
Νῦν δ᾽ ἄρ᾽ ὑφ᾽ ἑρμαίων ἐφετμοσύνῃ λογίοιο
Ἐννέα καὶ μουσῶν ἑλικώνιον αἶπος ἐχουσῶν,
Ἐννεάδας μετὰ τρεῖς περιτελλομένων λυκαβάντων
Ἐξότε τεθνειῶς φάος ἔλλιπες ἠελίοιο,
Ὅσσα τεὴν γέγραπτο, καὶ ὅσσαπερ εὕρατο πάντα
Ἐσθλοπόνος Ρειτῆρος ὁ πάνσοφος, εὔφρονι θυμῷ,
Εἰς φάος ἦγε, κόνιν τ᾽ ἀφελὼν, καὶ πᾶσαν ὀμίχλην
Τέχνῃ χαλκογράφου πινυτόφρονος, ἥπερ ἐπῆε,
Πρὸς χάριν ἡλικίης πρωτόχλοα μέτρα φερόντων,
Καὶ ἄλλων πάντων ἀνὰ πουλυβότειραν ἄρουραν.
Χαίροις, οὖν, Κισνῆρε, καὶ ἐν νεκύεσσιν ἀναύδοις.
Εἰσέτι γὰρ ζώεις, εἰ καὶ θάνες, οὔτ᾽ ἀπολεῖται
Σὸν κλέος ἀθάνατον, καὶ ὅσα γράψες ἴδμονι τέχνῃ,
Αὐτὰρ Πιερίδεσσι σέθεν περικήδεται ἑρμῆς;
Ὑψώων δὲ μάλιστα τεῆς λαμπηδόνα φήμης.

Ρειτῆρος

ρειτῆς ὃς σεῖο συγγενέων περίαλλα γεραίρει,
Θεολογίης ὑποφῆτα θεηγόρος, ὅν ῥ' ἐφίλησας
Εἰσέτι νήπιον ὄντα, φιλοστόργῳ φρενὸς ὁρμῇ,
Μουσοπόλοις δ' ἀτίτηλας ἐν ἤθεσι, καὶ ἀρεταῖσιν,
Ὅν δ' ἄλλοι φιλέουσι σεβαζόμενοι περὶ πάντων
Πλείονες, οἳ ναίουσι περίκλυτον ἐδελεβέργης
Ἄστυ, παρὰ Νίκροιο βαθυρρείταο ῥέεθρα.

Ejusdem Richardi Hemelij

Elegia in obitum CISNERI ad JOH. POSTHIUM.

Πόθιε Κισνήρου πρώϊῳ ἐπὶ τύμβον ἱκάνων,
Ἐνθάδε παρ Νίκρου πρηῦ νάοντι ῥόῳ.
Βιοτόθεν ἐστονάχησα μέγαν φρενὸς οἶκτον ἀνέλκων,
Αἴλινα δ' αἰάζων τοῖον ἔρευξα μέλος.
Κρῆναι καὶ ποταμοὶ καὶ δένδρεα καλλιπέτηλα,
Οὔρεα καὶ σκόπελοι αὐτόφυτοί τε νάπαι·
Εἴπατέ μοι κάματον τίνος εἵνεκα τόσσον ἔχοντες,
Ἄνδρες ἐφημέριον ζῶμεν ἔραζε βίον;
Τίπτε μεριμνάων τόσα κύματα, καὶ τόσα δεινὰ
Προφρονέως φέρομεν τλήμονες ὧδε μάτην;
Εἰ καί τις τελέσειεν ἀνὴρ μεμαηότι θυμῷ
Ἔργον ἀριστοπόνου ἐξ ἀρετῆς τι καλόν,
Καὶ κλέος ἐκ καμάτου καὶ ἀγαυὸν κῦδος ἄροιτο,
Ἐν δὲ βαθιῷ σφετέρῳ πλοῦτον ἔχῃσι δόμῳ·

Ἔμπης οὐ δύναται ὅτε κάμελον ἦμαρ ἐπέλθῃ,
Ἀκλινέος θανάτου δηϊοῦ κῆλα φυγεῖν·
Ἀλλά μιν ἰσάζουσα χερείονι πέρλινι φωτὶ,
Μοῖρα καταφθινύθει παντολέτειρα μόρου.
Οὕτω καὶ Κισνῆρον ἀφειδεῖ πέφνεν ὀϊστῷ,
Ἀνέρα μακροτέρου ἄξιον ὄντα βίου,
Ἄξιον εὐκεράου ἐλάφου βίον, ἠὲ κορώνης,
Νόσφιν ἄτερ τε νόσου ζωέμεν ἠδὲ κακῶν.
Τοίη γὰρ σοφίῃ καὶ ἐπιστήμῃ ἐκέκαστο,
Τοῖσίς καὶ μύθοις ἰδμοσύνῃς τε καλαῖς·
Ὥσκεν ἐγὼ φαίην ὅτι μιν πολύμητις Ἀθήνη
Πάσας πανσοφίης ἐξεδίδαξεν ὁδούς.
Πειθὼ θ' εὐεπίης πυκινόφρονος ἄνθεα δῶκε
Ποικίλον αὐδῆσαι μῦθον ἀπὸ στόματος.
Καλλιόπη κρήνης ἑλικωνίδος ἔνθεον ὕδωρ
Ὤπασε, καὶ δάφνης ἱερὸν ὄζον ἔχειν.
Κλειὼ θ' ἱστορίης μιν ὅλης ἐμπλῆσε, νοῆσαι
Ὅσσα βροτοὶ προτέροις ἔργα χρόνοισι κάμον.
Τὴν δὲ δίκης γνῶσιν θέμις αὐτὴ δεῖξεν ἄνασσα,
Πᾶσιν ἐπισταμένη ἶσα τάλαντα νέμειν.
Αὐτὴ δ' εὐσεβίη ἀγαθῶν προοδηγὸς ἁπάντων
Ἴδμονα θεσπεσίων ἐξετέλεσσε λόγων.
Τοῖος ἑῶν ἔργοις μεμελημένος ἔσκεν ἀρίστοις
Δυσκλέα τῆλε φυγὼν ὄκνον ἑκόντι νόῳ.
Πολλάκι μιν κατὰ νύκτα πονεύμενον εἶδε σελήνη
Ἱδρώοντα πόνοις ἠμερινοῖσιν ἔτι.
Πολλὰ δὲ ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα τηλόθ' ἐόντων,
Τῶν ἔγνω φωνὴν καὶ νόον, ἠδὲ φυήν·

Ὕστερον

Ἠλιὼ ἐπισταμένως ἐδίδαξε ὅμιλον ἐφήβων,
Χρήσιμα πολλὰ λέγων, τερπνὰ δὲ πολλὰ λέγων.
Δηθὰ δίκας ἐδίκασσε θεμιστοπόλου στόμα λύσας
Ἧχιπερ Αὐγούστου Καίσαρός ἐστι θέμις.
Ὕστερον ἡγεμονῆι χαιρόμενος Παλατίνῳ,
Νόστιμος εἰς πεδίον πατρίδος ἦλθε γλυκύ.
Ἔνθα ἑ βουλεύοντα ὅπως τὰ φέριστα γένωνται.
Αἰνῶς τειρομένη νοῦσος ἄμερσε βίου.
Ἀλλὰ τίη ταῦτα πάντα βαρυστενάχων περ ἐνίπτω;
Οὐ γὰρ ἀναστήσω εἰς φάος αὐτὸν ἔτι.
Ὤλετο γάρ, ψυχὴ δὲ δικαίη πεπότηται,
Ὀστέα δ' αὖ γαίη παγγενετείρα λάβεν.
Ὤ μοι ἐμῆς ἄτης, πολυδακρύτων δ' ὀδυνάων,
Ὤμοι τῆς ἀρετῆς πανσοφίης τε σέθεν.
Κλαῖε θέμις, μοῦσαι μέγα κλαίετε Κωκύουσαι,
Κλαίετε θ' οἷς μουσῶν ἥνδανεν ἔργα καλά:
Κλαιόμενοι δὲ μέλος θρηνῶδες ῥήξατε φωνῇ,
Κάτθανε Κισνῆρος, κάτθαν' ἄριστος ἀνήρ.
Ὥς τ' ἄρ' ἐμοῦ φαμένου, φίλε Πόθιε, δάκρυα πολλὰ
Μυρομένων βλεφάρων ἐξεχέοντο χαμαί.
Εἴσετι καὶ γοάοιμι φιλοκλαύτῳ παρὰ τύμβῳ
Ἑζόμενος (τόσση θυμὸν ὀϊζὺς ἕλεν)
Εἰ μὴ ἀνεμνήσθην ὅτι μιν ξυνήονι πότμῳ,
Ἔσκε χρέος θανέειν θνητὸν ἔχοντα δέμας,
Οὔτ' αἰεὶ φθιμένοισι μετέσσεται: ἀλλά μιν αὖθις
Ἔμπνοον ἀνστήσει ἐκ νεκύων ὁ θεός,
Καὶ δώσει ζωὴν αἰώνιον, ἥνπερ ὑπέστη
Αὐτῷ, καὶ πᾶσιν πίστιν ἔχουσι βροτοῖς.

ELEGI.

ELEGIDION

AD

Reverend. Clariſſimum Dn.

QUIRINUM REUTERUM
S. Th. D ac Profeſſ. Illuſtr. CollegI Sap.
Inſpectorem, Cognat. col.

M*Vnera multimodè ſua diſpenſare* Jehova
Terricolis, uni nec dare cuncta ſolet:
Effati cujus teſtem Moſem atq; Aaronem
Advoco, fraternus quos bene junxit amor.
Ille ſacras leges Iudæis fixit, & æquum
Dixit, at huic Aræ cura gerenda fuit.
Teſtis erisq;, genus noſtrum qui lucida ad aſtra,
Poſt Cisnerum *unus, magne* Quirine, *vehis.*
Nam quamvis ſitis conſanguinitate propinqui:
Diverſum ſtudium clarat utrumq; tamen.
Nam fora, cauſarumq; illum certamina juvit
Sectari: è Cathedrâ tu ſacra verba doces.
Sic tamen ut vitam à te ſumere gaudeat ultrò
Cisner, *per quem aliis vita parata fuit:*
Dum nequiens perferre ultrà ſic obruta nocte,
Digna hominum aſpectu ſcripta jacere, viri:
Eripis è tinearum avidarum faucibus, olim
Ingenij Cisner *quæ documenta dedit.*

Quare

Quare quantum inter ſtellas fulgore coruſcat,
Sidereum Titan irradiatq; chorum.
Tantum Ciſneris *anteis virtute*, Quirine,
Et ſtirpem meritis evehis usq; tuis.
Luceat hoc lumen nobis ad Neſtoris annos,
Luceat æternùm pulcra propago Viri,
Vtilis ut nobis, patriæ ſit commoda rebus
Patritumq; queat perpetuare decus.

JOH. CISNER. F.

ALIUD.

E*ſt ex* Reuterâ *natus pius ille* Philippus,
Te pia Reuterum Ciſneriana *tulit.*
Ergò maternam ſpectes, ſpectésve paternam
Stirpem, præclarum calcar honoris habes.
Nunc iterũ per te, Ciſnerus *itemq;* Melanthon.
Vivunt, dum limâ ſcripta utriusq; polis,
Hæc in Gymnaſio reſonando; orbem illa per omnem
Spargendo: En magnum nobile idemq; decus!
Quin igitur cùm Ciſnero *magnoq;* Philippo
Vivas, æternùm nomen ad aſtra ferens:
Tolle caput patria; hinc fuerit ſi tertius ortus
Doctor, vix urbem es forte habitura parem.

Petr. Chriſtmannus Moſbacenſis Nicroviæ Eccl. miniſter, cognato & C.F.

BRETTA

BRETTA *ſuum jactat civē famoſā* PHILIPPUM,
Te Mentzingiaci docte CHYTRAEE *ſuum:*
CISNERUM *reliquos* MOSBACUM *præter alūnos,*
Eſſe ſuum grato prædicat ore decus.

ALIUD.

QVas natale ſolum grates, quæ digna rependat
Præmia pro meritis, docte Quirine, *tuis?*
Præclaris famam dum non modò fœtibus auges
Ingenij, nuper quos tua cura dedit.
Sed civem revocas tacitis velut alter ab umbris
Mercurius, luci reſtituisq́; nouæ,
Poſthuma conquirens multò monimenta labore,
(Ludibrium tineis fortè futura feris.)
Perge, age, Cisnerum *ſcriptis ſuperare diſertis;*
Debebit Genio patria cuncta tuo.

Joannes Marquardus *συμπατριώτης*
αὐτοσχεδιάζων.

PHALÆCIUM
Ad Reverend. & Clariſſ. Virum
Dn. D. QUIRINUM REUTERUM,
cùm NIC. CISNERI Opuſcula varia
typis commendaret.

ÆTas ſcripturijt perinde nulla,
Hæc ut noſtra, librûm ferax ubiq́;

Sit,

Sit, ut, chalcographus tuum papyri
Millenis quater ampliúsve nomen
Ni illevit philyris, magis rudem te
Quovis Arcadico putent aſello,
Inſanabile quos tenere cœpit,
Scribendi hoc cacoëthes illigatos.
Tantos parturientis haud labores
Aevi temnere fas: libido cæcos
Ni feſtina nimis daret catellos
Sæpe hæc, quos atavis aviſq; blandæ
Iurarent lapidem Iovem parentes
Multò cernere perſpicaciores:
Ignaræ, quòd avis ferat parentum
Aetas deterior maligniorem
Semper progeniem. Laboris unde
(Si fruſtra decet æſtimare libros)
Longè, credo ego, fructuoſioris
Is poſcit pretium, vetuſtiorum,
Libros quem juvat ire reſtitutum,
Scriptorum, ſapientibus probatos
Olim, lucifugis nefas in eſcam
Quos eſt cedere lividiſq; blattis.
Aetas noſtra etenim labore avito
O ſi parta tuerier ſtuderet!
Vt felix foret! Quirine, *id ipſum eſt,*
Abs te quod memini frequente verbo
Vſurpari. Opere illud evidenti
Dum cerno exhibitum, loquente Zancho,

Andreæ

Andreáq; Dudithio, Cisneroq;;
Almâ, qui tibi, luce quòd fruuntur,
Debent: id mihi ſcilicet videris
Proclamare: Libros tenebricoſâ
ne ferte eximios latére nocte,
Muſæ, aut delicias vacare blattis.

EPIGRAMMA

Ad eundem.

M*Agni jāpridem perdocta volumina* ZanchI
Ductu exiverunt, docte Quirine, *tuo.*
Nuper & Andreæ *per te monumenta* DudithI
Pridem expectatam cernere viſa diem:
Ciſneri *merito nunc idem ſcripta nitori*
Reddis. Qui cura ſic aliena tibi?
Non aliena. Patris ſoboli quem vota relicta
Tutorem poſcunt, cur alienus hic eſt?

M. Johannes Reinhard Heidelberg.
CollegI Sapientiæ præceptor F.

NICOL.

CL. V.

NICOLAI CISNERI

JC. IMP. CAMERÆ ADSESſoris Conſiliarii Palatini.

OPVSCVLORVM

Liber I.

Qui continet orationes de

OTTHONE III. Imp.

ET

Septemvirûm Electorum Germanorum inſtitutione.

FRIDERICO II. Imp.

CONRADO SUEVO.

Ac

HENRICI VII. Lutzenburgenſis.

LUDOVICI IV. BAVARI, Impp.

Geſtis, ac Certaminibus cum Pontificibus Romanis.

Digitized by Google

DE

OTTHONE III. IMP.

eiusq; inſtituto

CONCILIORUM IMPERATORIORŪM

ac de

Septemviris Electoribus Principibus Germaniæ.

ORATIO

NICOLAI CISNERI,

J. U. D. & Profeſſoris.

Habita in

Academia Heidelbergenſi.

Edita primùm

Anno M. D. LXX.

ET

CHRISTIANO I.

Saxoniæ Duci poſt Electori &c.

inſcripta,

In qua Onuphrij Panvinij opinio de P P. Electoribus Germanis refutatur.

ILLUSTRIS. PRINCIPI DOMINO CHRISTIANO, SAXONIÆ DUCI, LANDGRAVIO Turingiæ, Marchioni Miſniæ.

ILLUSTRIS PRINCIPIS AUGUSTI ELECTORIS FILIO DOMINO ſuo clementi.

NICOLAUS CISNERUS.
S. P. D.

PRÆSTANTISSIMAM *& genere & forma & moribus virginem* ELISABETHAM, *ſororem tuam, omni genere laudis Clariſſimo Principi,* IOHANNI CASIMIRO, *Comiti Palatino Rheni, Boiariaq́ Duci, nuptui, eſſe collocatam, mirum in modum gaudeo. Etſi enim huiuſmodi propinquitatis vinculis ſæpè, & priſcis temporibus & noſtra ætate, inclyta gens Saxoniæ Principum cum præclara Palatinorum Boiariorumq́ Ducum familia coniuncta fuit: tamen cũ in hac ſumma rerum omniũ perturbatione, procerum & ordinũ Imperii concordia Reipubl. Chriſtianæ ſit per neceſſaria, vel eiuſdẽ Patriæ*

 cauſa,

cauſa, maximâ, ex hoc matrimonio, quod eximiam conſenſionem voluntatum inter præcipuos Principes declarat, lætitiâ ſum affectus. Itaque quod non ignorarem, nuptias illas excellentium Pœtarum carminibus celebratum iri, eiuſmodi autem in me ſcribendi facultas, ſi modò ulla unquam fuit, in his forenſibus iudiciorum diſceptationibus exaruiſſet; ne tamen illam animi mei affectionem, & erga utramq; familiam obſervantiam, & pro utriuſq; proſperitate votum, non teſtificarer; quam Heydelbergæ annis abhinc quatuor, cum quibuſdam juris ſtudioſis Doctoratus inſignia conferrem, orationem de OTHONE III. *Imperatore habui, ea à me, quoad eius in his meis negotiis fieri potuit, relecta & recognita, et iam divulganda, non ſponſum, alius tum rebus occupatum, ſed Celſitudinem Tuam, ad quam magis pertinet, appellare conſtitueram: ut quemadmodum ludis equeſtribus aliiſq; ſpectaculis oculos recrearet, ſic & huius orationis lectione animum paſceret: Non quod me lateret, multo & meliora & præſtantiora ad animi cultum & delectationem Celſitudini Tuæ à Doctore ſuo, egregia virtute, & inſigni doctrina prædito, Paulo Vogelo, qui in ea formanda nihil ſtudii, nihilve diligentiæ prætermittit ſemper & ubiq; ſuppeditari: ſed quòd id temporis & loci, ut in aliis rebus, ſic & in literis varietatem quandam tuæ Celſ. non ingratam fore ſperabam. Poſteaquam verò Celſitudo tua nuptiis illis non interfuit, tametſi ab inſtituto meo cum alia cauſa, tùm vel hæc maximè me revocabat, quòd me minimè deceret* γλαῦκ' εἰς ἀθήνας: *tamen ut hanc orationem ad Celſ. tuam abſentem mitterem, me potiſſimum argumenti excellentia, & cum Celſitudine tua cognatio, confirmavit.*

mavit. Vt enim in explicanda OTHONIS III. *Imperatoris vita non talem verborum ſeu delectum ſeu conſecutionem, néve tractandi rationem, néve ſententiarum formas adhibuerim, qualem res poſtulat, ipſum ſanè argumentum Celſitudine tua, & ad cognoſcendum & ad imitandum digniſſimum eſt. Siquidem* OTHO III. *non ſolùm egregius Imp. Reipublicæ perſtudioſus, ac de Germaniæ Imperio benemeritus, verùm etiam ex eadem ſtirpe prognatus eſt, ex qua rerum geſtarum gloria ornatiſſimi maiores atq; parentes Celſ. tuæ deſcenderunt. Nam ſummos illos Heroas & lectiſſimos Cæſares* HEINRICUM AUCUPEM *eiusq; filium, nepotem & pronepotem* OTHONEM I. II. & III. *ab eodem* witikindo *Saxonum Rege propagatos eſſe, à quibus progenies Celſit. tuæ, id eſt Miſniæ Marchiones ortum habent, & veterum monumentorum teſtimonio, & multorum Hiſtoricorum authoritate ſatis comprobatur. Quocirca cùm* OTHONIS III. *gentilitia, laudum & gloriæ hæreditas, ac præclarè factorum imitatio ad eos potiſſimùm pertineat, qui & de eadem ſunt proſapia, & magna ex parte eas terras poſſident, quæ ipſius olim fuerunt, non video, in cuius potius nomine illius vita apparere debeat, quam Celſ. tuæ domus, quæ ut pleraſq; eius ditiones hodie obtinet, ſic & in virtutum eiusdem poſſeſſionem venit. Ac tametſi multa ſunt eius in Rempublicam merita: tamen haud ſcio, an ullum ſit præſtantius, quam quòd pro patriæ dignitate de Cæſare Germano, à Germanis creando, conſtituit, Et quoniam proprium hoc privilegium Germanorum procerum,* ONUPHRIUS PANUINIUS, *monachus Italus etiam Romano Pontifici, Italisq;*

Principibus in eo libro, quem de comitiis Imperatoriis, *infenſo in Germanos animo atq; inimico, ſcripſit, cum illis commune fuiſſe tradit, temperare mihi non potui, quin in hac oratione eius ſententiam, cùm in eo, tùm in aliis quibuſdam capitibus, de quibus alibi copioſius & accuratius diſſeruimus, paucis refellerem. Idem etiam argumentum, amore & ſtudio Reipublicæ Germanicæ, multos iam annos amicus, nunc etiam collega meus* SIMON SCHARDIUS IC. *perſecutus eſt, quem librum tractatui* de juriſdictione Imperii *adiunctum, eo ipſo die, quo hanc orationem in auditorio juris recitaveram, mihi dedit. Ut autem in pleriſq; mihi cum eo convenit, ſic non ſtatuo,* OTHONIS III. *ſanctione ſex aut ſeptemviris tantum electionem Cæſaris commiſſam, ſed temporis progreſſu, in maximis Germaniæ diſſidiis, ad eos aſtrictam eſſe, penes quos iam aliquot ſecula fuit.*

Hanc autem diſputationem ſi ulli, tuæ Celſitudini præcipuè cognoſcendam exiſtimo, eò quòd iam inde ab OTHONIBUS *Saxoniæ Principes, etiam tùm, cùm* Franconiæ & Sueviæ *Ducum familiæ florerent, præcipuas in comitiis Imperatoriis partes obierint, & quòd hodie in Electoribus laudatiſſimi Principis, Patris tui* AUGUSTI *permagna ſit authoritas, & quod ſi* DEUS, *ut precor, Celſ. Tua vitam concesſerit, ipſo jure eiusdem dignitatis deſtinatus ſis hæres & ſucceſſor. Etſi verò multi ſub imperio patris Celſ. tuæ degunt, & in eiusdem* Scholis *& Academiis docent, maioribus & naturæ & doctrinæ præſidiis ad ſcribendum inſtructi, qui & hanc materiam doctius ornatiusq; tractare, & Othonis III. hiſtoriam melius ſplendidiusq; conficere potuiſſent, & ex iis omni diſciplinarum genere*

excellens

excellens vir CASPARUS PEUCERUS, *utranq; multò præclarius præſtiterit: tamen ſicut omnibus laudibus cumulatus Princeps tua Celſ. Pater in exquiſitio illo horto Drëſdano, etiam plantulas, ex his noſtris regionibus allatas, non abijcit, ita nec Tuam Celſitudinem hunc meum laborem aſpernaturam confido, cum præſertim planta, quam mitto, ex veſtro ſolo tranſlatitia ſit, & ad eam nihil aliud, quam noſtræ regionis qualemcunque culturam accommodaverim: Quæ ut in veſtro horto ſupervacanea ſit; tamen non omnia, quæ ſuperant & redundant, reſecari, recidi & evelli ſolent, præſertim ſi vel exiguum aliquem uſum, vel ſpeciem habeant. Nec tam eam Celſit. tuæ offero, ut horto ornatiſſimo quid adferat, quàm ut ex ipſius celebritate famam aliquam accipiat. Cæteroquin quid attineret exemplum omnino à noſtra memoria propter vetuſtatem remotum, tam longè ex literarum monumentis repetere? cùm præter alia multa domeſtica & propiora exempla, ab omni cultu literarum politiſſimo viro,* GEORGIO FABRICIO *in elegantiſſimis utroque orationis genere libellis, de Saxoniæ Ducibus, & Miſniæ Marchionibus; qui ſempiternum decus nominis ſui conſtituerint, Celſitudini tuæ propoſita; eidem etiam indies ob oculos verſetur, & præluceat excellentiſſimi Principis patris ſui præclariſſima virtus. Neq; tamen abſurdum mihi viſum eſt, ad clariſſimas illas gentis tuæ imagines, etiam antiquæ virtutis & mirifici in patriam ſtudii exemplar* OTHONEM III. *aggregare; non ſolum ut ſua ſponte currenti & tot tantisq; exemplis incitatæ tuæ Celſitud. quaſi calcar aliquod admoverem, verùm etiam ut quam de Celſ. tua ſpem conceperim, teſtifica-*

rer. Etenim ſi, vt cœpit, maiorum parentumq́ ſuorum, quorum laus longè lateq́ diffuſa eſt, veſtigiis inſiſtere perexerit, magno eam & ſibi ipſi honori, & familiæ ornamento, & Reipub. Chriſtianæ emolumento, fore ſpero. Deum oro, vt numine ſuo Celſ. tua in hoc curſu dux & adiutor exiſtat, id vt aliquando conſequatur: & vt ad nominis eius gloriam, Imperii utilitatem, & patriæ ſalutem omnia ſua ſtudia & actiones referat. Dabam Spiræ, Nonis Iunij, ANNO M. D. LXX.

NOMI-

NOMINA AUTORUM EX QUIBUS, QUÆ IN HAC ORATIONE TRACTANTUR, SUNT DEſumta.

Abbas Urſpergenſis.
Aeneas Sylvius, ſive, Pius II. Papa.
Albertus Argentinenſis.
Albertus Cranzius.
Antonius Bonfinius.
Baptiſta Platina.
Beatus Rhenanus.
Benno Cardinalis.
Blondus.
Cardinalis Hoſtienſis.
Caſparus Bruſchius.
Caſparus Peucerus.
Chronica Anhaltina.
Eginhardus, Hiſtoricus & Cancellarius Caroli Magni.
Franciſcus Irenicus.
Gotefridus Viterbienſis.
Guntherus Pœda, ſeu Ligurinus, vulgo dictus.
Hieronymus Balbus.
Hieronymus Stridonenſis.
Jacobus Spigelius ad Ligurinum.
Jacobus Cuiacius.
Innocentius III. Papa.

Innocentius IIII. Papa.
Johannes Andreas.
Johannes Aventinus.
Johannes Cuſpinianus.
Johannes Nauclerus.
Johannes Sleidanus.
Johannes Trithemius, Abbas Sphonheimenſis.
Johannes Zonaras.
Lambertus Schaffenburgenſis.
Luitprandus Ticinenſis.
M. Antonius Sabellicus.
Nicephorus Calliſtus.
Onuphrius Panvinius.
Otho Friſingenſis.
Radevvicus Canonicus Friſingenſis.
Regino.
Robertus Abbas Montis, Normannus.
Sigebertus Monachus Gemblacenſis.
Theodoricus à Nyhem.
Vvitikindus Saxo.

In notando numero Cæſarum, ſequor receptum morem.

NI.

NICOLAI CISNERI IURISCONSULTI, ET CAMERÆ IMPERIALIS ADSESSORIS, DE OTHONE III. IMPERATORE.

EIUSQVE INSTITUTO CONCILIORUM IMPERATORIORUM, ET Septemvirûm Germanorum Electorum.

ORATIO.

CUM omnibus hominibus, tum vel maximè civilis ſcientiæ ſtudioſis, utilis eſt antiquitatis cognitio. Nam etſi Hiſtoria omnes homines ad vitæ uſum & honeſtatis cultum informat: tamen pluribus etiam aliis ſubſidiis & adiumentis eos inſtruit, quibus vel ob familiæ, loci atque ordinis conditionem, capeſſenda eſt Reſpublica; vel qui ſua voluntate judicioq; ad eiusdem adminiſtrationem ſe conferre cogitant. Neque enim ſolùm illa virtutum & vitiorum exempla, & honeſtarum actionum præmia, turpiterque factorum pœnas nobis, quaſi in ſpeculo quodam ſpectanda præbet: verùm etiam varia jura, leges, mores populorum atque civitatum, diverſas Imperio-

Vſus hiſtoriæ.

periorum ac rerum publicarum formas & genera, earumq; ortus, progreſſus, converſiones, occaſus cauſasq; tum ſalutis, tum interitus, tum incrementi, tum diminutionis, ob oculos ponit. Itaq; ex illorum quidem collatione cum præſentibus, & adiunctione futurorum, omnes, qui rationis participes ſunt; quid expetendum, quid fugiendum in vita ſit, videre, & ad eam degendam ſe præparare poſſunt. Ex horum autem obſervatione cùm intelligatur, quibus rebus Imperia & Reſpub. conſerventur & amplificentur, & quibus labefactentur & pervertantur; facilè erit iis, qui in ea gubernanda verſantur, quid ſuſcipiendum, quid declinandum ſit, proſpicere, & ex præteritorum eventuum ſimilitudine conſilium de futuris capere.

Cum igitur ex rerum geſtarum monumentis, non modò ſingulorum vita inſtituatur, & ad amplectendam virtutem, aſpernandum vitium excitetur; ſed & hi omnino erudiantur, qui ad Rerumpublicarum curationes, ad civitatum ad Principum, Regum & Cæſarum conſilia accedunt; tum autem Principes, nobiliqúe orti loco quaſi ad tenenda & tractanda Imperii & Reip. gubernacula nati videantur, tum ad eorundem conſilia, reſque adminiſtrandas, noſtris temporibus potiſſimùm Iuris ſtudioſi adhibeantur; cùm toti huic cœtui, tum præſertim Illuſtriſs. Domino, Principi, CHRISTOPHORO, Palatino Rheni, Duci Bavariæ &c. atque nobilibus, & ſcholæ noſtræ auditoribus. qui Rempub, gerere cogitant, gratum & fructuoſum fore confido: (quoniam in hoc loco mihi

mihi mandato collegii noſtri eſt dicendum) ſi de lectiſſimi & Germaniæ Reip. utiliſſimi Imperatoris Othonis III. vita & ſalutari inſtituto verba fecero. Atque id eò magis, quòd haud ſciam, an ex omni vetuſtatis memoria Germanis hominibus iis præcipuè, qui Reſpublicas cum laude procurare voluerint, quicquam prius potiusque ſit cognoſcendum, quàm Germanicæ gentis inſtituta, eiusque Imperatorum, principum ac magnorum virorum res fortiter & cum gloria geſtæ, atq; ſapientum hominum laudabilia conſilia. Itaque vt antehac duabus iſto loco habitis orationibus, de Friderico II. & de nepote eius Conrado, attentos benevolosque veſtros animos tenui; ſic vos nunc etiam, me de Othone III. dicentem, bona cum venia, & diligenter audituros ſpero.

Origo Othonis III. paterna ex nobiliſſimis Saxonibus, Angrivariorum Ducibus manavit; qui contra Francos, jam inde à Dagoberto Rege, bella geſſerunt, atq; annos amplius ſexaginta ante hunc Othonem, Imperio Romano, quod eſt ad occidentem ſolem, præfuerunt. Materna, ex inclytis Imperatoribus Conſtantinopolitanis deſcendit, qui eam Imperii partem, quæ eſt ad orientem ſolem, tenebant. Ei proavus fuit Henricus, vulgò Auceps dictus, filius Othonis Saxoniæ Ducis, qui propter præſtantem virtutem Magnus eſt appellatus, ex Ludgarda vel Lucarda Arnolphi Imperatoris filia: cui Othoni, cum poſt Ludovici IIII. Cæſaris, Arnolphi Auguſti F. mortem, ſumma rerum à Principibus delata eſſet, ipſius ſuaſu & ductu Cæſar creatus eſt *Othonis proſapia*

Con-

Cōrdaus I. A. C. 912. Henricus I. Imp. CONRADUS Dux Franciæ ſive (ut hodie appellamus) Franconiæ, quo deinde authore HEINRICUS Auceps dictus ad Imperii dignitatem evectus eſt. Is cùm omni virtutis laude celebris, tum bello clariſſimus fuit Arnolphum Boium, cognomento Malum, imperium affectantem, ſecum iam inſtructa utrinque acie dimicaturum, ad colloquium evocatum, ab armis ad pacem & amiciAn. 921. tiam deduxit: Henetos, ſive Vuandalos, & Sorabos ſubegit, & vera DEI cognitione deſtitutos, ad Eccleſiæ Chriſtianæ ſocietatem adiunxit: VVENCESLAO Bohemorum Duce capto, Bohemiam imperio ſtipendiariam fecit; Hungaros bis in Saxoniam irruptionem facientes, ſecundò magna clade affectos profligavit; quaque imperium propagaverat, in limitibus Præfectos, præſidii cuſtodiæq; cauſa, collocavit.

Otho. M. I. A. C. 936. HEINRICO ſucceſſit OTHO filius, avus OTHONIS noſtri III. qui rerum geſtarum magnitudine patrem ſuum, excellentiſſimū Principē, ſuperavit: Germaniā ſæpenumero, & inteſtinis motib. turbatam, & externorum hoſtiū bellis agitatā, virtute ſua ſedavit, primùm Eberardo, Arnolphi Othonis. I. geſta. Boii filio, in exilium acto; deinde Danckhardo, vel Tancquardo; Danckbaro, vel Danckmaro, fratre ſuo notho, in Henetorum ditione ea, quæ poſtea Brandeburgica dicta eſt, occiſo, Item Boliſlao Bohemo, diuturno bello defatigato, & in deditionem accepto; tum LUDOVICO Franciæ Rege in Galliam reiecto; EBERHARDO Franconiæ Duce & Palatii Comite in prælio ad Rhenum interfecto, & in eodem, Giſelberto Lotharingo

ringo merſo, eiusq; ditione ſub imperium ſubiuncta; Friderico Moguntino antiſtite Fuldam, Ruthardo Argentoratenſi præſule Corbeiam relegatis, fratre Henrico, undique victo & fugato, Ingelheimii in cuſtodiam tradito, ſed non multò pòſt omnino in gratiam recepto: qui omnes adverſus illum conſpiratione facta arma ceperant.

Poſt ea cum ab eodem Ludolphus filius, & Conradus gener, ſocietate contracta cum Arnolpho & Hermanno Boiis, Eberhardi fratribus defeciſſent; Ratiſpona obſeſſa, & in poteſtatem ſuam redacta, Arnolpho trucidato, & eius factionis reliquis magnatibus captis; filioque Ludolpho & Conrado genero venia deprecantibus data; Ungaris verò acerrimis hoſtibus primò Franconiam vaſtantibus, ſuperatis atq; fuſis; iterumq; maioribus, quam unquam antè, copiis Boiariam depopulantibus, ad Licum flumen ad internecionem cæſis: magnum ſibi nomen patriæ quietem peperit.

Pacata Germania, Danos debellavit, & ab idolorum cultu ad Chriſtianam religionem traduxit Burgundiam ſuæ ditionis fecit: Galliam ſecundò armis fluctuantem, Hugone Magno, Pariſiorum & Andiū Comite, qui Ludovicum, regē Caroli Simplicis filiū oppreſſerat, & magna ex parte regnum occupaverat; eiusq; ſociis & aſſeclis debellatis, ac rege liberato, eiq; regni adminiſtratione reddita, compoſuit.

Berengariorum quoq;, patris & filii, qui Reges Italiæ appellabantur, Tyrannidem & dominatum fregit, regnoq; Italiæ eos exegit, &

git, & patrem captum in Germaniam deportavit.

Romæ diverſis temporibus, tum Iohannem XII. reum multorum nefariorum criminum & deteſtabilium ſcelerum (quæ cum alii ſcriptores, tum Luitprandus Ticinenſis recenſet) Pontificatu deiecit, tum Benedictum V. quem Romani contra fidem atq; jusiurandum Imperatori præſtitum, Leone VIII. Pontifice, vrbe expulſo, Iohanni ab exilio revocato, & in Pontificatum reſtituto ſuffecerant, exilio mulctavit, tum pleroſq; authores factionis, quibus Iohannes XIII. ſua authoritate Pontifex factus, ut multi tradunt, in carcerem coniectus, ut quidam urbe exterminatus eſt, laqueo necari juſſit.

Itaq; quòd Otho & domeſticis ſeditionibus, & externis bellis dilaceratum quaſi imperium Romanum virtute ſua redintegraſſet, & orbem terrarum nominis ſui gloria impleviſſet: Magnus eſt nominatus.

Allectus ab eo eſt in Imperii conſortium filius Otho, pater huius noſtri Othonis III. in quo ipſo quoque inſignis rei militaris ſcientia, & eximia virtus fuit. Imperii dignitatem appetentem Heinricum patruum, Boiariæ Ducem, ditione ſua ademta, in exilium miſit; & eius inſtinctu concitatos ad arma Heroldum Daniæ Regem Meſiconem Poloniæ, Bolislaum Bohemiæ Duces ſibi reconciliavit: Lotharingiam à Lothario Galliæ Rege occupatam recepit, eamq; beneficii nomine in fidem & clientelam Carolo Regis Galliæ fratri conceſſit: Græcis & Saracenis ad recuperandam

Otho. II.
A. C. 973.

randam Apuliam & Calabriam grave bellum intulit; in quo licet eum ſe præſtaret, ut magno terrori Saracenis eſſet (ex quo & cognomen invenit, Pallida mors Saracenorum dictus) tamen infeliciter adverſus eos rem geſſit. Atque ex his ortum ille ſuum paternum duxit.

Mater ei fuit *Theophania*, *Romani* iunioris Imperatoris Conſtantinopolitani filia. Huius *Romani* parentes optimè meriti ſunt de jure noſtro, qui & in legibus, & canonibus digerendis occupati fuerunt. Nam proavo eius *Baſilio* Macedoni πρόχειρον, i. e. quaſi manuale quoddam juris, ſexaginta titulis diſtinctum; avo *Leoni Philoſopho*, Baſilii filio, ſexaginta libros βασιλικῶν; patri Conſtantino poſtremã legum ἀνακάθαρσιν acceptam ferre debemus. Idem etiam *Photii* Patriarchæ Cõſtantinopolitani, qui patrem ſuum Leonem conſecrârat, Nomocanonem ſive procanonem repurgavit. Sed de parentibus & maioribus Othonis III. præſtantiſſimis ad orientem & occidentem ſolem Imperatoribus, hactenus; unde ex quàm præclaro genere, & glorioſa ſtirpe prognatus ſit, apparet. *Romanus Imp. Conſtantinop.* *Leo VI.* *Nomocanon.*

Othone II. defuncto nondum eius ætatis erat *Otho* noſter, ut Imperium gubernare poſſet. Itaq; magna afficiebantur ſollicitudine Imperii proceres, quem potiſſimùm rebus præficerent. Nam diviſis Principum animis alii puerum *Othonem*, alii eius propiorem ſobrinum *Heinricum Hezelum*, Cæſarem renunciandum exiſtimârunt. Iam enim Heinricus ille, mortuo Othone filio Ludolphi, nepote Othonis I. cui patruus ſuus Otho II. Bo- *Otho III. A.C. 984.*

iariam tribuerat, ab exilio, in quod ob affectatū regnum ab Othone II. patruele ſuo actus erat ad eiusdem Boiariæ adminiſtrationem & poſſeſſionem redierat. Quare cum iterum in magnam ſpem ſummi Principatus veniſſet, Othone impubere, vt agnatione proximus, in ſuam tutelam & cuſtodiam recepto, imperium quaſi tutorio nomine adminiſtrare conatus eſt. *Creſcentius* quoque Nomentanus, regni cupiditate inductus, populo Romano perſuadet, ut animum ad occupandum dominatum, quem antè habuerat, adiiciat; per facilè eſſe hac opportunitate oblata, rerum ſumma potiri. Et *Lotharius* Rex Galliæ, indignè ferens, tum Imperii maieſtatem à *Carolo* Magni Francorumq; gente ad Saxones translatam eſſe, tum Lotharingiam imperii iuris ditionisque factam, non modò eam armis invadit, ſed & in Germaniam cogitans, Verdunum, capto præſide eius Gotefrido, expugnat. Quibus rebus adducti Principes, tandem *Othonem* ex poteſtate Heinrici vindicatum, ſucceſſorem patri ſuo deſignant, Cæſaremq; anno poſt Chriſti natalē C M. LXXXIII. ſolemni ritu Aquisgrani inaugurant.

Cæſar factus Anno 983.

Otho ut primùm per ætatem potuit, & ad ſuas & imperii in Germania res conſtituendas XI. annos incubuit. Dum hæc ab eo geruntur, interea *Lotharius* Rex Franciæ diem ſuum obit. Succeſſor ei fuit in regno filius Ludovicus, qui anno pòſt vitam cum morte commutat. Regnum jure pertinebat ad patruum eius Carolum filium Ludovici, Caroli ſimplicis nepotem, ad quod & Franci eum vocabant. Illo autem rem ad conſilium deferente *Hugo*

te, *Hugo Capetus* Hugonis Magni Pariſiorum & Andium comitis, ex antiquiſſimo illo & clariſſimo genere Witikindi Saxonis oriundi, & Harridis Othonis I. ſororis filius, regnum Franciæ occupat: Id quod ſæpè antè à parentibus eius, ſed diſpari fortuna tentatum fuit. Primò enim Otho Hugonis patruus magnus, *Caroli* (qui Simplex dictus eſt) tutor, illud adeptus erat, quod eo mortuo Carolo reſtituebatur, deinde regnum iſtud Robertus eius avus, Othonis frater invaſerat; at ſimulatq; ad urbem Sueſſionum cæſus fuerat, idem Carolus receperat. Poſtea cùm Carolo filius Lotharius ſucceſſiſſet, Hugo Magnus eius pater, quãvis omnes vires intenderet, fruſtra illud ab eo ad ſe traducere molitus eſt. Ac tametſi Lothario mortuo, *Ludovico* filio eius capto, regnum magna ex parte ſubegerat: tamen Otho I. Imp, Ludovico, cui in matrimonium collocaverat ſororem Gerburgam, viduam Giſelberti Lotharingi, ex poteſtate eorum aſſerto, id recuperavit. Verùm multò meliori ſucceſſu idem Hugo Capetus eſt conſequutus. Hoc enim poſteri eius ad hodiernũ uſque diem retinent. Etſi verò *Carolus Lotharingiæ* Dux ad quem regnum hoc jure hæreditario delatum erat, id armis vindicare nitebatur: tamen res ei non ſucceſſit, ſed, dum jus ſuum contra Hugonem perſequitur, Lauduni, opera & proditione Anshelmi illius civitatis præſulis, ab Hugone captus, & Aureliæ in carcerem conditus eſt. Ut igitur antè Imperii faſtigium, ſic tũc regni Francici ſumma à Caroli ſtirpe ad Saxones, ex una eademq; familia profectos, pervenit. Ita contigit, ut non ſecus

Hugo Capetus occupat regnum Galliæ.

Saxones.

cus atque ex Caroli genere natos, ſimul & G
mania Imperatores & Galliæ Reges Francos ha
ret; & ſic uno eodemque tempore ex Witeki
gente Saxones, & in Germania imperarent, &
Gallia regnarent.

Iiſdem temporibus *Othone* III. in Germa
commorante, Romæ contentiones & motus
Pontificatu exorti ſunt. *Benedicto* VII. vita func
Johannes XIIII. ſubrogatus erat. Qua re cogn
Bonifacius (qui ante Benedictum ſe Pontific
abdicare coactus, ſpoliatis templis & ſurreptis th
ſauris, expilatoque Romanæ Eccleſiæ ærario C
ſtantinopolim clàm fugerat) Romam reverſu
peſſimis quibusque mercede conductis, & larg
tionibus ſibi conciliatis, eorum opera, & m
Iohannem hunc cepit, & in molem Hadriani
clusit, ubi (ut eſt apud pleroſq; authores) carce
moleſtia, inedia & animi dolore confectus; ut v
rò quidam ſcribunt, mandato Bonifacii necat
vitam finiit. Ipſe autem Bonifacius poſtquam
Pontificatu vi occupato, paucos ei menſes præfu
iſſet, ſubita morte interiit. Itaque quod propt
ſcelera & flagitia ſua populo Romano exoſus eſſ
eius cadaver gladiis & lanceis confoſſum, unc
ſeu (ut alii referunt) fune ad pedes alligato, per t
tam urbem tractum eſt. Inde Pontifex declar
tus eſt Iohannes XV. quem, cùm Creſcentius co
ſul Romanus ſibi urbis imperium ſumeret, e
dominatione offenſum, ex urbe in Hetruria
ſeceſſiſſe, ac Othonem III. in Italiam vocaſ
Blondus ſcriptum reliquit. Poſtquam id anima
vertit Creſcentius, quòd ne Cæſar in Italiam pr
ficiſc

Paparum ſcelera.

Creſcentius.

ficiſceretur, magnopere ſibi præcavendum exiſtimaret; apud amicos Pontificis effeciſſe, ut ad reditum eum moverent, ſe imperata eius facturum: Suorum igitur precibus Iohannem ceſſiſſe, ac venienti ad urbem Creſcentium cum omnibus magiſtratibus & plebe Romana obviam proceſſiſſe, ac in templum Lateranenſe deduxiſſe, & in eius veſtibulo Creſcentium omnesq; ſeditionis authores, ab eo veniam ſupplices petiiſſe, eaque impetrata ſumma obſervantia illum proſecutos eſſe, atque nono anno Pontificatus eius Othonem in Italiam veniſſe, idem teſtatur. Sed quod huic Iohanni xv. filio Leonis cuiuſdam ſacrificii Blondus adſcribit, id reliqui ferè omnes, qui res geſtas Pontificum Romanorum memoriæ mandârunt, Iohanni xvi. filio Roberti attribuunt, qui Iohanni xv. ſuffectus eſt. Sunt & qui hunc xvi. nominent, illum xvii. loco ponant. Ut autem his non aſſentior, ſic & à Blondo diſſentio. Nam vetuſtiores annales à morte Bonifacii ad hunc Gregoriũ Quintum, duos Pontifices, Iohannis nomine xv. & xvi. non, ut Blondus, unum tantùm numerant. Ac quidem eorum, qui vitas Pontificum literis ſunt complexi, præcipui ſcriptores nominatim Iohanni illi xv. infeſtos Romanos fuiſſe commemorant, quod DEI honore, & Romanæ ſedis dignitate poſthabita, humana divinaque omnia cognatis & affinibus ſuis ſit elargitus. Hanc labem ita in poſteros peruaſiſſe queruntur, ut ad ſuam quoque ætatem permanârit. Nihil autem depravata hac conſuetudine pernicioſus dici aut excogitari poſſe, iidem diſertè ſcribunt. Hinc enim fieri, quod

Iohannes XV.

Pontificum Simonia.

quod ſacerdotes non ob religionem & DEI cultum Pontificatum appetant, ſed ut vel propinquorum, vel familiarium ingluviem & avaritiam expleant.

Hæc illi ipſi Pontificij ſectatores, de fœda illa & impia conſuetudine Pontificum, qui perinde atq; ſi eis imperium aliquod hæreditarium datum, non religioſa functio commiſſa eſſet, domeſticas cupiditates Eccleſiæ utilitati & ſaluti anteponere ſolent.

Porrò qua via Pontifices facti ſint, Platina in Sylveſtro III. oſtendit, cùm eò tum Pontificatum deveniſſe ait, *ut qui plus largitione & ambitione, quàm ſanctitate vitæ & doctrina valeret, is eum dignitatis gradum, bonis oppreſſis & reiectis, obtineret: quorum morem utinam* (inquit) *aliquando non retinuiſſent noſtra tempora. Sed hoc parum eſt, peiora, ni DEUS caveat, aliquando viſuri ſumus.* Veriſſima profectò vaticinatus eſt Platina. Quis enim non videt, quò, peſſimo & inveterato more, prolapſa ſit Eccleſia? Pontifices Romanos ad dominatum orbis, non ad curationem animorum ſpectare, cupiditatibus libidinibusq; ſuis indulgere, non rebus populi Chriſtiani neceſſariis ſtudere; in opum & potentiæ ſuæ amplificationem, non in cœleſtis doctrinæ & gloriæ Chriſti propagationem incumbere; Principatum ſuum fraudibus, vi, Regumq; præſidiis, non authoritatem Eccleſiæ legitima diſceptatione, veteriq; diſciplina tueri; denique Eccleſiaſticam dignitatem & immanem illam potentiam non ad religionis integritatem, non ad populi Chriſtiani utilitatem, non ad piorum

piorum ſalutem, ſed ad perniciem religionis & excidium Chriſtianorum hominum convertere. Nam quibus curæ eſt, vt religioni ſua puritas reſtituatur, corrupta docendi ratio corrigatur, vitiata diſciplina emendetur, contaminatæ ceremoniæ repurgentur, hos facultatibus ſuis ſpoliant, hos ignominiis, vinculis, exiliisque mulctant, hos exquiſitis ſuppliciis excruciant, hos inſatiabili crudelitate & tyrannide trucidant.

Sed quò me à narratione rerum ad hanc querimoniam animi dolor abripuit? Omnino acerba tantarum Eccleſię calamitatum cogitatio me longiùs provexit, quam mea fuerat voluntas, & in hoc dicendi loco inſtitutum. Neque verò plures eo loci Iohannis nomine in Pontificibus recenſeri Blondus diſſimulat, ſed hac in re magis Lateranenſem Bibliothecarium, quàm alios annalium Pontificorum ſcriptores eſt ſecutus. Itaq;, ut modò indicavi, eorum mihi ſententia probatur, qui à Johanne xvi. Othonem in Italiam accerſitum prodiderunt, qui non multò pòſt è vita exceſſit, quàm in Italiam Otho venit.

Quare in Pontificatus Procuratione, authore Othone noſtro, conſtitutus eſt eiuſdem propinquus Bruno, qui Gregorius V. eſt appellatus. Hunc filium Othonis Ducis fuiſſe dubium non eſt. Sed alii Ludolphi, filii Othonis I. alii Conradi ſapientis eiuſdem generi ex Ludgarda filia nepotem fuiſſe tradunt: uterq; enim filium habuit Othonem, quorum ille Sueuiæ & Boiariæ (ut ſuprà dixi) hic Franconiæ Dux fuit. Maior tamen eorum numerus eſt, qui Brunoni Ludolphum avum fuiſſe ſta- *Gregorius V.*

tuunt. Ac licet in contraria ſit ſententia *Joh annes Avētinus*, rerū Germanicarū bonus inprimis Scriptor, tamen in hoc capite aliis, q̃ ei accedere malo.

Othonis geſta in Italia. Ut igitur ad urbem acceſſit Otho, ſumma, ut videbatur, omnium voluntate receptus eſt. Itaque Creſcentio eiusque aſſeclis præterita condonat, & monet, ut in reliquum dominandi cupiditate & ſeditionibus abſtineant. Creato (ut dixi) Pontifice Gregorio V. Otho ab eo conſecratus Imperator, poſtquam Capuanos & Beneventanos Romanis vi atque armis placaſſet, in Germaniam reditum parat. At Romani iniquo animo ferentes, Pontificem ſibi Germanum hominem ab Othone impoſitum eſſe, à Creſcentio rerum novarum & ſummæ poteſtatis cupido concitati, Gregorium V. minis perterrent, convitiisq; exagitant; & pecunia corrupti Iohannem Placentinum Epiſcopum, natione Græcum, hominem ditiſſimum, Pontificem ſalutant, & Gregorio opponunt. Quocirca Gregorius, ut rebus ſuis conſuleret, ad Imperatorem contendit, qui vix dum Italia exceſſerat. Interea Creſcentius, qui ſpecie Conſulatus in urbe dominabatur, cùm quid uſu venturum eſſet opinione præcepiſſet, ut Imperatori reſiſtere, eiusque obſidionem & imperium ſuſtinere poſſet, urbem opere & præſidiis munit, omnibusque rebus ad defenſionem neceſſariis inſtruit. Otho Imperator iniuriis Gregorii, & Creſcentii ſuorumque complicum inſolentiâ vehementer commotus, quàm maximis potuit itineribus in Italiam reverſus, magnis ad urbem adductis copiis, eam vallo cinctam obſedit. Romani

cum

cum viribus impares eſſent Imperatori, nec famem diutius ferre poſſent, ad fidem & miſericordiam eius confugientes, urbem ei dedunt; Creſcentius & Iohannes in molem Adriani antè munitione firmatam ſe receperant, ſed non multò pòſt in Imperatoris poteſtatem veniunt, qui Creſcentium naſo auribusque abſciſſis, omnibusque membris truncatis, vili jumento averſa facie impoſitum & per totam urbem circumductum, tandem ad portam cum ſeditionis Principibus ſuſpendit: Iohannem oculis naſoque privatum, de Capitolio præcipitem dat, cæteros primates, conſiliorum Creſcentii conſcios & adiutores in exilium in Saxoniam mittit. Sunt qui Creſcentium ſtatim trucidatum, Iohannem, oculis effoſſis, unà cum aliis Senatoribus ſuarum partium in exilium proiectos referant. *Roma deditio.*

His rebus peractis & Gregorio V, in Pontificatum reſtituto, cùm Otho noſter, quanta detrimenta Reip. Chriſtianæ pernitioſis de principatu contentionibus inflicta eſſent, animo colligeret, cùm quas ob affectationem Imperii, cùm alii exteri, tùm præſertim Itali (quos cæteris ad cupiditatem regnandi procliviores eſſe cognoverat) turbas moviſſent, & conſpirationes contra Imperatorem conflaſſent, memoria repeteret; cùm quòd liberis careret, ad eos qui aliis authoritate & virtute præſtarent, ſummam rei electione pervenire vellet; cùm deniquè dignitatem apud Germanos manere, eiusque domicilium & ſedem in Germania ſtabilire cuperet, ut & ſeditionum cauſas tolleret, & exteros ab ambiendo Imperio ſubmove- *Electorum inſtitutorum cauſa.*

moveret, & tantum decus patriæ conſervaret, re diligenter cum Pontifice & imperii Proceribus, quos ſecum Imperator adduxerat, deliberata & tractata, conſtituerunt, *ne aliis quam Germaniæ Principibus eligendi Cæſarem jus poteſtasve eſſet; non alium quam Germanum Regem Romanorum deſignarent; neu, niſi cui Germani Principes imperii ſummam tradidiſſent, Pontifices Imperatorem conſecrarent.*

Decretum de electione Cæſaris.

Hac lege de Cæſaris electione Romæ promulgata, Imperator Otho in Germaniam rediit. Etſi autem hoc decretum Itali, aliique exteri populi graviſſimè tulerunt, auſi non ſunt tamen apertè labefactare vel convellere.

Hinc vetus illa & conſtans manavit opinio, id temporis ſeptem conſtitutos eſſe Germaniæ Principes viros, qui eligendi Cæſaris poteſtatem haberent, quos hodie *Imperii Electores* ſeu *Septemviros* vocamus. quo in numero ſunt tres Antiſtites, *Moguntinus, Colonienſis, ac Treuir*, & quatuor alii Principes, *Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ & Marchio Brandeburgicus.*

De hac communi ſententia dubitavit M. Antonius Sabellicus, qui ut affirmat, tum *Gregorium* V. Pontificem legem tuliſſe, *ut ſolis Germanis Principibus liceat Imperatorem ſive Cæſarem eligere*; ſic id ne temporis Septemviri illi, quos ex Blondo commemorat, an poſtea ſint inſtituti, parum ſe compertum habere ſcribit. Albertus quoq; Crantzius, quamvis perinde ac Blondus & Sabellicus id inſtitutum acceptum ferat Gregorio V. nominatimque ſeptem illos Electores recenſeat, tamen & Regem

Sabellic. Ennead 9. lib. 2.

Regem Bohemiæ demum à *Carolo* IIII. ijs adiectum exiſtimat; & an id temporis tum tanta poteſtate, quanta hodie, præditi, tum ad concilium advocati fuerint, cùm *Conradus Salicus Henricum filium* ſibi in Reip. procuratione ſubſtituit, omnino ambigit; eoque magis, quòd tunc Marchio Brandeburgicus, omni ſua ditione à Wandalis exutus, ex fructibus Sacerdotij Magdeburgi privatus viveret.

At ab hac recepta opinione non modò clarè diſcedunt, ſed & diſertè eam improbant & redarguunt, Iacobus * *Spigelius*, eodemq; teſte Ioannes *Stabius*, Maximiliani I. Cæſaris Hiſtoricus, & *Hermannus Comes Nuenarius*, rerum Germanicarum imprimis peritus, Iohannes *Aventinus*, *Onuphrius Panvinius*, & *Caſparus Peucerus*, diligētes ſanè & accurati Hiſtoriarū & annalium Scriptores.

* *In annotationibus ſuis ad Gunther. Ligur. lib. 1.*

Controverſia hæc, maximi illa quidem momēti, Germanorumq; hominum cognitione digniſſima, non eſt perſpicua, ſed multis & vetuſtatis involucris implicita, & inſcitiæ tenebris occultata. Etſi verò de hac magna, obſcura & ad explicandum difficili quæſtione etiam atque etiam nobis quęrendum exiſtimo; tamen id huius temporis & loci non eſt: Itaq; eam paucis attingemus, quemadmodum inſtitutum noſtrum poſtulat; aliàs fortaſſe de ea accuratiùs & copioſiùs diſputabimus.

Ac quidem, quod à quibuſdam annotatum eſt, nihil id temporis ab Othone noſtro, Imperij ordinibus, & Pontifice de jure eligendi Imperatoris, in Germanorum Principum gratiam cōſtitutum eſſe, ſed Gregorii X. demum temporibus; ut verū eſſe

poſſit,

poſſit non video. Neque enim tot, non modo noſtræ memoriæ, ſed ſuperiorum ſeculorum Scriptores, tum Germani, tum Itali, tum iuriſconſulti, tum Hiſtorici, conſtitutionis illius, qua ius creandi Imperatorem Germanis tributum eſt, meminiſſent, ſi id non in literarum monumentis ſcriptum inveniſſent. Valet quoque apud me plurimum, quod ipſi Pontifices Innocentius * III. & (a) Innoc. IIII. jus hoc & dignitatem antiquitus Germanis competiiſſe, apertis verbis ſint teſtati. Neq; verò id unquam poſteritati commendaſſent, niſi eis ita conſtitiſſet, ut in dubium vocare non potuiſſent. Nam omnes ſuos nervos in eo cõtendebant, ut Imperii dignitate & potentia imminuta, ſuam amplificarent. Quinetiam aliquid ad hanc quæſtionem arbitror pertinere, quod & Sigebertus & alii annalium Scriptores tradunt, Romanos in *Othonem* III. in emendationem regni & Eccleſiæ incumbentem, conſpiraſſe, id quod infrà pluribus exponam. Nam non ſolùm Pontifices decretum illud Lateranenſis concilii aliquoties re ipſa infregerant, quo *Romanis ſine Imperatoris authoritate & voluntate Pontificem eligere vel conſecrare jus non erat*, unde etiam ſæpè renovandum & confirmandũ ab iiſdem fuit; verum etiam multi poſt obitum *Carolomanni*, Italiæ & Boiorum regis *Ludovici* Germaniæ regis filii, regnum Italiæ occupaverant. Ita & Berengarius, Eberhardi Ducis Foroiulienſis filius, contra *Arnolphum* Carolomanni filium, & legitimum imperii, & regnorum hæredem atque ſucceſſorem uſurpavit. Imò verò Imperator conſecratus eſt à *Sergio* III. viro (ut

Origo Electorum ab Othone III.

* *Venerabilé de Elect.*

a *Ad Apoſtolic. de re iud. in 6.*

Can. 21. diſtinct. 63.

Sergius Papa ſceleſtus.

(ut Onuphrius in Formoſo ait) omnibus luxuriis dedito, qui in delitiis habuit nobiliſſimam illam meretricem *Marociam*, cuius vi & aſtu Pontificatum nactus eſt, & ex qua nothum *Iohannem* XII. cuius ſuprà memini, ſuſcepit.

Hîc autem præterire non poſſum, quin illum Platinæ locum referam, quem, cum huius Sergii flagitioſam vitam, & crudele atque immane facinus in Formoſi cadaver commemoraſſet, ſubiicit: *Vide quæſo*, inquit, *quantùm iſti degeneraverint à maioribus ſuis? Illi enim viri ſanctiſſimi dignitatem ultro oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Chriſtianæ vacantes: Hi verò largitione & ambitione Pontificatum quærentes, & adepti, poſthabito divino cultu, inimicitias, non ſecus ac ſæviſſimi tyranni, inter ſe exercebant, ſuas voluptates poſteaſecuriùs expleturi, cùm nullibi extarent, qui eorum vitia coercerent.* Egregium verò Pontificii alumni de patronis ſuis Rom. Pont. teſtimonium. Sed ad id, quod propoſitum eſt, revertor. *Platinæ locus de Papis.*

Eodem quoq; tempore *Guido* ſive wido, Dux Spoletanus, eiusque filius *Lambertus*, ad regnum imperiumque Italiæ aſpirârunt, quorum ille à Stephano VI. hic à Formoſo Pont. diademate Imperatorio coronatus eſt. Omitto *Rudolphum* Burgundionum Regem, *Hugonem* Comitem Arelatenſem, atque huius filium *Lotharium*. Sic Berengarius Iunior, ſic filius eius Adalbertus, ſive Albertus, Italiæ regno ab *Othone* Imper. (ut ſuprà indicavi) exacti; ſic Creſcentius urbis dominatum invadens, ab Othone noſtro, ignominioſo ſupplicio affectus eſt. Hæc igitur cauſa fuit Othoni, cùr

ni cur priſtinum jus & dignitatatem Eccleſiæ afflictæ, & regno quaſi lacerato reſtituere Romæ conaretur.

An autem tum ad ſex illos vel ſeptem, à quibus hodie Imperator eligi ſolet, poteſtatem illam creandi Cæſaris aſtrinxerit, equidem haud ſcio. Id ſatis conſtat, Bohemum, nec regium nomen, nec illam dignitatem tunc obtinuiſſe, Nam *Uratislaus* demùm ab Imperatore *Heinrico* IIII. primus Rex Bohemiæ, in concilio Principum Moguntiæ, Anno Chriſti MLXXXVI. eſt appellatus; ſed cùm regium decus homini, non provinciæ, datum exiſtimaretur; atq; ideo tum Conradus frater, tum Biſetislaus, Boleslaus, Borzivislaus, filii Uratislai Regis, Ducis tantùm, non Regis nomine uſi eſſent; Uladislaus quarto loco eodem Uratislao natus, iterùm à *Friderico* I. ſuo hæredumq; ſuorum nomine regiam dignitatem eſt conſecutus. Hoc ſe in Hiſtoria Bohemorum ſcriptum reperiſſe, * Æneas Sylvius prodit. Atq; ita intelligendum eſt quod * Radewicus tradit, Ladeslaum Ducem Bohemorum à Friderico I. & Imperij principibus Veſontione, An. Domini MCLVIII. Regem eſſe declaratum. Eodem & hi Ligurini verſus ſunt referendi:

Rex Bohemiæ.

** In Hiſt. Boh lib. 3. cap. 13. & cap. 24.*
** Li. 3. c. 13.*
** Lib. 6.*

Hoc quoq; conventu Procerum Dux ille Boemus,
Fama Ladeslaum quem nominat, obſita geſta
Fortiter & bello nuper ſpectata Polono,
Ex Duce Rex fieri meruit, geſſitq; potenti
Sceptra manu, cinxitq; novo diademate crines.

Tantùm autem abeſt, ut Bohemiæ Duces iis comitijs, quibus *Heinricus* Claudus, *Conradus* Salicus,

licus, *Heinricus* Niger, Cęſares renunciati ſunt, interfuerint, ut etiam Imperio Germanorum, cui tributum pendebant, infeſtiſſimi eſſent. Etenim ex ijs Spitigneus tanto odio in Germanos exarſit, ut non modò omnes alios Bohemiâ excedere juſſerit, ſed nec matri quidem ſuæ Luthæ in eadem commorandi poteſtatem fecerit. Verùm patrem eius, quem alii Bitislaum, alii Boleslaum nominant, Heinricus II. Uratislaum eiusdem Spitignei fratrem, Henricus III. domuerunt, & imperata facere coegerunt. *Bohemi domiti.*

Nec præ cæteris Germaniæ Principibus, præcipuè Boiariæ, Sueviæ & Franconiæ Ducibus, & potentia & dignitate & authoritate & gratia multò præſtantioribus; præſertim cùm Othonem noſtrum, (ut ſuprà indicavi) cognatione attingeret, Marchionem Brandeburgicum, ab eo in Electorū Senatum cooptatum eſſe, inde cõijcere licet; quòd illum Imperatorem paucos ante annos quàm Romanos debellavit, Brandeburgum obſediſſe, Lambertus author ſit. *Brandeb.*

Iam verò *Heinricum Claudum* ſive Noricum *ab omnibus regni primoribus Cæſarem electum*, Otho Friſingenſis ſcribit. Sed & *Conradum* natione Frācum, conſilio Heinrici illius ſecundi Imperatoris *ab omnibus Regem Romanorum conſtitutum*, Otho Friſingenſis tradit. Verùm Urſpergenſis, Sigebertus, & plerīq; alii annalium Scriptores, *diſcrepantes de eius electione ſententias Principum fuiſſe* memoriæ mandârunt, id quod veriùs eſſe cenſeo. Moguntiæ etiam *omnes Germaniæ Principes præter Magnum Saxoniæ Ducem conveniſſe*, ab Urſpergenſi referun-

referuntur: nominatim autem LII. vel eo amplius unà fuiſſe tradit, qui inſtinctu Pontificis *Henrico* IIII. Imperium abrogârint. Idem narrat, in eius locum *Heinricum* V. repoſitum, primùm à Patre, deinde ab univerſis Germaniæ Principibus Regem creatum. Quid quòd *Heinricus* Superbus, & Saxones, atque alii Principes, eidem Heinrico Imperium affectanti addicti, *Conrado* (ut Friſingenſis teſtimonio cognitũ eſt) crimini dederint, quod non *de communi Germaniæ Principum voluntate*, atque ideò vitioſè Cæſar declaratus fuerit. Nam licet Lothario defuncto, conventus univerſorum Procerum Moguntiæ indictus eſſet, tamen cùm quidam timerent, ne Heinricus id temporis præcipui nominis & dignitatis, Germaniæ Princeps propter potentiam, qua cæteris præſtabat, ſummam rei ad ſe traduceret, Confluentibus, Cõrado imperium tradiderunt, Atque Aquiſgrani ritu ſolemni initiârunt. *Friderici* quoq; I. electioni *univerſum Principum robur interfuiſſe*, idem Otho Friſingenſis Præſul * ſcribit. Item Guntherus Ligurinus * his verbis:

Lib. 2. c. 1.
Lib. 1. de rebus geſt. Frid. 1.

Acturi ſacra de ſucceſſore corona,
Conveniunt Proceres, totius viſcera regni.

Ac ſpeciatim quoſdam paulò pòſt inducit in eo conſeſſu, deliberantes, cui ſumma rerum deferenda eſſet, in hunc modum:

Sic poſtquam ſedere Duces, dubioq; volutant
Pectore, cui tanti regni tribuantur honores,
Saxones, & quorum Ripuaria nomine tellus,
VVeſtphaliæq; urbes, & Norica jura regentes,

Allobro-

Allobrogumq; Duces coeunt, Cymbriq; feroces,
Quos perfuſa ſuo pugnax Germania Rheno
Miſit, & à magno tellus ſignata Luthero,
Vindelici, Rhetiiq; ruunt, quos Suevia nutrit,
Quosq; Carentinis collimitat Auſtria campis,
Quos Lycus, & tumidis Iſter prælabitur undis,
Quaq; ſuos urbes huc direxêre potentes,
Claraq; Teutonici coierunt nomina regni.

Ripuariam tellurem Spigelius interpretatus eſt de ea, quæ trium fluminum, Rheni, Moſellæ & Moſæ ripis clauditur. Ego Ripuariorum nomine eos intelligo, qui ripas Mœni & Rheni accolunt; quas olim Franci * tenuerunt: Nam inde eos Ripuarios dictos, argumento eſt lex Ripuaria iis ſcripta, ut Francis Saliis, lex Salica, qua de re aliâs pluribus diſſerui. Hinc * Radewicus *Fridericum* I. ex Boiaria Ripuariorum fines ingreſſum, & inferioribus Rheni partibus peragratis, Luthram divertiſſe refert, quod iter * Ligurinus his verſibus deſcribit:

Ripuarij.

* *B. Rhenanus lib. 1. p. 55.*

* *C. 14. l. 3.*

Luthra.

* *Lib. 6.*

His benè compoſitis Ripuaria Cæſar in arva
Tendit, & extremos Rheni percurrere fines
Accelerat, pacemq; locis & jura reformat:
Gentibus; hanc cunctis gaudens præponere curis,
Ne qua parte ſui nutantia regna relinquat
Rector, ad Italicos moturus ſigna labores.
Rurſus Vangionum campos, Luthramq; reviſit,
Regalesq; ſibi quos ſtruxerat ipſe penates,
Incoluit, &c.

Allobrogum Ducum appellatione intelligit non modò eos, qui Sabaudiam tenebant, ſed & quibus Burgundia ſubiecta erat. Nam *Renaldum*

Allobroges.

Burgundum, cujus filiam *Fridericus I.* Imper. in matrimonium duxerat, Comitem Allobrogum idem * Ligurinus vocat:

* *libro 5. de conjugio Reinaldi & Beatricis.*

Quam Comes Allobrogum, regum de gente vetuſta
Ortus, & ipſe ſuis Reinaldus clarior actis
Progenuit, moriensq; tuos Burgundia fines, &c.

Hinc in eleganti illa deſcriptione earum gentium & populorum, qui cum Friderico I. in Italiam ſunt profecti, etiam Allobroges, id eſt, Burgundos numerat, quos in dotem Auguſto Imperatori attulerat.

Allobroges dotalia læti
Arma movent.

* *libro 5 de finibus Burgundiæ. Arelat.*

Eodem verbo etiam Regnum Arelatenſe * Ligurinus complectitur:

Quæq; caput regni, ſedesq; fuiſſe vetuſti
Fertur Arelatum, priſcorum curia regum,
Teq; ſibi jungens æquo Provincia jure, &c.

Nam Regnum hoc erat juris Imperii, quod ei, Conrado Saliquo rerum potiunte, Rodolphus ultimus Burgundiorum Rex teſtamento reliquerat. Itaq; quod *Bertoldus Zeringenſis* Dux ex familia illa Ducum Burgundiæ ortum haberet, & Sab-

Li. 2. P. 56.

audiam poſſideret, eum Ligurinus Ducem Allobrogum appellat:

Allobrogumq; Ducem, cujus ſub jure fatigat
Lenis Arar placidas Rhodano quas commodat undas,
Huic nomen Bertholdus erat, &c.

Cymbri.

Cymbros accipit Spiegelius de ultimis Saxonum, aliisq; extremis Germaniæ in littore Oceani habitantibus populis. * Albertus Crantzius Danos, Wandalos & Saxones, ea loca incolere dicit,

* *Lib. 1. c. 8. & 9. Saxonia.*

quæ olim Cymbri tenuerunt. Reliquorumq́ nominum ſignificationes notæ ſunt. Neque verò dici poteſt vel Burgundos, vel regni Arelatenſis gubernatores, vel Sabaudos, vel omnes Cymbrorum, Noricorum, Bojarorum Principes, vel Lotharingos, vel Vindelicos, vel Rhetos, vel Suevos, vel Auſtrios, vel Carinthios, vel Carnos, alióſve Germanici ordinis proceres, Iſtri accolas, in numero eorum ſex aut ſeptemvirorum, qui ab Othone noſtro Electores lecti eſſe traduntur, habitos, nedum omnes illos populos ſub eorum ditione fuiſſe. Ac tametſi ſummæ tum potentiæ eſſet *Heinricus Leo*, cui maxima pars Noricorum, Bojarorum, Saxonũ, Cymbrorum, Weſtphalorum parebat; tamen nihil vel ei, vel Palatino Rheni, vel Marchioni Brãdeburgico juris imperiiq́; fuit, aut in Allobroges, aut in Lotharingiam, aut in Sueviam, aut in Rhetiam, aut in Auſtriam, aut in Carinthiam, Carniamve: Nam id temporis Palatinus Rheni Gotefridus à quibuſdam fuiſſe proditur, qui originem duxit à Francis. Equidem tunc *Palatinatum Rheni Hermannum* tenuiſſe arbitror, quem * Crantzius ait fratrem fuiſſe Ludovici Thuringiæ Landgravij, unde & Haſſiæ Princeps à quibuſdam dicitur, cui uxor fuit Gertrudis, filia Conradi Marchionis Miſnenſis. Movet me * Ligurini authoritas, qui de eo ita:

Henricus Leo.

Palatini.

* *Lib. 6. c. 41.*

* *Lib. 5.*

--- Hermannusq; ſacræ Comes inclytus aulæ,
Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno.

Et:

Ille Palatinæ cuſtos celeberrimus aulæ
Non potuit vitare Comes.

Marchio Brandeburgicus erat tum Albertus Urſus è gente Anhaldina & Aſcanienſi, cuius in hunc modum * Ligurinus meminit:

* Eodem lib. 5.

Saxonicaq́, potens Albertus Marchio terra:

Bohemiæ Dux erat, Uradislaus, quem alii Bebislaum vocant, qui Friderico I. poſtea Rex Bohemiæ eſt creatus, ut modò oſtendi.

* Hi nominatim enumerantur à Radevvico lib. 3. c. 11.

Regni Arelatenſis Principes fuerunt * Vienneſis & Lugdunenſis Antiſtites, Valentinus, Avinionēſis Præſules, Sylvius Arelatenſis, ut Aventinus, de Claria, ut Radewicus, potens Princeps.

* Lib. 5.

Burgundiæ & Sabaudiæ Reinaldus & Bertholdus (ut ſupra memini) præ fuerunt. Inter hos orta de diviſione ditionis ſuæ contentione, ita eam cōpoſuit Frid. I. ut Sabaudiæ pars Bertholdo cederet, reliqua Reinaldus retineret, qua de re ita * Ligurinus:

* Lib. 5.

Has inimicitias tandem ſub tempore noſtro
Regia ſopivit tali ſolertia pacto;
Scilicet ut geminas illis in finibus urbes,
Lauſannam, gelidaq́, ſitas in [...]pe Gebennas
Bertholdus regeret, reliquas Reinaldus haberet.

Zaringia dux.

Item *Bertholdus Zeringenſis* Dux vicinam Helvetię partem, Voitlandiam, Briſgoiam, Turegum, & Rhetiam finitimam ſub ſuo imperio habuit. *Auſtriam & Bojariæ* partem Heinricus Auſtriacus, & Leopoldi frater, aliquam etiam partem VVelphus, præterea Conradus Comes à Dachauu, quem Fridericus poſtea *Croatiæ atque Dalmatiæ* Ducem præfecit, unde & Dalmaticum Ducem eum Ligurinus vocat. Ducatum Carinthiæ Heinricus, Hiſtriæ & Carniæ Engelbertus, Marchionatum Stiriæ Odagrius, Comitatum Tirolenſem

Lib. 7. p. 163.

Albertus

Albertus poſſederunt. Norici portionem *Schirenſes Palatini*, Vogburgēſe & Sultzbachij Comites. *Schirenſes Palati.* Franciam & Sueviā eiuſdem nominis Duces moderabantur, ut Fridericus filius Conradi III. quem * Nauclerus Ducem Rodenbergenſem appellat, * *Gener. 39.* ut ipſe Imperator, ut frater eius *Conradus*, cui poſt mortem Hermanni Imperator etiam tribuit Palatinatum Rheni. Hinc itā Ligurinus: *Lib. 2. P. 56.*

Inde Palatini gaudentem juris honore,
Unanimumq́ ſibi Conradum nomine fratrem,
Unam portarum ſocia virtute premebant *L. lib 7.*
Cognati juvenes, quorum Comes aulicus alter
Nomine Conradus, regis quoq́ frater; at illum
Ductorem Suevis Conrado patre relictum
Aequivocum, junctumq́ ſibi Fridericus amabat.

Partim etiam Bertholdus Zaringiæ, partim Hermannus Teckenſis Dux, partim Hugo Comes Palatinus Tubingenſis. Eodem tempore Conradus Miſnenſis, Hermannus Badenſis Marchiones, Ludovicus Turingiæ, Heinricus Alſatiæ Landgravij, VVilhelmus Comes Iuliacenſis, *Adolphus Holſatiæ*, Stormariæ atque VVagriæ Comites, Albertus Comes Palatinus Somersbergicus fuerunt. Prætermitto cùm multos alios Regulos, de quibus * Aventinus, tùm Saxoniæ, quos * *Lib. 6.* apud * Crantzium videre licet. * *Lib. 6.*

Huc accedit, quod in ijs comitijs deſcribendis, in quibus de eligendo Rege Principes diſſenſerunt, præcipuæ partes etiam alijs, quàm his Septēviris, atque adeò illis potius, quàm horum quibuſdam tribuantur. Nam *Conradus Salicus* Francus, quem ab Heinrico ſucceſſorem ſibi deſignatum

apud quoſdam ſcriptum extat, potiſſimùm per Aribonem ſeu Abbonem Moguntinum Antiſtitem, & Eberhardum Pabebergenſem ad imperii dignitatem pervenit; quam Erneſtus poſt mortẽ Hermanni ab *Heinrico Claudo* factus Dux Sueviæ, & Guelphus vel Vuelphus filius Rudolphi Dux Bojariæ ad orientem ſitæ, aliiq́ue ejus factionis ad Cunonem vel Conradum præpotentem, & ipſum Francorum Ducem deferebant. At nec Pabebergenſis, nec Dux Suevię, nec Bojarię orientalis in illorum Septemvirorum numero fuerunt.

Nam id temporis Palatinatum Rheni adminiſtrabat *Heinricus* filius Sigefridi (quem alii Sigebertum vocant) Franciçæ ſtirpis, cujus ſoror fuit Chunegundis Auguſta uxor *Heinrici Sancti* Imperatoris. Saxoniæ Dux erat Bernardus. Quis autẽ tum fuerit Marchio Brandeburgicus, parũ habeo explicare. Ac quidem *Heinricum Aucupem* Brandeburgo Vuandalorum urbi à ſe expugnatæ Præſidem impoſuiſſe, quem Marchionem appellârit, & Saxonum coloniam eò deduxiſſe, non eſt dubium. At quem conſtituerit, inter ſcriptores non convenit. Author * Annalium familiæ Anhaltinæ tradit primum illum Marchionem fuiſſe Johannem Stadenſem Comitem. Alii Sigefridum fratrem Mathildis conjugis Heinrici Cæſaris Comitem Ringelheymenſem; id quod probabilius eſſe cenſeo. Ille ab Johanne ſeptem Marchiones ordine deducit, Heinricum calvum, Heinricum Bonum, Theodoricũ, Sigefridum, Udonem I. Vdonem II. Rudolphum. Hi Sigeberto ſubſtituunt Gereonem Stadenſem, eiq; Bruniconem, cui ex Sicardo

Brandeb.

* *Lib.* 2. c. 4.

* *Cran. l.* 4. c. 34.

Sicardo nepotem Theodoricum aſſignant. Hunc Marchionatu à Miſtoveo Duce, Heinrici Claudi temporibus ejectum, omniũ conſentiens eſt ſententia. Itaq; cùm *Conradus Saliquus* imperio pręfectus eſt, vixit quidem Theodoricus, quem &, cùm is in imperio Heinricum filium ſibi ſubrogavit, ſuperſtitem fuiſſe Cranzius (ut ſuprà indicavi) affirmat, ſed ditione ſua omninò deſtitutus ex ſacerdotio ſe ſuſtentabat: Nam tum eam VVandalos, ſive Obotritos tenuiſſe certũ eſt. Sunt qui Vdonem filiũ Miſtovei, Theodorico ejecto, tum Marchionatu Brãdeburgico potitũ memoriæ prodiderint. *Lib. 4. Sax. c. 39.* *Lib. 2. Annal. Anhalt. c. 4.*

Neque verò adduci poſſum, ut credam, quod idem ille, qui Anhaltinorum Principum Hiſtorias confecit, non uno in loco aſſerit, jus eligendi Cæſaris, tum non apud Vdonem, alióſve Miſtovei ſucceſſores, ſed Marchiones Landſpergios fuiſſe; eaq́; propter Theodorico in electoratu Sigefridũ fratrem ſucceſſiſſe: nec *Albertum Vrſum* ſimulatq; poſt obitum Bribiſlai VVandali Marchionatum Brandeburgicũ adeptus eſt, ſtatim quoq; dignitatem illam eligendi Imperatoris conſecutum; ſed tum ex Marchionibus Lãdſpergiis Electorẽ fuiſſe Conradum Comitẽ Pleuſenſem vel Plyſnenſem, quem in itinere, cùm Lotharium Romam proficiſcentem ſequeretur, ſagittâ confixum narrat. Equidem ut in probatis literarum monumentis vix inveniri poſſe puto, Marchionibus Lãdſpergiis illis tẽporibus ſpeciatim Electoris dignitatem conceſsã; ſic quæ de Sigefrido tradit, nõ modò non cũ aliis Annalib⁹, ſed nec cũ ipſo Crãzio, quẽ authorem laudat, congruunt. Nam quæ Cranzius Sige-

Li.4. c.5.& 56. frido minori, ille tribuit majori, hoc eſt, fratri Theodorici. Nec Sigefridum filium Rudolphi Suevi (quem errorem etiam ipſa temporis ratio coarguit) ſed Luderum ejus amitam in matrimonio habuiſſe, nec Udonem I. ex Sigefrido, ſed ex Ludero genitum narrat. Quod verò Annalium teſtimonio hunc Udonem Marchionem factum ait, id opinor intellexit, quod eſt apud alios: Udonem illum Marchionatum Brandeburgicum ab Obotritis recuperaſſe, jam non Conrado illo, ſed Heinrico Marchione Brandeburgico defuncto, eum, Marchionatum à *Conrado* III. *Alberto*
Lib. 6. c. 8. *Urſo* collatum, Crantzius ſcriptum reliquit. Denique ne ſingula perſequamur, cùm in numero & ordine Marchionum, quos Electores fuiſſe ait, & notatione temporum, tum in eo ſibi ipſi repugnat, quòd refert Conradum illum ſagitta in itinere, Anno Chriſti MCXXX. cùm Lothariū Romam proficiſcentem comitaretur, interfectum; Albertum autem Urſum Anno MCLIX. expugnaſſe Brandeburgum arcem, quam Poloniæ Dux, Primiſlai propinquus, deditione ceperat. Quæ cùm non multò pòſt Primiſlai mortem accidiſſe oſtendat, quomodo conſiſtet, quod paulò antè ſcripſit, Primiſlaum Anno à natali Domini Servatoris MCIII. è vita exceſſiſſe. Sed tàm fœdis erroribus omiſſis, ad inſtitutum redeamus.

Rudolph. Cæſar illegit. Iam verò abalienatis ab Heinrico IIII. Germaniæ Principibus, *Rudolphum* Sueviæ Ducem, legatis Pontificis incitantibus, Sigefridus Moguntinus, Adalbertus VVirtzburgenſis, Hermannus Metenſis Præſules, Guelphus, Bertholdus, velut Lam-

Lambertus, Bertolfus Carentinorum, ut alij, Zaringiæ, Otho Bojariæ, Duces, Forchemij Cæſarem ſurrogant. Etſi verò ab ijſdem diem conſtitutum, quo cùm alij, tum Saxoniæ Principes, quibus Reſpub. curæ eſſet, frequentes convenirent, Lambertus tradit, & præter illos Principes etiam alios non nullos comitiis Forchemicis interfuiſſe, idem & Urſpergenſis generatim ſcribunt; tamen nullam mentionem ſpeciatim faciunt, vel Hildolphi Colonienſis, vel Udonis Trevirenſis Antiſtitum, vel Friderici, aut, ut alij, Cunonis Comitis Palatini, vel Magni Saxoniæ Ducis, vel Udonis ſive Othonis Marchionis Brãdeburgici, vel Uratislai Bohemi. Atqui vel ab his ipſis vel ab aliquo omnino eorum, qui Heinrici IIII. vitam conſcripſerunt, nominati fuiſſent, ſi præ alijs Principibus, Regis Romani deſignandi poteſtatem habuiſſent. Crantzius certè Rodolphum illum VVelphum, & Theodoricum quendam, (quem nonnulli Cadelburgenſem, vel ut Lambertus, Cadaleburgenſem, nonnulli Brennenſem Comitem fuiſſe tradunt) primores regni nuncupat. Huius rei id quoq; documento eſt, quod in eorum numero, qui jam antè contra Heinricum conſpiraverant, etiam memorentur Hanno Colonienſis Antiſtes, Magnus Saxo, & ut eſt apud Lambertum, patruus eius Hermannus Comes, (quamquam alij eundem Saxoniæ quoque Ducem, alij Marchionem vocent) Udo Marchio Brandeburgicus, Ecbertus Saxoniæ, ſive ut eſt apud alios, Turingiæ Marchio (Lambertus Adalberti Comitis Turingiæ meminit) Fridericus Pa- *Lib. 5. c. 6.* *Hoſtes Henrici IV.*

latinus Comes, &, ut quidam addunt, Saxoniæ. Ac licet ex hic pleriq; in poteſtatem Imperatoris venerunt; tamen quo tempore *Rodolphus* contra *Heinricum* Cæſar appellatus eſt, præter magnum Ducem Saxoniæ, omnes ferè reliqui liberati erant. Lambertus ipſum quoque Magnum ab exilio revocatum ait; ſed alij usque ad mortem in cuſtodia detentum produnt; quæ opinio ut communior, ſic & verior eſſe videtur. Quinetiam, poſtquam Rudolphus ab Heinrico ad Eliſtrum prælio ſuperatus, & graviter vulneratus occubuiſſet, Saxones & Suevi Regem Romanorum declaraverunt * *Hermannum* Lotharingiæ Ducem, eumq; Heinrico Imperatori Adverſarium obduxerunt; ſed id temporis præcipuus Saxoniæ Dux Magnus (ut jam dixi) in carcere vitam agebat.

* Crantz. lib. 5. c. 10.

Ex Sueviæ autem Proceribus nullus tunc in numerum Septemvirorum, qui Electores conſtituti vulgò dicuntur referri potuit. Nam primus Suevicæ gentis Palatinus Rheni factus eſt, Rempublicam gerente *Friderico* I. frater eius Conradus, ut ſuprà ſignificavi.

Ad hæc mortuo Heinrico V. cùm de ſucceſſore Principes deliberarent, quamvis opera Alberti Moguntini Antiſtitis Lotharius Saxo ad Imperij faſtigium ſit evectus; tamen & alios deſignatos fuiſſe, ut Fridericum Sueviæ Ducem, Leopoldum Auſtriæ Marchionem, Carolum Flandriæ Comitem, ex annalibus conſtat. Ac quidem *Conradum* Sueviæ Ducem à fratre ſuo Friderico, & aliis Regem electum fuiſſe, Otho * Friſingenſis, qui ea ætate vixit, aut ſanè ab ea non multùm abfuit, diſer-

* Lib. 7. c. 17

te

te ſcribit. Id quod fieri non potuiſſet, ſi non æquè Suevus atq; alius quiſquã, jus ſuffragij in comitijs Imperatorijs habuiſſet. Ex his igitur perſpici non obſcure poteſt, tũ illam poteſtatem & dignitatem creandi Cæſaris non tantùm illis Septẽviris fuiſſe.

Non opus eſt pluribus; addo tamen prætereà exemplum, idq; ad hoc argumentum ſatis illuſtre. Nam mortuo *Heinrico Frid.* I. Filio, cui Germaniæ Principes promiſerant, ſe in eius locum *Fridericum* filium ſuffecturos, cum is per ætatẽ Imperio præeſſe non poſſet, Innocentij III. impulſu factũ eſt, ut cui Reipublicæ procurationem traderent, inter ſe non convenirent. Pleriq; *Philippo* patruo, tutoriq; Friderici eam ſine controverſia cõmiſiſſent, niſi Pontifex ille criminationibus ſuis quoſdam Procerũ à ſententia deduxiſſet. Sed tamen (ut ex Urſpergenſi & Crãzio cognoſci poteſt) *Philippum* non deſeruerunt majori ex parte Principes, Saxones, Suevi, Boiarij, ex quibus nominatim cõmemorantur Magdeburgenſis & Bremenſis Antiſtites, Bernhardus Saxoniæ, Ludovicus Boiariæ Duces, Marchio Miſnenſis, (de cuius proprio nomine Scriptores diſſentiũt: Crãzius eum Othonẽ vocat, ſed veroſimilius eſt, fuiſſe vel Albertum, vel Theodoricum ſive Ditericũ, illius filios) qui eum cõventu Mulhuſiano, nõ habita ratione Bertholdi, Zaringiæ Duçis, à quibuſdam Cęſaris deſignati, rei ſummæ præficiũt. Urſpergenſis illis etiã Bohemos adiungit, quod & Cranzius innuit, qui Bohemum tum primùm à Philippo regẽ creatum, eius partes foviſſe ſcribit. Æneas * Sylvius quoq; Primislaum, Uladislai filium, ab hoc Cæſare in Bohemiæ

Principum Germ. diſſenſio de Frid. II. & Philipp.

Lib. 7. c. 15.

* *Cap. 27. hiſtor. Bohem.*

miæ Regem coronatum refert; ut verò ob repudium uxoris filiæ Othonis divitis Marchionis de regno ei abrogando Philippus Cæſar cum Duce Saxoniæ, & Marchione Miſniæ conſultaverat, tum illum unà cum Hermanno Turingiæ Landgravio, ad Othonem Heinrici Leonis filium, ab aliquibus regem ſalutatum tranſiiſſe, idem Crantzius author eſt (nominat autem Odoacrum; ſunt & qui Primislaum illum Othacarum dictum putant) quaſi totus Othoni deditus fuerit. At Æneas Sylvius, Ottocarum filium Primislai facit.

Philippus ergo, ut ad rem redeam, magno (ut eſt apud Crantzium) Principũ & prꝑſulum cœtu Moguntiæ congregato, conſecratus eſt. Itaque quòd ea de cauſa Bertholdus Philippo ceſſerat, eiusdem Innocentij III. inſtinctu, *Otho ille Dux Saxoniæ* à fratre ſuo Heinrico Comite Palatino Rheni, Adolpho Colonienſi, Conrado Argentinenſi Præſulibus, Rex Romanorum renunciatus, & Aquisgrani inauguratus eſt.

Atque hinc magna in Germania Reipub. eſt exorta perturbatio, quam Urſpergenſis & Aventinus Innocentij III. odio in Philippum expenſum ferunt, id quod & aliâs oſtendi. Cuius rei ſatis argumenti eſt * Epiſtola eius ad Bertholdum Zaringiæ Ducem, convitiorum in Philippum plena, qua electionem eius, tanquam vitioſam, improbat, & Othonis ceu legitimam confirmat. Quid autem ponderis habeant rationes quas adducit, aliùs eſt temporis explicare: hîc ſatis fuerit oſtendere, non minimam earum certiſſimo veterum annalium teſtimonio refutari poſſe. Nam

c. Venerabilem. Extra de elect.

Papæ vanitas

præter

præter Urſpergenſem illorum temporum æqualem, pleriq; ſuperioris ætatis rerum Germanicarum ſcriptores teſtantur, maiorem & potiorem Principum numerum fuiſſe, qui ad Philippum Imperium detulerint. Nolo ſingulos perſequi, uno contentus ero Crantzio, qui tamen Othonis IIII. familiæ perquàm ſtudioſus fuit. Is ait Philippum firmiſſimum robur Imperij in Saxonia, Suevia Boiaria, tenuiſſe, & omnia ferè præſidia in poteſtate habuiſſe; Othoni ſolam Coloniam cum quadam VVeſtphaliæ & Saxoniæ parte patuiſſe. Ipſe etiam Cardinalis Hoſtienſis in commentarijs ſuis * tradit ex annalibus apparere, duos tantùm ex Germaniæ Principibus, Othonem elegiſſe, Colonienſem Antiſtitem, alterum non nominat. Etſi verò Nauclerus cum Colonienſi etiam Moguntinum & alios quoſdam, Othonem ex Anguia ad Imperij gubernationem vocaſſe ſcribit; tamen idem ſubdit, totam curiam Imperialem, officialeſq; (ut vocat) imperatorios, & complures alios Principes à Philippi partibus ſtetiſſe. Hæc ſi cum illa Epiſtola contulerimus, quid inde aliud colligere poſſumus, quàm falſum fictumq; eſſe quod refert, *plures ex illis, qui eligendi Regem jure ac moribus obtinēt poteſtatem, Othonem ad Imperium provehere voluiſſe?* Sed ne prorſus impudens eſſe videatur, non id pro certo affirmat; ſed *perhiberi* ait: Illa autem verba plerique accipiunt de ſeptem Electoribus; id mihi ſanè planum non eſt: neq; enim fruſtra ab ijs, qui Imperatorum res geſtas poſteritatis memoriæ conſecrârūt, in Comitijs Mulhuſij habitis, Philippum regem elegiſſe memorantur

Lib. 7. Sax. cap. 1.

* *Add. c. Venerabilem. § objectioni in lect.*

rantur

rantur Magdeburgenſis& Bremenſis Prǽſules, Boiariæ Dux,& Marchio Miſniæ,ex quibus nullus id temporis in illorum Septemvirorum numero cenſeri potuit. Nam poſtea demũ & *Palatinatus Rheni* in Boiariæ Duces, & Ducatus Saxoniæ in Marchiones Miſnenſes eſt translatus; ille Friderici Secundi, hic Sigiſmundi temporibus.

Quæſtionis ſolutio. Quid igitur cauſæ eſt, *quærat aliquis*, cur Pontifex coarctârit illam facultatem ad certos Principes, cùm illis jus & poteſtatem eligendi Regem relinquit, *ad quos ea jure & antiqua conſuetudine pertineat*. Id tum ex illa ipſa Epiſtola, tum ex eius ætatis annalibus non eſt difficile intelligere. Nam quòd jam tum Coloniæ Bertholdus Rex appellatus eſſet, qui Mülhuſij convenerunt Principes, Adolphum Colonienſem Antiſtitem, ut qui contrariæ eſſet factionis, eò non vocarunt Conradus quoque Moguntinus Antiſtes, unà cum multis aliis Germaniæ Principibus, Heinrici Imperatoris auſpicijs in Aſiam & Ægyptum, adverſus Chriſtiani nominis hoſtes, profectus adhuc aberat. Ac tametſi pleriq; accepto de Imperatoris obitu nũcio, jam in Germaniam reverſi erant, tamen Moguntinus & Verdenſis Præſules in Aſia remanſerant, ut Imperatoris decreto Regẽ Armeniæ coronarent. At jam antiqua cõſuetudine inveteraverat, ut *Mogunt. Colonienſ. Epiſc.* Moguntinus & Colonienſis comitijs Imperatorijs interessent: cuius rei locupletes habemus Lambertum, Radewicum, & Ligurinũ teſtes, vetuſtos rerum Germanicarum Scriptores. Nam Lambertus Heinrico IIII. Radewicus Friderico I. Ligurinus Heinrico VI. imperantibus ſcripſerunt. Lambertus

tùs igitur in eodem Henrico Moguntino, quod in Germanis Antiſtitibus primario ſit loco, eligendi & conſecrandi Regis, præcipuam authoritatem eſſe tradit.* Ligurinus autem, qui* Radevvicum verſibus expreſſit, ita:

Ad proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præſul de jure vetuſto
Moguntinus habet; paſtori prima recentis
Agrippina tuo conceditur unctio Regis.

* Lib.3.c.16.
* L. b. 6.

Sed & conſecratio Regis olim à Moguntino fiebat. Itaq; ut eſt apud eundem Lambertum, cùm Heinricus III. filium ſuum Heinricum IIII. vellet ab Hermanno Colonienſi Antiſtite propter generis claritatem conſecrari, ægrè in id Moguntinus conſenſit, qua de re pluribus infra. Itaque eos incuſat, qui Philippum Cæſarem ſuſceperunt, quaſi abſentibus atque contemtis alijs, quibus id jus jam olim datum erat, in ijs comitijs perperam proceſſerint. Non igitur video quid cauſæ ſit, cur hanc Epiſtolam ad ſeptem illos viros conſtringere debeamus, & non ad alios etiam referre poſſimus.

Neque verò ignoro, Hoſtienſem verba ea accommodare ad ſeptem illos Electores, quorum nomina ſingulatim recenſet. Sed & is, & qui illius ſententiam ſecuti ſunt, hanc Epiſtolam, ut alia multa tum Iuſtiniani juris capita, tum Pontificia reſcripta magis ex ſuorum temporum obſervatione, quàm ex veteris memoriæ notitia ſunt interpretati. Non faciam ut id jam multis comprobem, uno tantùm exemplo oſtendam. Nam ſi quæ ſuperiorũ ætatũ interpretes de juriſdictione ſcripta

C. Venerabilem. §. verum. Vt Iohan. Andr. ingl. ult, c. ad Apoſtolica. de re. iud. in 6. ut Alb. Roſat. in verbo Electores Imperij.

pta reliquerunt, conferuntur cum veteri judiciorum apud Romanos ritu, cuius multa & inſignia cùm in alijs rerum Romanarum ſcriptoribus, tum in juris noſtri authoribus veſtigia extant; quam à more illo Romano ſint aliena, facile erit his animadvertere, qui vel mediocrem Romanæ antiquitatis cognitionem habent. Unde autem hoc manavit: unde? niſi quod formam Iurisdictionis ſuis temporibus receptam, non antiquam illam Romanorum ſibi in commentando propoſitam habuerint?

Obiectio. At enim iiſdem ferè verbis uſus eſt Innocentius IIII. cùm illos, ad quos ſpectat electio, in imperio, Friderico à ſe exauthorato, vult ſucceſſorem conſtituere. Quibus cum interpretes intelligant ſeptem electores, idem etiam judicium erit de verbis illis Innocentij III. faciendum.

Reſponſ. 1. Sed quid abſurdi conſequetur, ſi generatim ea ad Germaniæ principes aptaverimus? Nam & ad concilium illud, in quo iniqua hæc ſententia ab Innocentio IIII. lata eſt, pauci admodum Germani venerunt, & tum aliæ etiam gentes quàm Germani ſub imperij ditione fuerunt. Nec verò ſi communem interpretationem eo loci in Innocentij IIII. ſententia veram ſtatuerimus, pro-
2. pterea idem etiam de Innocentij III. Epiſtola exiſtimandum erit, Nam non modò inter eos anni amplius XLV. interfuerunt, ſed & magni in imperio, Pontificibus nunc Philippum, nunc Othonem, nunc Fridericum inimiciſſimè & vehementiſſimè inſectantibus, tumultus nati ſunt. Quocirca in ſumma illa ordinum Germaniæ confuſione, re-

ne, rerumq; omnium perturbatione, ne in extremum diſcrimen Reſp. adduceretur; veriſimile videtur, jus hoc, de conſilio Imperatorum & voluntate Procerum, ad pauciores; eos præſertim, qui vel dignitate, vel authoritate, vel potentia, vel ingenii dotibus atq; animi virtute excellebant, delatum, atq; ita ad certum, videlicet ſeptenarium numerum, redactum fuiſſe. Nam dum in iis diſſidiis, inter Imperatores & Pontifices, alii ex Germanis Principibus illorum, alii horum partes ſequuntur; fluctuante ita Imperio, tantam & latrociniis, & direptionibus, bellisque civilibus Germania accepit calamitatem, ut authore Aventino, aliqui Procerum ſedem & domicilium Imperii ex Germania in Italiam transferri cuperent, ut tandem aliquando optata pace frui, atque ab avaritia & libidine Romanorum Flaminum immunes eſſe poſſent: quippe hos à vicino Imperatore in ordinem redactum iri ſperabant. Ex quo facilè perſpici poteſt, non eandem Innocentii IV. temporum rationem fuiſſe; ſed multas & magnas interea mutationes, & in conſtitutione & adminiſtratione Reipubl. Germaniæ & accidere potuiſſe & accidiſſe. Ac quidem jam tū jus illud creandi Cæſaris ad ſeptem illos Electores deveniſſe, ex Hoſtienſi, qui id temporis vixit, colligi poteſt (quod & ſuprà indicavi) nominatim eos * commemorante.

Quando Septemviri ceperint.

Lib. 7. Pag. 680.

** §. verum.*

Sic cùm poſt ſummum magiſtratum Friderico ab Innocentio abrogatum, VVilhelmus Hollandus Cæſar Aquisgrani conſecratus eſt, quid quiſq; ſeptem Electorum in ſolennibus inaugurationis

peragendis pro officio ſuo non modò egerit, ſed & dixerit, Tritenhemius in annalibus ſuis, literis conſignavit. Quanquam in deſcriptione propriorum quorundam nominum, non ei conveniat cum aliis: Nam Moguntinum Antiſtitem Chriſtianum vocat; at alii jam Sigefridum, jam Gebhardum appellant. Ac à Sigefrido quidem VVilhelmum Cæſarem ſalutatum eſſe Caſparus Bruſchius ſcribit, eiq; Chriſtianum, & Chriſtiano Gerhardum ſive Gebhardum ſucceſſiſſe. * Nec commemorat, quis tum vel Bohemiæ regnum, vel Ducatum Saxoniæ, vel Marchionatum Brandeburgicum tenuerit. Fuit autem Rex Bohemiæ Othocarus, Saxoniæ Dux Albertus, Marchio Brandeburgicus Ioannes I. Id etiam communi quaſi conſenſu tradunt Annales, Guilielmo à Friſiis occiſo, his ſeptemviris graviter inter ſe diſſidentibus, ab Gerhardo (quem malè alii Eberhardum appellant) Moguntino, Conrado Colonienſi, & Ludovico Comite Palatino Rheni, & Bojariæ Duce, Richardum Anglum; à Trevirenſi verò Antiſtite, Othocaro Bohemiæ rege, Alberto Saxoniç Duce (quem perperam Cuſpinianus Adolphum nominat) & Iohanne I. Marchione Brandeburgico, Alphonſum Hiſpanum Cęſarem deſignatum. Cùm igitur his Alexandro IV. Pontifice, à ſeptem illis Electoribus ſumma Imperii ſit tradita, inter quem & Gregorium X. duo Pontifices, Urbanus ac Clemens interjecti fuerũt, facilè inde cognoſci poteſt, errare Ioannem Aventinum & Onuphrium Panvinium, qui illi Pontifici hanc Electorum inſtitutionem acceptam ferunt.

De Epiſcopis German.

Se

Sed ab eodem Onuphrio in aliis quoque capitibus libri illius *de comitiis Imperatoriis* diſſentio, quem iniquo infeſtoq; animo in Germanos ab eo ſcriptum eſſe, ex multis argumentis ſuſpicari licet. Quæ ut explicem, neq; hujus loci, neq; temporis eſt; tantùm pauca quædam perquàm breviter perſtringam. *Onuphr. Panvinius cõfutatus.*

Ac primò quidem quod Pontifici Romano & Italiæ Principibus in comitiis Imperatoriis jus ſuffragii fuerit, haud quaquam admittere poſſum. Nam cur eam probem ſententiam, quæ apertè ipſorum etiam Pontificum authoritate redarguitur? Siquidem Innocentius III. in Epiſtola illa ad Bertholdum Zaringiæ Ducem, Principibus, qui Philippo favebant, objicientibus, legatum ejus, quòd rejecto Philippo Othonem Regem approbârit, aut Electoris aut cognitoris perſonam ſumſiſſe; ſi Electoris; in meſſem alienam falcem miſiſſe, atq; ideò Principum dignitati derogaſſe; reſpondet, *ſe jus Principum ſibi vendicare nolle, ſed illis Principibus poteſtatem eligendi Regem Romanum ſalvam relinquere, ad quos ea jure & antiqua conſuetudine pertineat.* Itaq; negat legatum ſuum, qui neminem eligi curârit, nec elegerit, *vel Electoris ſuſcepiſſe partes, vel electioni ſe ingeſſiſſe.* *Papa & Italis nullum jus ſuffragij fuit.*

Quod verò à Pontifice, qui Romanum Imperium à Græcis in Carolo Magno ad Germanos tranſtulerit, illam poteſtatem ad Principes illos perveniſſe, in eadem Epiſtola aſſeverat; Id à veritate alienum eſſe, cùm alii multi haud quaquam ſpernendi authores, tum vir perdoctus, & in hiſtoriis omnium temporum imprimis verſatus, *Ca-* *Imp. Germ. non à Papa.*

C. Peucerus. *ſparus Peucerus* egregiè demonſtrârunt.

Verùm hæc copioſiùs diſputabuntur alio loco; nunc illud quæro, potueritne *Pontifex eam poteſtatem cuiquam concedere, quam ipſe nec jure divino nec humano habuit?* Neque enim à Deo, neq; ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis acceperat; quorum alterum graviſſima ſacroſanctæ Scripturæ authoritate, alterum certiſſimo veterum hiſtoriarum teſtimonio tenetur. Quid quod ea de re vehementiſſimè cum Pontificibus expoſtulârint Imperatores, Heinrici IV. VII. Friderici I. & II. Ludovicus IV? Nam Dei beneficio & virtute Caroli, non Pontificis populíve Romani conceſſu, Imp̄e ii dignitatem ad Germanos perveniſſe, firmis rationibus comprobant. Id quod, ne longiùs abeam, ex uno Gunthero, Ligurino vulgò dicto, abundè perſpici poteſt, cujus teſtimonium eò plus pōderis habere debet, quòd annis ab hinc amplius CCCLXX. poema illud ſcriptum ſit. Ac tametſi eadem illa quoque extent apud Radewicum coævum Friderici I. & gravem imprimis rerum ab eo geſtarum ſcriptorem, quem is non modò multùm ſecutus, ſed & interpretatus eſt; tamen neſcio quomodo maximè Ligurino delecter, cujus verſus, ut illis temporibus, ſatis ſunt elegantes. Itaque ad hanc rem * Epiſtola illa Præſulum Germaniæ ad Pontificem Romanum maximè facit, præcipuè autem hæc:

* *Quæ eſt apud Radevvicum lib. 3. c. 16. apud Gunt. Ligur. lib. 6.*

--- ---- ---- Regnum
Legibus antiquis & priſco more regatur:
Cujus ab æterno tantùm collatio Rege
Provenit, ad proceres electio pertinet. --- Et:

Num

Num Petrus? aut Clemens? num cætera turba priorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore priſco *Poteſtas Papæ unde ſit.*
Pauper erat Præſul; regali munere crevit;
Nec tamen ut faſces & regni jura Latini,
Vel dare præſumat, vel cuiquam tollere poſſit.
Exceſſere modum magnorum munera regum,
Si tantùm cuiquam jus in ſua regna dederunt.
Sed neque tanta fuit largitio, nec dare quiſquam,
Quo caret, ipſe poteſt. Hujus collatio regni
Autorem ſortita Deum, contingere nulli
Jure poteſt hominum; collator muneris hujus
Eſt Deus; hoc ſummis regnum confertur ab aſtris. Lib. 8. p. 174.

Item in Oratione Guidonis Comitis Blanderatenſis ad Mediolanenſes:

---- ---- Reges Alemanniæ nobis
Urbibus Italicis leges, & jura daturos
Mittere ritè ſolet, poſtquam de partibus illis
Carolus & Magni regnum ſurrexit Othonis,
Auſoniâq; ſui Reges cœpere coronâ
Teutonici.

Hinc manifeſtè deprehendere licet inſignem Sabellici errorem, cùm per Othonem I. demum imperium ad occidentem ſolem à Gallis ad Germanos traductum * tradit. Neq; enim primus in Saxonum gentem ſummam & dignitatem imperii Otho ille, ſed pater eius Heinricus Auceps intulit. Neque ante eos Galli, ſed Franci imperârunt, quos in Germaniæ populis referri, omnium diſertiſſimè oſtendit Hieronymus: *Inter Saxones,* inquit, *& Alemannos gens non tàm lata, quàm valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc verò Francia*

Sabell. * *Lib. 2. Enn.* *Franci.*

vocatur. Cùm ergò Francị in Galliam irrupiſſent tandem in ea parte conſederunt, quæ ab ijs nomen retinens, Francia dicta eſt. Ex his autem Franciś Carolum Originem ducere certò conſtat. Sed ad Ligurinum redeo, apud quem Fridericus I. in Oratione ad Proceres Germaniæ vehementiſſimè de Pontificis ſuperbia & arrogantia conqueritur, quod ſe illi inſigne imperialis coronæ contuliſſe ſcripſiſſet, cujus hęc eſt particula:

Ex Radevvico c. 10. lib. 3.

Libro 6.

Ecce paterna fides, & magni Præſulis alma
Integritas, humilisq; Petri veſtigia ſectans,
Iam non ferre crucem domini, ſed tradere regna
Gaudet, & Auguſtus mavult quàm Præſul haberi.

Et paulò pòſt:

Ergo quid ad ſummum de regni jure, quid, oro,
Pontificem ſpectat? nullum caput iſta ſuper ſe
Aſpicit, excepto cœlorum rege, poteſtas.
Eccleſiam regat ille ſuam, divinaq; jura
Temperet; imperium nobis faſcesq; relinquat.

Quò factum eſt, ut Pontifex ille ſe in Epiſtola ad Præſides ita apud eundem Ligurinum excuſet:

Lib. 6. p. 143. qua de re Radevvicus lib. 3. c. 15.

---- ---- quòd ſceptrum juraq; regni
Diximus à nobis illi collata fuiſſe,
Non donata quidem, potius ſed tradita noſtro
Illa miniſterio, vel ei commiſſa, per illud
Credidimus verbum ſat rectè poſſe notari.

Libro 3. c. 10.

Verùm res ſe longè aliter habuit. Nam teſte Radewico, non modò Imperator Fridericus, & qui cum eo erant principes, acceperant, temerè à Romanis affirmari, ac ſi *imperium Vrbis & regnum Italiæ Cæſares Germani ex Pontificum donatione hactenus*

hactenus poſſediſſent: Verùm idem etiam pictura Romæ repræſentatum & verſibus conſignatum noverant. Itaq; indignantibus eam ob rem optimatibus, cùm alter legatorum oleum camino addens in hæc verba prorupiſſet, *à quo ergo habet, ſi à Papa non habet imperium?* Otho Palatinus comes Bojariæ (à quo profectæ ſunt illuſtriſſimorum Principum Palatinorum Rheni, & Bojariæ ducum, qui hodie rebus præſunt familiæ) irâ exardeſcens, diſtricto gladio eum jugulaſſet, niſi Imperator authoritatem ſuam interpoſuiſſet, & tumultum ſedaſſet. Hæc * Ligurinus in hunc modum depingit:

Otho Palat. in Papam ſtringit gladium.

* *Lib. 6. P. 134. Idem Rad. c. 10. lib. 3.*

Quod prius Auſoniis dùm verſaretur in oris,
Audierat Latiæ diffuſum plebis in ora,
Et vulgò dici ſolitum; contingere nulli
Regna Latina viro, niſi cui Romanus amicâ
Traderet illa manu, Petri ſub nomine, Præſul:
Hoc quoq; Romanæ præſtans in ſedibus aulæ
Vana loquebatur, quâ voce licebat, imago,
Hîc à Romano mendax Antiſtite pictor
Fecerat imperij ſumentem jura Lotharum,
Stare genu flexo, nec non epigrammate vanus
Deſupèr addiderat, ſimulatis conſona rebus.
Hanc Adrianus ei, ne vera ſemina cladis
Res ſimulata daret, penitus delere figuram
Pactus erat: Sed adhuc minimè promiſſa laboris
Diſtulerat, fomesq; mali vivebat * *imago.*
Ergo ubi magnificis acceſſit Epiſtola verbis,
Admonuitq; virum: ſatis indignatus, ab illo
Imperium Princeps ſe ſuſcepiſſe negavit:
Cumq; refragari Legati, & dicere contrà

* *Innuit inſulsū illud diſtichon quod Rade-*

uvicus refert. l. 3. c. 10. Rex venit ante fores, iurãs prius urbis honores, Pòſt homo fit Papa, ſumit quo dante coronam.

Tentarent, & falſa ſuâ pro parte moverent;
Infremuére duces, quos omnes aulicus irâ
Ille comes praceſſit Otho, *gladioq́; cruentus*
Acriter educto properabat ſumere pœnas:
Sed Rex in mediâ (famæ non immemor) irâ
Corripuit, tenuitq́; viros, iramq́; repreſſit.

Item in Oratione ad Romanos:

Lib. 3. P. 80.

Quos ſibi jam proprios effecit Francona virtus,
Non eminus faſces.

Et quomodo deſperatis rebus, opem Romani petierint à Francis, ad quos veluti ad portum, turbulentis temporibus, confugiebant, ibidem his verſibus explicat: Roma, ait,

Ex Othone Friſingenſi, lib. 2. de rebus geſt. Frid. I. c. 21.

Francorum vires, invictaq́; ſigna rogaſti:
Affuit immenſi domitor fortiſſimus orbis
Carolus, *& magna miſeram virtute redemit,*
Ereptumq́; manu mediis ex hoſtibus, in ſe
Tranſtulit Imperium; belliq́; tenore receptum,
Hac tua Francorum ſociavit mœnia regno.
Nunc age collatos nobis, tua munera, faſces,
Et quaſi gratuitâ primùm bonitate vocatos,
Magnifico ſermone refer; ſed veriùs illud
Implorare fuit. Sic pauper ad oſtia clauſa
Sæpius implorans, querulo vocat ore potentem:
Namq; Beringerum, Deſideriumq́; tyrannos
Roma, tuos, quibus attonitum, cervice ſubactâ,
Subdideras miſeranda caput, quis neſciat armis
Francorum victos, captosq́;, æternaq́; paſſos
Exilia, in noſtro per tempora plurima regno
Victori ſerviſſe ſuo, tardâq́; ſenectâ,
Tandem ſervili preſſiſſe cadavere terram?
Illa dies uno tua priſtina jura triumpho,

Si qua

Si qua tibi Graiæ fortuna reliquerat urbis,
Transtulit in Francos; non ſunt extincta ſed extant,
Imperium comitata ſuum:

Idem in Oratione ad Proceres Germaniæ in comitiis Imperatoriis:

In manibus veſtris regnum eſt; ea quippe poteſtas Lib. 1. p. 17.
Ad vos, more ſuo, ſemper viduata recurrit.
Regibus eſt aliis potiundi jure paterno
Certa fides, ſceptrumq́, patris novus accipit hæres,
Nos, quibus eſt melior libertas, jure vetuſto
Orba ſuo quoties vacat inclyta Principe ſedes,
Quodlibet arbitrium ſtatuendi regis habemus,
Ex quo Romanum noſtrâ virtute redemptum,
Hoſtibus expulſis, ad nos juſtiſſimus ordo
Tranſtulit Imperium; Romani gloria regni
Nos penes eſt: quemcunque ſibi Germania regem
Præficit, hunc dives ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipit, & verſo Tyberim regit ordine Rhenus.

Itaq; licet *Carolus*, qui Magni nomen cepit ex magnitudine rerum geſtarum, à Leone III. & ab omni populo Romano, cùm quartò Romam veniſſet, Imperator ſit ſalutatus; tamen non idcircò Imperium occidentis, munere Pontificis & Romanorum Franci ſunt conſecuti; ſed jam antè maximam Imperij eius partem, ut Italiam ab Alpibus ad extremam uſque Calabriam, ut Aquitaniam, eiq́; contiguam Hiſpaniæ partem ad Iberum uſque flumen, ut Boiariam, ut utramq; Pannoniam, Daciam, Iſtriam, Dalmatiam, in ditionem ſuam redegerant. Reliquam verò Germaniam, præſertim eam, quam Romani occupaverant, *Carolus M. non accepit Imperium à Papa.*

D v jam

jam antè Franci tenuerant, ut & Galliam, Belgicam & Celticam.

Cum igitur eius imperij provincias maxima ex parte *Carolus* in ſua haberet poteſtate, re ipſa jam antè Imperator erat, quàm à Pontifice & Romanis appellaretur. Idem Carolus, non Pontifex Romanus, Imperatores Conſtantinopolitanos indignè id ferentes, tum humanitate, tum donis ſibi conciliavit. Sunt etiam qui negent à Pontifice eum coronatum eſſe, ſed illum morem poſtea introductum.

Sed ut in hac diſputatione inſtitutum tueamur, tametſi nihil juris in eligendo Cæſare Pontificibus fuit; tamen jam inde ab *Heinrico Nigro* ſalutari illi Othonis III. conſtitutioni derogare, fraudemque facere ſunt conati, cùm legati eorum comitijs Imperatorijs ſe intruſerunt. Tandem verò creſcente in ijs dominandi libidine, non ſolùm eam ſibi poteſtatem in Imperatores ſumſerunt, quæ Imperatoribus jure divino & humano in ipſos competebat: verùm etiam jus comitiorum Imperatoriorum ſibi arrogare voluerunt. Quid enim aliud ſpectavit *Pius*, II. cum *Theodoricum Iſenburgicum* Moguntinum Præſulem rite electum confirmare noluit, niſi caveret, *ſe ſuosq; ſucceſſores comitia Cæſarea, niſi de Romani Pontificis voluntate, non amplius indicturos?* Verum mucro acutiſſimi illius gladij ab imperij jugulo plerorumque principum Electorum prudentiâ, præſertim verò Moguntini Antiſtitis induſtriâ, *Friderici Palatini* fortitudine, & Ludovici Divitis, Boiariæ ducis, ope reiectus eſt. Quare & Moguntino adverſarium excitavit

Pap. tyrannis & rapacitas.

Pius II. PP. A.C. 1460.

Frid. Palat. Victorioſus

citavit

citavit *Adolphum* Naſſavum; & in Palatinum cum alios principes, tum vicinos *Ludovicum* Nigrum Bipontinum, eius agnatum, *Ulricum* Wirtebergicum, *Carolum* Badenſem, *Georgium* Metenſem, & *Johannem* Spirenſem Epiſcopos extimulavit; quorum tres à Palatino in ditionem eius impreſſionem facientes, uno ab Heydelberga miliari prælio ſuperati & capti, reliqui etiam malè mulctati ſunt. Extat quoque Epiſtola in eiusdem *Pij* II. qui antè Æneas Sylvius dictus eſt, operibus, qua ſummæ tum potentiæ principem *Philippum* Burgundiæ ducem, eiusq; filium *Carolum* hortatur, ut eidem Palatino bellum inferat, eiq; in eo adminiſtrando, ſuo & Imperatoris nomine, ſummi Ducis officium & dignitatem defert. *Lib. I. Epiſt. 381.*

Et adhuc Onuphrius tantis literarum præſidiis inſtructus, tantaq; hiſtoriæ cognitione præditus, miratur inertiam Pontificum, quòd jus ſuffragij ſibi eripi paſſi ſint? quorum nimiam curam & infinitam cupiditatem, in immani illa ſua potentia, ex ruinis Imperij per fas nefasq; ſtabiliendam & amplificandam, quis non admiretur atque adeò execretur, qui veritatis ſtudio & amore in memoriam veterem paulò diligentiùs mentem intenderit? Equidem (ut de differentia Civilis & Eccleſiaſticæ poteſtatis hîc nihil dicam,) cùm ad Reipublicæ principatum quod attinet, jam inde à Carolo Magno, quæ Imperialis, quæq; Pontificij juris in Italia fuerint, ex literarum monumentis repeto, & quæ in eadem noſtra ætate Imperij, quæ Pontificum ditionis ſint, conſidero, & ad hanc comparationem Imperatorem & Pontificum res geſtas *Onuph. Panvinij ſtupor.*

Digitized by Google

Papæ à Cæſarib. ditati quàm ingrati.

geſtas adiungo; plurimùm ſanè à Pontificibus Imperio ademtum, ab Imperatoribus nihil Pontificibus detractum; ſed potius honore, opibus & potentia amplificatos reperio. Vnde enim tenent Romam Imperatorum ſedem? unde Latium? unde Umbriam, unde Picenum, unde Æmiliæ, & Flaminiæ, & Hetruriæ partem? Quinetiam miram & deteſtandam rerum converſionem inde videre licet, quam etiam ſuperioribus ætatibus multi pietate & doctrina præſtantes viri deplorârunt. Nam qui antè Imperatorum voluntate ad Pontificatum provehebantur, eorumque beneficio locum ſuum atque dignitatem conſervabant, illi horum munificentia adaucti, non modò eos patrimonio ſuo fraudârunt, ſed & ab Imperij culmine deturbare auſi ſunt. Quibus ex rebus apparet, quàm, quod de Pontificum ſocordia Onuphrius ſcribit, ſit abſurdùm.

** P. 111. Vaniloquus Onuph. Papis aſſentatur.*

Multò verò abſurdius eſt quod idem *prodit, ad id jus compenſandum Pontificibus conceſſum eſſe, *ut nihil ante Imperatori agere liceat, quàm à Pontifice Romano approbatus & confirmatus is ſit:* Nam hoc commentum ſi nulla alia authoritas refelleret, ipſa certè temporis ratio refutaret. Si enim Pontifices id juris tùm demum conſecuti ſunt, quæ fuit cauſa, quam ob rem antè Imperatores inaugurarent? Quod ſi quid diſcriminis fuit inter eam conſecrationem, quæ inſtitutionem illam ſeptem Electorum anteceſſit, & quæ ſubſecuta eſt, quid eſt, cur omnes illos promiſcuè Imperatores appellent? Nam omnes qui à Pontifice initiati non fuerunt, ſine ulla temporum diſtin-

ctione,

ctione, Reges vel Cæſares tantùm dicendos magnopere contendit. Deinde ſi renuntiatio illa Pôtificia ſimplicis inſtar ſive teſtimonii, ſive precationis, ſive gratulationis fuit; ipſemet neceſſe eſt temeritatis & impudentiæ condemnet Pontifices illos, qui antequam jus eligendi Cæſarem ab omnibus Germaniæ proceribus ad ſeptem hos viros derivatum eſt, non ſolùm ei vim confirmationis attribuerunt, verùm ideò etiam ſibi dominatum in Imperatores ſumſerunt. Id quod jam ab Heinrici IV. V. & Friderici I. temporibus factum eſſe, ex his quæ ſuprà dixi, perſpicuum eſt. Neque verò de illo Fridericus & Germaniæ proceres tanto ſtudio certaſſent cum pontificibus, ſi imperium in ipſos Cæſares ſibi non vendicaſſent. Hoc autem ex hjs Ligurini verſibus colligo. Nam prius illud Germaniæ Præſules in Epiſtola illa apud * Radewicum & * Ligurinum, eis quaſi largiuntur: *Lib. 3. c. 16. * Lib. 6.

Imperij nitidam ſummo ſacrare coronam
Pontifici jus eſt; vt vero nomine poſſit
Non dator imperij, ſed confirmator haberi.

Iam quomodo excuſabit Innocentium III. qui in illa Epiſtola jus & authoritatem examinandi electum Regem & ad imperium promovendi ſibi arrogat? Nondum enim id temporis poteſtatem illam deſignandi Cæſarem ad ſeptemviros illos deveniſſe aſſerit. Age verò, Onuphri, refer animum ſis, ad ea tempora, quibus magiſtratum electorum conſtitutum eſſe exiſtimas; an Rodolphū Habſpurgium? an duos Albertos? an Rupertum? an Maximilianos I. & II. Cæſares imperium

ad-

adminiſtraſſe negas? An quisquã horum à Pontifice eſt conſecratus? Vide, quæſo, quomodo hæc cum iis ſis conciliaturus, quæ in eodem libro * antè ſcripſiſti, cum diſertè fateris eos, *qui à Germanis electi ſint, Cæſares, ea iura habere in Germania, ac ſi Pontificis coronationem adepti fuiſſent.* Niſi fortè exiſtimas, tantùm in Germania Cæſari eam poteſtatem fuiſſe; in alijs regionibus, quæ in ditionem nomenque imperij venerant, non fuiſſe. Sed nec ita quidem te interpretari poſſe, non modò illorum ipſorum, quos jam commemoravi, præſertim qui ante Carolum IIII. Rempub. geſſerunt, ſub quo imperij vires, in Italia & Gallia, plurimùm enervatas eſſe multis exemplis demonſtrari poteſt; ſed etiam tuomet teſtimonio, qui * eodem in loco tradideris, *prima Germaniæ principum electione reipſa Imperatorem fieri, Pontificis verò inauguratione Imperatorem rite renunciatum declarari:* An non illa cum hac tua ſententia apertè pugnant? Quare quocunque te vereris, eam nullo modo defendere poteris. Quod verò jus habeat hæc conſecratio Pontificia, multi & veterum & recentiorum Scriptorum, (quorum monumenta contemnere nec poſſumus, nec debemus) adeo peſpicuè expoſuerunt, ut ea de re amplius dubitare non liceat; ſed maxime *Ludovicus* IV. in oratione ſua, quam de Pontificis inſolentia, & in ſe injurijs, Francofurti ad principes Germaniæ habuit. Nam ex ſacroſanctis Scripturis, priſcis Imperij legib. vetuſto more maiorum, evidentibus rationibus docet, *nihil Pontifici eſſe commune cum comitijs Imperatoriis qui ab Electoribus renunciatus ſit Cæſar, eum revera eſſe ſum-*

* P. 369.
* P. 370.
Papalis conſecratio nil valet.
Ludov. IV. Bavar.

ſummum Principem, nihiloq; minus commiſſam ſibi Rempublicam procurare poſſe, etiamſi nullus Pontifi ciꝰ ſive aſſenſus ſive cōſecratio intervenirit: iſtud enim nihil eſſe aliud, quàm meram ceremoniam, quæ cum paulatim irrepſiſſet, eâ progreſſu temporis Pontifices ad amplificationem potentiæ ſuæ in dedecus & detrimentum Imperij abuſos eſſe. Ac tametſi hoc orationis iſtius caput, etiam ſine appoſitione exemplorum, ſatis manifeſtum eſt: tamen factis egregiorum Imperatorum illuſtrari poteſt, qui ſtatim, ut de volūtate Principum electi Cæſares fuerunt, Imperij gubernacula tractârunt. Sed ne ſingula perſequamur, quis Pontificū duos *Conrados* I. & II. inauguravit? quis *Heinricum Aucupem*? cuius tot tantæq; res pro imperio præclarè geſtæ à Scriptoribus annalium celebrantur: tantùm verò abeſt, ut à Romano Pontifice unctus & coronatus fuerit, ut nec conſecrationem ſibi ab Hildeberto Moguntino Antiſtite delatam ſuſceperit: qua ex re intelligi poteſt, nec hanc primam quidam Cæſari neceſſariam fuiſſe, Sicut enim eo munere conſecrandi electum regem Romanorum, jam à ſeculis aliquot fungitur Colonienſis: ſic olim id ad Moguntinum Antiſtitem potiſſimùm pertinuiſſe, non modò diſerte oſtendit Lambertus) ut ſuprà indicavi) ſed & multa teſtantur exempla.

Ut igitur Pontifices Romani, nec in comitia imperatoria, nec in Cæſares eam poteſtatem habuerunt, quam eis Onuphrius adſcribit: ſic nec Italiæ Proceribus ante Septemvirorum illorum originē in eligendo Rege Romano ullū jus ſuffragij fuit. Etſi n. in eo conventu, quo Frideric. I. Cæ-

Digitized by Google

ſar factus eſt, aliquot Italiæ Proceres fuiſſe * Otho Friſingenſis ſcriptum reliquit: tamen non idcirco eos ſuffragium tuliſſe conſequitur. Imo verò non ſuffragandi, ſed ſpectandi potius cauſa ad comitia illa veniſſe optimus eius interpres * Ligurinus non obſcurè indicat. Nam poſteaquam Germaniæ Proceres induxiſſet deliberantes, quē imperio præficere vellent, ſubjicit de Italis hos verſus:

* Lib. 2. c. 1.

* Lib. 2.

Nec minus ex Italis multos & gente Latinâ
Traxerat huc rerum miratrix fama novarum;
Concilium, regemq; novum, faciesq; verendas
Aſpexiſſe ducum, fumoſaque nomina noſſe
Optabant, populisq; ſuis exacta referre.

Ne multis; quoniam & Othonis III. conſtitutione jus deſignandi Cæſaris Germanis tantùm Principibus eſt collatum, & de ſuffragio Italorum Procerum ſpeciatim nulla uſque memoria extat; quin id ad ſolos Germaniæ, non etiam Italiæ, Principes pertinuerit, dubitari non poteſt.

Onuphr. error de. Electorib. ſecularibus.

Nec id probare poſſum, quod eſt apud eundem, tribus Antiſtitibus ex omni Procerum Germanicorum numero, alios quatuor, Electores, ratione graduum, quibus ipſi inter ſe ſint diſtincti, adjunctos eſſe; ita ut ex ſingulis ordinib. Regū, Ducum, Marchionū Comitum, ſinguli in Senatū Electorū ſint cooptati. Nam quo tēpore ſeptemviros illos inſtitutos Onuphrius exiſtimat, Landgravios fuiſſe, certum eſt. Siquidem Turingiæ & Alſatiæ Landgraviorum multò antè in Hiſtorijs & annalibus fit mentio. Fr. * Irenicus eos *Othonis* III. temporibus creatos ſcribit; quod tamen vix in

* Lib. 3. Ger. exeg. c. 68. &

in vetuſtis probatorum Scriptorum monumentis inveniri, aut pro certo affirmari poſſe credidero. Quocirca cùm æquè diverſus ſit ordo Landgraviorum à Comitibus ac Marchionibus, & major eorum perinde dignitas atq; Comitum; non video quid cauſæ ſit, quamobrem Landgravii prȩteriti fuiſſent, ſi in Senatu illo Electorum conſtituendo ad omnes gradus nobilitatis reſpectus habitus fuiſſet.

Ad hæc non ſimpliciter Comes, ſed Comes Palatinus in Electorum collegium eſt aſcitus. At verò Palatini comites, non modò comites dignitate antecellunt, ſed ab ijs, quorum Palatio præfuerunt, proximum locum obtinuerunt, ut de Palatino Boiariæ Aventinus docet. Palatini verò Rheni in Palatinis ſupremus gradus fuit. Quare & Electoribus nonnullis ſui ordinis præcedit. At ſi comitum conditio ſpectata fuiſſet, quia inter Proceres poſtremi ſunt, infimo loco inter Electores fuiſſet. Huc accedit, quòd quo tempore Senatum illum lectum Onuphrius putat, comitatum Rheni Boiariæ duces, qui ex *Othone VVitelſpachio* deſcendunt, præfecturam Palatij Rhenani conſecuti erant. Atqui ut Saxoniæ, ſic & Boiariæ duces in præcipuis Germaniæ Principibus fuerunt. Verùm plus temporis in examinando illo Onuphrij de comitijs Imperatorijs libro non conſumam. Longius etiam nunc me proceſſiſſe video, quàm conſtitueram.

Com. Palat. dignitas ſumma.

Sed quoniam emerſit jam è vadis oratio mea; perfacilis reliquus curſus erit. Itaq; ut eò redeat unde diſceſſit, quàm præclarè de Germania Otho III.

tum agnato ſuo Gregorio V. Pontifice meritus ſit, inde patet, quod Germaniæ Proceres jus illud eligendi Cæſaris continua poſſeſſione ad hunc uſque diem conſervârint.

Otho Polon. Regem facit. Reverſus in Saxoniam Otho non multò pôſt Boleslao Poloniæ duci, cum eius ſummum in imperium ſtudium & egregiam erga ſe voluntatem cognoviſſet, regiam dignitatem tribuit. *Ungarum* quoque regio nomine uti cœpiſſe, idq; non multo pôſt Heinricum Claudum, quem Othoni ſucceſſiſſe ſuprà memini, approbaſſe, boni quidam Autores tradiderunt.

Gregorio V. Pontifice mortuo, pontificatus commiſſus eſt Sylveſtro II. Memorabile eſt, quod de eo * ſcripſerunt, qui Romanorum Pontificum hiſtorias confecerunt; id quod ſummatim hîc referre placet. Is igitur (ut quidem illi narrant) jam inde ab adoleſcentia, quamvis ſe monachum profiteretur, artibus magicis deditus, ſe Diabolo mancipaverat. Monaſterio relicto, in Hiſpaniam ſe contulit. Hiſpali cùm in alijs liberalibus artibus & ſcientijs, tùm in magia, cui ſe penitus addixerat, tantos progreſſus fecit, ut Scholas aperiret, & maximi nominis diſcipulos haberet: Quorum tùm opera, tùm ſua largitione, tùm Diaboli ope primũ Remenſis, deinde Ravennas Antiſtes, poſtremò Pontifex Romanus factus eſt. Ac cum regnandi cupidus Diabolũ ſciſcitaretur, quamdiu tanta dignitate potiturus eſſet; reſpondit (ut ſolet) ambiguè, ex capite æneo, quod ille in eum uſum abdito quodã in loco ſervabat, *antè non morieris quàm Hieroſolymam veneris.* Pontifex Paleſtinæ urbẽ intelligens,

** Sigebert. Benno Cardinalis, Platina, Petrus Nauclerus. Gener. 34. Par. 2.*

Sylveſt. 2. Papa nefarius.

ligens, de vitæ diuturnitate benè ſperans, dum III. Idus Maij Anno domini MXIII. in Baſilica S. Crucis, quæ *Hieruſalē* appellabatur, ſacra faceret, fato cognovit diem adeſſe ſupremũ. Itaq; pœnitentia ductus & ſcelus hoc ſuam corã omni populo deteſtabatur; & Deũ, ut ſibi parceret, implorabat. Morientem mandaſſe ferunt, corpus ſuum diſſectum & laniatum, quando ita eſſet meritus, bigis imponi, eoq; loci ſepeliri ubi ſponte ſua equi conſtitiſſent; eoſq; Dei providentia, apud quem ſceleratis pœnitentibus veniæ locus ſit, ad Lateranenſe templũ cadaver vexiſſe, ibi adhuc ſepulchrum eius extare, quod oſſiũ colliſione, & ſudore atq; adeo humectatione, mortem Põtifici prænunciare ſoleat.

Hoc Pontifice, Otho propter motus iterum Romam contendit; ibi animo ad jura Imperij & Eccleſiæ emendanda, & in priſtinum ſtatum reducenda adiecto, in cavendis Romanorum inſidijs non ſatis circumſpectus, in ſummum vitæ rerumque ſuarũ diſcrimen incidit. Nam Romani Othoni infenſi eum de improviſo, magno militum numero interfecto, in Palatio obſident. Sed ab illo extremo periculo, induſtria Heinrici Boiariæ Ducis & Hugonis Marchionis Italiæ, liberatus eſt. His enim (ut apud quoſdam ſcriptũ reperio) inter Othonem, & Romanos de pacis cõditionib. tractantibus, eiusq; regi gratia cum utriſq; ſeorſim colloquentib. Hugo abs Romanis impetravit, ut ſibi liceret eas inire rationes, quib. tum Othoni tum ijs ipſis, quam optimè cõſuleret. Itaq; Othonem cõmutatis cum Hugone, & inter utriusq; famulos veſtibus ſe ex Palatio & urbe ſubduxiſſe, atque ita

* *Sigebertus. Albertus Crantz. lib 4. Sax. c. 25. Nauclerus. Gen. 34 par. 1. vol. 2. Otho Romæ obſeſſus evaſit. at veneno periit.*

ex manib. Romanorum elapſum eſſe, idq; Hugoni impunè fuiſſe, perhibent. Sed hi, quē ferro trucidare non poterant, cum veneno aggrediuntur, quo etiam de medio eſt ſublatus. Sunt nōnulli qui culpam huius rei conferant in Creſcentij viduam; eam enim produnt, & arte & formæ præſtantia Othonem in amorem ſui pellexiſſe, atq; ob eius diſceſſum ſpe regnandi deiectam, magnum animo dolorem cepiſſe, ac ad explendam vindictæ cupiditatem venenum ei miſiſſe. Id alij accipiunt de poculo amatorio, alij de Chirothecis veneno infectis, quarum uſu ille paulatim antè ſit confectus, quàm in patriam redierit. Quidam verò, Romanorum potius ſcelere, clàm illi à quopiam datum putant. Inteſtina eius, opera Heinrici Boiariæ Ducis, Auguſtæ condita; reliquum cadaver Aquiſgrani ſepultum eſt.

Alb. Crāz. lib. 4. c. 26. Naucl. Gen 34. par. 1.

Vxor ei fuit Maria Tarraconenſis, ex qua nullam prolem ſuſcepit. Erat enim effrenatæ libidinis, & impudicæ impudentiæ fœmina; unde de ea in Italia capitali ſententia condemnata Imperator ſupplicium ſumpſerat. Res autem in hunc modum acta deſcribitur. Deperibat Auguſta nobilem quē-dam virum vel Comitem, quem cum nulla ratione ad ſui amorem poſſet inflectere, furore concita, & amore in acerbiſſimum odium converſo per calumniam eum apud Othonem attentatæ pudicitiæ accuſat. Imperator coniugis ſuæ delationi plus æquo fidei adhibens, eum indicta cauſa gladio feriri juſſit. Itaque non modò ille uxori ſuæ conqueſtus, ſe ob confictum ab Auguſta crimen morti addictum eſſe: ſed & cum ad ſupplicium du-

Coniugium O bonus infel. x. Cranz. lib. 4 Sax. c. 26. Cuſpinianus in Othone III. ad finem.

ducerctur, innocentiam ſuam publicè teſtatus eſt. Non multo pòſt Imperatore pro tribunali jus dicente, vidua jam indignam viri ſui necem lamentans, & fletu atque eiulatu forum complens, palam in Imperatorem eſt invecta, quod præcipiti in vindictam animo, ſine juſtæ cauſæ cognitione, maritum ſuum capite plexiſſet; idq; in promptu candenti ferro comprobavit, quòd genus purgationis illis temporibus valde uſitatum fuit. Quare commotus Otho, cauſa diligentiùs ponderata, cognovit falſum à coniuge ſua crimen ei intentatum fuiſſe, quod nefariæ eius libidini morem non geſſiſſet. Eandem jam ante, adoleſcentem quendam muliebri indutum veſtitu inter pediſſequas ſuas in delitijs habuiſſe, comperεrat. Quare & de calumnia & adulterio publico judicio convicta, igni cremata eſt. Imperator verò, ut & viduæ luctum ſolatio levaret, & temeritatis in eo ſupplicio ſtatuendo ſeipſum reum argueret, cùm multa alia munera, tùm caſtra quædam ei dedit.

Sed ut huic tandem Orationi finem imponam, tametſi inſtitutis ſuis rebusq́ue geſtis Otho noſter Reip. Germaniæ plurimùm profuerit; tamen quibus erat & ingenij dotibus & animi virtutibus prędìtus, maiori imperio, patriæq; & uſui & ornamento eſſe potuiſſet, niſi vix dum trigeſimum egreſſus annum in ipſo ætatis flore & medio vitæ curſu conci-diſſet.

NICOLAI CISNERI, VIRI CLARISSIMI, J. U. DOCTORIS ET PROFESSORIS.

De Friderico II. Imp. Oratio.

Habita in celebri Heydelbergenſium Academia, in promotione aliquot Doctorum Iuris, Anno Salutis humanæ

M. D. LXII.

Reperies hîc, candide lector, plurima ſcitu digniſſima, & lectu jucundiſſima.

Digitized by Google

CLARISSIMIS VIRIS OTHONI HOVELIO EQUITI WESTPHALO, CASPARO HEMmelingo Iuriſconſulto, & Nicolao Luterenſi, Nicolaus Ciſnerus S. D.

CUM & ex conſuetudine, quâ hic inter nos uſi ſumus, & ex officiis in me veſtris perſpexerim, egregiè me à vobis amari: nec me de meæ in vos voluntatis propenſione, ullam apud vos dubitationem reliquiſſe ſpero. Nam quod virorum bonorum & doctorum amicitia nihil antiquius habeam, eoq; in numero vos ob integritatem, virtutem & eruditionem veſtram ponam: enitendum mihi eſſe putavi, ut amori in me veſtro, ſi minus cæteris rebus, at certè mutuo amore reſponderem. Itaq; ut & eundem erga vos abſentes teſtificarer, & me amicitiam noſtram grata memoria proſequi declararem: quam de Friderico II. *Imperatore, Anno Dom.* MDLXII. *menſe Auguſto, in ſchola noſtra orationem habui, cum tibi, Caſpare, aliiſq; quibuſdam Doctoratus (ut vocant) in jure noſtro inſignia de Collegii ſententia contuli, eam ad vos mitto. Quam in veſtro nomine divulgari & apparere, non ingratum vobis fore, idcirco confido: quòd priori eius parte audita, præſertim qua de jure Imperatoris*

toris in Pontificem, ordinemq́; Eccleſiaſticum tractavi, in lucem ut ederem, à me contenderitis. Quare cum ſuperioribus diebus illam fortè inter alia mea ſcripta reperiſſem, & petitionis veſtræ recordarer: ut tandem vobis, aliјsq́; ſatisfacerem, eandem recognovi. Pleraq́; autem quæ ad vitam Friderici II. *pertinent, me hac oratione complexum eſſe, is intelliget, qui eam cum ijs, quæ de Friderico, eiusq́; rebus geſtis memoriæ prodita ſunt, contulerit. Ac tametſi ad explicanda & illuſtranda ea, quæ ex epiſtolis* Friderici, à Petro de Veneis *conſcriptis, & ex oratione* Eberhardi *Iuvavenſis præſulis notavi, non abs re fortaſſe fuiſſet, eaſdem ſubijcere: tamen quia illæ propediem ſeparatim excudentur, opera iſta hic ſuperſedere viſum eſt. Nihilominus enim hanc ipſam narrationem de vita Friderici, lectoribus fructuoſam fore ſpero. Vos quidem eam probaturos, inde colligo, quòd ex recitatione eiusdem fructum aliquem vos percepiſſe ſignificaveritis. Bene valete. Heydelbergæ. Anno à nato Chriſto* M.D.LXV.

NICOLAI CISNERI
DE FRIDERICO II. IMPERATORE
ORATIO.

ETsi ſatis, hoc ampliſſimo loco, non indignæ ad dicendum materiæ, jus quod profitemur Civile, nobis ſuppeditare poteſt: tamen huic ornatiſſimo conventui, ex omnium ordinum ſtudiorumq; generibus conſtanti, gratius fore putavi, ſi de Germanici ortus atque ſanguinis Principe lectiſſimo verba facerem: cujus cùm in Chriſtianam rempub. imperiumq; Germanicum egregia voluntas, & præclara virtus, tùm in liberalium doctrinarum & juris ſtudia, eximia propenſio, & in doctos literatosq; viros ſingularis extitiſſet benevolentia. Propoſitum igitur eſt, aliquid de fortiſſimi viri, ſapientiſſimi hominis, ſummi Imperatoris, FRIDERICI, ejus nominis II. vita memorare: non quòd ante eum, jam inde à Carolo Magno alii Germanici Imperatores laudatiſſimi non fuerint; ſed quòd non ſolùm jam de præcipuis in aliis Academiis orationes habitæ, literisque mandatæ fuerint; ve-

Caſp. Peucerus lib. 4. Chronic. Philippi Mel.

rùm etiam quòd nuper admodum vir doctiſſimus, & amicus meus, tum vetuſtis, tum recentibus rerum geſtarum annalibus recognitis, quæ in illorum vitâ præclara & poſteritatis memoriâ digna obſervavit, ea uſq; ad hunc *Fridericum II.* & prudenter & eleganter explicârit.

Utinam verò quanta hujus noſtri Regis & Imperatoris tum laudum eſt multitudo, tum virtutum magnitudo, tanta mihi quoque eloquentiæ ſuppeteret facultas. Sed cùm nullius tanta ſit ingenii ubertas, tanta orationis copia, tanta dicendi vis, quæ inclyti herois *Friderici II.* res geſtas, non dicam orando exornare, ſed numerando enarrare poſſit; veniam mihi quoq; vos daturos ſpero, ſi in egregiis illius factis, & dictis, & conſiliis percenſendis minus præſtitero, quàm & illius Imperatoris majeſtas poſtulat, & hujus conſeſſus amplitudo requirit. Neq; enim, ſi innumerabiles ejus laudes dicendo aſſequi non potero; idcirco mihi ab omni præclararum ejus virtutum recitatione abſtinendum puto. Nam cùm in boni viri, & Chriſtiani hominis officio poſitum ſit, Dei Opt. Max. in præſtantibus imperii gubernatoribus, & ſtrenuis Reipubl. Chriſtianæ propugnatoribus beneficia celebrare: non putavi eſſe alienum ab inſtitutis meis; etiamſi eam ad rem vires me deficiant, tamen hujus voluntatis meæ aliquam ſignificationem præbere. Quocirca tametſi dignis laudibus divinas *Friderici II.* domi foriſq; clariſſimi Imperatoris, virtutes proſequi non potero: tamen cùm Germanici Imperatoris, ante annos amplius trecentos mortui (à quo nullam gratiam inire

poſſum) nulla nec aſſentatione, nec invidia, ſed & virtutis ejus admiratione, & patriæ amore, & reipub. Germanicæ ſtudio adductus, res geſtas referre conſtituerim: in ſpem venio, nec alios hanc in me erga patriam voluntatẽ reprehenſuros; nec vos hanc qualẽcunq; de vita *Friderici II.* cõmemorationem, hoc in loco gravatim à me audituros eſſe.

Natus eſt *Fridericus II.* ex nobiliſſima Geblinorum, ſive Gibellinorum veterum familia: quæ originem ab excellentiſſimis Francorum regibus & Imperatoribus duxiſſe traditur. Verùm, ut quæ vetuſtiora ſunt, prætermittamus, avum habuit *Fridericum Barbaroſſam*: qui genus ſuum antè majorum claritate illuſtre, multò illuſtrius ſuarum virtutum ſplendore reddidit. Nam cùm poſt patrui ſui *Conradi III.* Cæſaris, Franciæ & Sueviæ ducis, mortem, cùm ob aliarum virtutum opinionem, tum præſertim propter ſingularis & fortitudinis & prudentiæ laudem, Rex Germaniæ, & Imperator Romanorum, omnium Ordinum conſenſu, creatus eſſet: commiſſam ſibi remp. & imperium, tàm domi quàm foris, tum pace tum bello, ita adminiſtravit, ut non ſolùm id defenderit, verumetiam amplificârit atq; propagârit: majoribus id quidem acceſſionibus ornamentisque procul dubiò aucturus, niſi in perniciem reipublicæ Chriſtianæ & occultis conſpirationibus, & apertis ſeditionibus ſe illi omnibus viribus, Romani Pontifices Adrianus IV. & Alexander III. impiè ſceleratèq; oppoſuiſſent. *Frid. II. genus.* *Frid. B. laus.*

Huic *Friderico*, cùm in expeditione Aſiatica fortiter ac feliciter Sararacenos debellaſſet, in Arme- *Henric. VI.*

nia

nia vita defuncto, maximus natu filius *Henricus*, ejus nominis VI. ſpectata virtute princeps, ſucceſſit: qui ex Conſtantia Rogerii primi Siciliæ regis (ut major pars annalium hiſtoricorumq; tradit) filia, ut Pandolphus Colonutius, nepte, Fridericum noſtrum progenuit. Hic autem Rogerius, ſive pater ſive avus Conſtantiæ fuerit, ex Normannis principibus oriundus erat. Nam illius avus Tancredus, cum duodecim filiis, inſigni & corporis robore, & animi fortitudine, ex Normannia in Italiam militatum profectus eſt. Quo mortuo, filii ejus præcipuè Gotfridus, Drogo, Guilielmus Ferrebachus, Robertus Guiſcardus, Unifredus, Rogerius Boſſus, primùm Apuliam & Calabriam occupârunt; deinde reliquis fratribus extinctis, Robertus & Rogerius, pater Rogerij regis, ſumma virtute & felicitate Saracenos, qui in Sicilia dominabantur, multis præliis victos, magnisq; cladib. oppreſſos, Meſſana, Troina, Regio, Panormo, aliisq; præcipuis urbibus ejecerunt, omnemque Siciliam in ſuam poteſtatem redegerunt.

Patris Rogerii, patruorumq; domeſticis exemplis ſibi propoſitis Rogerius, magni atque excelſi animi, illuſtris ingenii & induſtriæ, non minus dignitatis & ſplendoris, atque illi decoris ornamentiq; familiæ ſuæ attulit. Quod enim poſt obitum & fratris ſui Simonis, & patruelis Rogerij, ejusq; nati Guilielmi, quicquid à patre Siciliæ comite relictum eſſet, tum omnes ditiones, quas Robertus Guiſcardus, ejusque filii, & nepos in Apulia & Calabria obtinuerant (qui duces Apuliæ, &

liæ, & Calabriæ, & Principes dicti ſunt) ſolus jure hæreditario adeptus eſſet: primus ſui generis regiâ in Sicilia coronâ inſignitus, & à ſuis Rex tum Italiæ, tum Siciliæ eſt appellatus. Id licet primum moleſtè ægreq; ferrent Romani pontifices: tamen poſtea cum Neapolitana urbe, iiſque omnibus, quæ in Campania, Apulia, Lucania, Salentinis, Calabria & Brutiis ſub imperio Græcorum erant, Regis Siciliæ, ducis Apuliæ, & principis Calabriæ nomen huic Rogerio tribuerunt. Equidem & hunc Rogerium, & ſucceſſores ejus, utriuſque Siciliæ regis titulo uſos eſſe reperio. Duplicem enim, quamvis ineptè, Siciliam ab interſecante Faro fecerunt: regnumque quod ex Campaniæ, Apuliæ, Lucaniæ & Calabriæ populis conſtitutum eſt, quia citra Farum ſitum eſt, citerioris Siciliæ; ulterioris autem ipſius Siciliæ inſulę, omniſque ejus regionis, quę ultra Farum eſt, dixerunt. Verùm illud hodie rectius Neapolitanum vocatur. Itaque Rogerius & regnorum ſuorum fines, & nominis memoriam propagandi cupiditate inductus, magna adornata claſſe in Africam contra Saracenos trajecit: oraque ejus maritima è regione Sicilię depopulata, Tripolim, Aphricam (quę à Saracenis Medhia eſt vocata) Capſiam, aliaſq; ejus regionis urbes ſubegit: atq; ipſi Tuneti regi, annuo ſtipẽdio impoſito, ejus regnũ ſibi tributarium fecit. Inde flexo Orientem verſus curſu, bellum Imperatori Gręcorum Emanueli II. intulit, quòd ejus fraude & perfidiâ, ingens Chriſtianorum in Africa militantium multitudo ſublata eſſe diceretur: illumq; urbibus atque inſulis

Rogerius Rex Siciliæ.

Unde Siciliæ utriuſq; nomen.

ſulis

ſulis ei ſubjectis expugnatis vaſtatisq; , multis magnisq; detrimentis affecit. Ludovicum Francorum regem ex Saracenorum manu, quem illi ex Syria in Palæſtinam proficiſcentem interceperant, inſigni Saracenorum cæde facta, liberavit. Reverſus in Siciliam, gladio ſuo hunc verſum incidi curaſſe fertur:

Appulus & Calaber, Siculus mihi ſervit & Apher.

Hujus Rogerii regis, juſtis liberis maſculis in Guilielmo nepote, ex Guilielmo filio progenito deficientibus, Siciliæ regna *Tancredus* Rogerii regis (ut pleriq; ſcribunt, ut autem Pandolphus Colonucius prodit) Rogerii Apuliæ ducis, illius maximi natu filii nothus, conſenſu Siculorum occupavit. Qua de cauſa Clemens III. Pontifex graviter offenſus, quòd regna illa Eccleſiæ Romanæ competere contendebat, quæ Tancredus ſine ſcitu & conſenſu ejus uſurpaſſet; dum jus illud quod prætendebat, armis perſequi, & miſſo in Siciliam milite, vi eum ejicere conatur mortem obit. Cujus ſucceſſori Celeſtino III. idem adverſus Tancredum cogitanti, quod Clemens antea nequicquam tentaſſet; Heinrici Cæſaris, qui eo tempore, ut à Pontifice coronaretur, Romam profectus erat, ad ſe adventu, commoda rei bene gerendæ facultas accidiſſe viſa eſt. Nam cùm ſola Conſtantia ex legitimis regis Rogerii hæredibus ſuperſtes eſſet, eam ex monaſterio Panormitano eductam, & à ſe emancipatam, *Henrico*, ut regnorum Siciliæ hæredem, ea lege collocavit, ut Tuſculanam civitatem eccleſiæ Romanæ adverſam, eidem ſubjiceret: & regna illa, dotis nomine ad ſe perti-

Papæ jus vel quaſi, in Siciliam.

pertinentia, ſuis ſumptib. acquireret: iisq;, pulſo inde Tancredo, adeptis, annuum ſibi cenſum præſtaret. Quamobrem Imperator cum magno exercitu in Campaniam progreditur, Neapolim obſidet: ſed ſæviente in milite ſuo peſte, obſidione ſoluta, civitatibus provinciisq;, quæ ſui, imperijq; juris & ditionis erant, firmis præſidiis munitis; & adminiſtrationi Hetruriæ Philippo fratre, Spoleti Conrado, Aemiliæ & Flaminiæ Marquardo. Piceni Theobaldo præfectis, in Germaniam redit. Ita Tancredus, quam diu vixit, regna illa tenuit: at eo mortuo, tandem *Henricus* Imperator, regnis illis ad uxorem Conſtantiam, jure hæreditario delatis, potitus, dum in Sicilia cum Conſtantia conjuge agit, illa jam quinquagenaria gravida eſſe cœpit. Itaque cùm appropinquare partus videretur, ut propter grandiorem ætatem, omnem ſiniſtram de partu ſuppoſiticio ſuſpicionem animis hominum eximeret, exſtructo in publico & aperto loco ea ratione tabernaculo, ut ex eo ab omnibus conſpici poſſet, magna matronarum corona circundata, populoq; ſpectante, VII. calend. Ianuarij, Anno à Chriſto nato 1193. *Fridericum* hunc Neapolis, Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ regem peperit.

Quàm claro, quàm nobili, quàm illuſtri ex genere Fridericus noſter procreatus ſit, ſatis (ut opinor) intelligitis. Equidem parentum majorumq; ejus res geſtas, notare potius quàm narrare volui. Nã ſi illas explicare inſtituiſſem, nullũ mihi tempus de Friderico dicendi reliquum fuiſſet. Sin autem illorum virtutes ſilentio præteriiſſem, non exi- *Frid. II. natus.*

exiguam laudum partem, quę à parentibus liberis communicatur, ipſi detraxiſſem. Quare ea mihi in hac oratione moderatio quærenda fuit, ut cùm omnia parentum ejus ornamenta commemorare non poſſem; ne etiam omninò nihil de iis dixiſſe viderer. Hæ autem ipſæ paternæ & avitæ virtutes ita in hoc Friderico eluxerunt, ut quibuſdam non inferior, pleriſq; ſuperior etiam fuerit: ita, ut ſi quis cum illis hunc contulerit, meritò dubitare poſſit, utrum plus à majoribus ſuis laudis ſplendoriſq; acceperit, an ipſe familiæ ſuę adjecerit.

Ac vix quidem natus erat *Fridericus*, cùm eum pater dignum ſe, dignum avo, in imperio ſucceſſorem fore exiſtimans, primoribus Germaniæ principibus diligentiſſimè commendavit. Maximam enim de filio ſpem Henricus, non tam ex naturæ generoſitate, quàm ex Ioachimi Abbatis vaticinio conceperat. Ferè enim (ut eſt apud Pindarum & Horatium) fortes ex fortibus, boni ex bonis, generoſi ex generoſis naſcuntur: id quod fabuloſa illa antiquitas, figmentis ſuis de Heroum ortu ex Deorum cum hominibus conjunctione, ſignificare voluit. Sed cùm non raro contrà accidat, ut præclarorum Principum, & excellentium virorum liberi, à virtute paterna degenerent: fortaſſe Henrici de filio opinionem & expectationem, Ioachimus Abbas confirmavit. Nam Pandolpho Colonucio authore, cum *Henricus* de extumeſcente ventre conjugis ſuæ, provectioris jam (ut dixi) ætatis, dubitaret, accerſito ad ſe Ioachimo, cujus id temporis propter ſanctitatem, & ſacrarum literarum ſcientiam, atq; vaticinandi ſpiritum,

Ioachimus Abbas

ritum, clarum celebratumque in Italia nomen erat; ab illo non modò filium in utero conjugis eſſe didicit, ſed & quem in tota vita ſuâ curſum, quosvé ſucceſſus habiturus eſſet, cognovit. Hac filii commendatione, *Henricus* ab ordinibus & proceribus imperii obtinuit, ut obſignatis tabulis, & jurejurando ſe illi in Imperio *Fridericum* ſucceſſorem daturos eſſe confirmarent.

Frideric. Imp. deſignatus.

Non multò pòſt, audita Saladini Ægypti, Syriæque Sulthani morte, qui & Hieroſolymis vi captis, & Guidone Luſignano, Hieroſolymitano rege, ad Tiberiadem prælio victo, in Syria & Judæa vehementer Chriſtianorum opes attriverat; *Henricus* Imperator & ſua ſponte inflammatus, & à Pontifice incitatus, ad adflictas in Aſia res Chriſtianorum erigendas, & perditas recreandas; magnas copias, Germanis belli ducibus, eo conſilio in Aſiam mittit, (ſic enim quidam prodiderunt) ut mox ipſe cum inſtructa claſſe ſubſequeretur. At cum is interea Meſſanæ deceſſiſſet; tametſi illi nonnullas in Syria & Palæſtina Chriſtianorum urbes & civitates; ut Joppen, Ptolemaidem, Berytum, & ab obſidionis periculis liberaſſent; & diffidentes rebus ſuis præſidiis munitionibusque firmaſſent; tamen accepto de Imperatoris obitu nuncio; relictis in hoſtium poteſtate Hieroſolymis, aliisq; urbibus amiſſis, re infecta in Europam reverſi ſunt.

Henrici VI. expeditio in Palæſtinam irrita.

Henricus ante exitum è vita ſuum, cùm vim morbi augeri ſenſiſſet, infantis filii ſui tutelam tùm Conſtantiæ conjugi & fratri Philippo Hetruriæ præſidi; tùm omnium curam Pontifici Romano commiſerat.

Tutores Frid. II. ovim Impe.

Mater ei fida tutrix. Conſtantia ut & mariti voluntati ſatisfaceret, & matris officio non deeſſet, pro Friderico filio, quem infantem adhuc Panormi, utriuſq; Siciliæ Regem creari curaverat, regna gubernanda ſuſcepit: Quorum adminiſtrationem tanta fide, tanta induſtria, tanta prudētia obiit, ut quamvis graves & turbulenti motus ejus regimen exceperint, iis tamen ſedatis, ab omni calamitate ſe filiumque ſuum & regna expediverit. Nondum enim ab *Henrici Imp.* morte annus elapſus erat, cùm Marquardus, provinciis ſuę cuſtodiæ traditis ab Innocentio III. exutus, in Apuliam ſub ſpecie tutelæ & patrocinii, revera autem animo dominandi ingreſſus, ejus populos variis fraudibus ad defectionem ſollicitabat. In Sicilia quoque Raynerius comes Torcianus, in conſortium gubernationis à Conſtantia aſcitus, ad regnum aſpirans, pro Domino, non pro tutore vel curatore ſe gerebat. Sed Conſtantiæ cura, ſtudio & diligentia factum eſt, ut perfidi hi homines, ſceleſtos conatus ſuos perficere non potuerint. Cùm autem affecta ætate, in gravem morbum incidiſſet, neq; ſe amplius tutelæ filii, adminiſtrationiq; pręeſſe, aut etiam rebus humanis ſupereſſe poſſe intelligeret; ſupremæ ſuæ voluntatis ſententiam, & filii infantis ſalutē, & regnorum incolumitatē Innocentio III. commendavit. Neq; enim ſe præclarius atq; hac ratione, filii regnorumq; rationibus cōſulere poſſe ſperabat.

Papa malus tutor. Verùm Pontifex, hac Friderici tutela, pupillariſq; hæreditatis cura patrociniové ſuſceptis; talem ſe tutorem, talem patronum præſtitit, ut pupillum, ejuſq; regna & imperia in ſummum diſcrimen ad-

men adduxerit. Etſi enim legatos ſuos Guilielmũ S. Adriani, & Gregorium D. Mariæ Cardinales (ut vocant) gubernaculis utriuſq; regni tutorio nomine præfecit: tamẽ hoſtes, pupilli ejuſdem ditiones & dignitates affectãtes, conſilio atq; ope ſua juvit. Nã & Sibyllæ viduæ Tancredi ſuaſit, ut ad recuperãda Siciliȩ regna, quȩ maritus antè habuerat, opem à Philippo Francorum rege peteret: & cùm regis cõſilio, operâ & ſubſidio, Waltherus vetuſtâ comitum Brennorum familiâ ortus, qui antiquam ſedem in Barrenſi provincia habebant, ducta in matrimoniũ Alteria, Tancredi regis maximâ natu filiâ, ſpe regnorum illorum inductus, Campaniã & Apuliam invaſiſſet: idem Pontifex (ut tutoris, *ſcilicet*, patroniq; officio fungeretur) datis literis, miſſiſq; legatis ad proceres utriuſq; regni, ut Waltherum pro rege ſuo acciperent, ſub graviſſima proſcriptionis ex communitate Chriſtianorum pœnâ mandavit. His ſuis minis egregius ille *Friderici* tutor perfecit, ut Brennus multis in ditionem imperiumq; ſuũ pupilli oppidis acceptis, Capuam uſq; pervenerit: quæ ipſa quoque in fidem poteſtatemque ejus ſe dedit. Ibi à proceribus quibuſdam, Friderici partes tutantibus, manu militari coacta obſeſſus, impetu ex urbe de improviſo in hoſtes facto, multis interfectis; & ex primariis viris, Caſertano, Sorano, Certano, Celanenſi, Aquinati, & Sanſeverino, comitibus captis, cæteriſq; in fugam verſis; caſtris eorum potitus eſt. Hac victoria pleriſque ad ſe traductis; præcipuiſq; ferè proceribus, ſororibus uxoris, propinquiſq; ſuis in matrimonium collocatis, & propter affinitatem

ſibi conciliatis, omni ferè Apulia occupata, facilè totum regnum ſibi ſubjecturus fuiſſet, niſi Theobaldus Campaniæ & Apuliæ præſes, ab eo Sarni obſidione preſſus, inopinatâ in caſtra ejuſdem eruptione, cum fuſis fugatiſque aliis cepiſſet. Quin etiam (ut Colonucius narrat) adhuc perfidia Theobaldi, regna Siciliæ obtinere Waltherus potuiſſet, niſi inſolentia ſua (ut erat elato vir animo) impium & nefarium Theobaldi conſilium ſubvertiſſet.

Non multos poſt annos quàm Fridericus hoc periculum in regnis ſuis, divino beneficio evaſerat, aliud ei de imperio, eôdem tutore authore, conflatur: cujus initium paulò altius repetere placet.

Germaniæ Principes fidem ſuam *Henrico* aſtrinxiſſe, ſe in ejus locum in imperio *Fridericum* filium repoſituros, jam antè dixi. Cùm verò is patre defuncto, ſummæ rerum per ætatem præeſſe non poſſet: majori parti principum viſum eſt, imperii adminiſtrationem *Philippo* patruo, tutoriq; ejus committere. Contrà Pontifex, qui *Philippo* infenſus erat, quòd diligentius quàm ex re Pontificis eſſet, jura imperii in Hetruria defendiſſet; Imperii proceres à fide Henrico de eligendo filio data, ſacramentiq; religione ſolvit: & *Philippum*, ut ſceleratum & deteſtabilem, falſis criminationibus apud eos in odium invidiamque vocare nititur. His ſuis calumniis quoſdam principes & ordines Imperii permovit, primò ut *Bertholdum Ducem Zaringiæ*, Cæſarem deſignarent (ad quem etiam Pontificis extat epiſtola, plena convi-

Philippus Imp. tutor fidelis.

Papa calumnia, & crudelitas.

c. Venerabilem de elect.

conviciorum in *Philippum*) deinde cum idem *Philippo* ceſſiſſet, quòd is ſibi poſtea à pluribus imperii ordinibus in Comitiis Mülhuſii habitis prælatus fuiſſet; ut *Philippo Othonem* filium Henrici Leonis opponerent, eumq; de more Aquiſgrani coronarent. Qua de cauſa, magna in Germania, omnium ferè rerumpub. & ordinum conſecuta eſt perturbatio. Pontifex Epiſcopos, qui *Philippo* favebant, loco ſuo movebat. *Philippus* cauſa, milite, potentia & ſucceſſu ſuperior, *Othonis* amicos dignitatibus, ditionibusq; ſuis, armis pellebat: ipſumq; *Othonem*, multis commiſſis pugnis, undiquaq; victor profligabat. Itaq; omnia in Germania tumultibus, vaſtationibus, cædibus, ſanguine complebantur & redundabant. Has tantas calamitates Conradus Lichtenavius, æqualis temporum illorum, qui poſtea cœnobio *Urſpergenſi* præfectus eſt, in Annalibus ſuis dolenter deplorans; Romanos Pontifices, ut earum omnium authores & architectos incuſat, quos ex iis quæſtum feciſſe, commodumque ſuum auxiſſe queritur. Unde cùm in alia flagitia, tùm in infinitam ambitionem & avaritiam eorum acerbè & graviter invehitur.

Vrſpergenſ. de Papis.

Tandem Germaniæ principibus & civitatibus, civilibus his diſſenſionibus & armis defatigatis, pacemque efflagitantibus, & pro Philippo Pontificem deprecantibus, utque ejus animum delinirent, Imperatoris filiæ nuptias, Richardi, Anagnini Comitis, fratris ſui filio pollicentibus; eaq; ſpe Philippo à Pontifice expiato, & ab illo Othoni Beatrice filia in matrimonium data, pax in Germania eſt conſtituta.

Otho IV. etiam à Papa vexatus. Philippo per ſummam injuriam occiſo, *Otho* ad faſtigium imperii, à Germaniæ proceribus evectus, à fautore & amico ſuo Innocentio III. Romæ eſt inauguratus. Sed non diu culta eſt hæc amicitia. Nam paulò pòſt, cum ab eodem Pontifice, benevolentiâ ſuâ in capitale odium converſâ, *Otho* Romæ in vitæ diſcrimen vocatus fuiſſet; irâ atque indignatione percitus, magnis comparatis copiis, non modò Flaminiam, Picenum, Umbriam, Hetruriam depopulatus eſt, ſed & maximam partem Campaniæ atque Apuliæ, quæ ſub ditione Friderici erant, occupavit. Sic primùm conſilio, deinde culpâ tutoris, patroniq; ſui, *Friderici* ditiones plurimum damni detrimentique acceperunt. Hic nimirum tutelæ curæq; pontificiæ fructus fuit. Sed quæſo attendatis calliditatem & verſutiam Pontificis.

Cùm ex præteritis animadvertiſſet, pleroſque Germaniæ proceres in *Fridericum* propenſos eſſe, quamvis ipſe gentem familiamque Friderici odiſſet, eoque fide eâ, quâ nonnulli illorum patri ejus, de imperio filio deferendo, ſe devinxiſſent, antè liberaſſet; tamen nullam commodiorem expeditioremq; rationem eſſe, *Othonem*, tùm ſibi formidabiliorem, opprimendi, & de ſummi honoris & dignitatis gradu dejiciendi, ratus, quàm ſi Fridericum ei opponeret: à Germanis principibus contendit, ut deſerto Othone, à ſe ex civitate Chriſtianorum excluſo, Cæſarem ſibi *Fridericum* adſciſcant. Nec opinione ſua falſus eſt Pontifex. Quod enim pleriſq; præcipuorum ordinum Otho, propter ſuperbiam faſtidiumque animi invi-

inviſus, *Fridericus* autem, & propter parentum ſuorum bene merita, ſuamq; ipſius egregiam & præclaram indolem charus eſſet: illi à fide Othonis, ut à Pontifice ex Eccleſiæ ſocietate ejecti, deficientes, quod infanti adhuc *Friderico* promiſſum erat, præſtiterunt, eumq; abſentem Regem & Imperatorem renunciârunt. Jam vigeſimum annum agebat Fridericus (malo enim hîc Germanorum annales, & Pandolphum Colonucium, quàm Thomam Facellum Siculum ſequi) ac ingenii virtutisque gloria florebat. Nam Conſtantia, præſtantiſſima fœmina, cùm filium ſuum, ſummo imperio, maximisq; regnis deſtinatum ſciret; & ad qualem vitam prima inſtitutione, ab ineunte ætate aſſuefactus eſſet, talem etiam poſtea in imperando fore intelligeret: eâ diſciplinâ ejus & linguam informari, & mentem imbui curavit, ut progreſſu ætatis, ſummæ in eo & ingenii & animi virtutes eminerent. Non enim ſolùm Latinarum & Græcarum literarum (quæ barbarie obrutæ tum primùm emergebant) ſed & Germanicam & Italicam & Saracenicam linguam, quantumvis inter ſe diſtent, uſu & obſervatione diligenti optimè addidicit. Ingenerata autem præſtanti illius naturæ virtutum ſemina, ita pietatis, ſapientiæ, juſtitiæ, fortitudinis præceptis, perpetuaque exercitatione excoluit, ut cum quolibet maximorum fortiſſimorumq; Imperatorum & Regum conferri potuerit.

A. C. 1210. Frid. II. Imp. factus.

Frid. II. virtutes.

Miſſis igitur è Germania ad Fridericum legatis, qui illum ad ſuſcipiendum in Germania imperium accerſerent, cùm iiſdem *Fridericus* nihil

moratus, conjuge ſua Conſtantia Arragoniæ Regis filia, filioloq; Henrico in Sicilia relictis, in Germaniam proficiſcitur. In itinere Pontificem adit, & cum eo conſilia de inſtituenda profectione communicat. Narrat Fazellus, rerum Siculaſrum noſtra ætate ſcriptor, magno honore ab Innocentio Fridericum Romæ eſſe acceptum: certam tamen de inauguratione ab illo ſpem ei non eſſe factam, quòd Pontifex nomen ejus, ex avi Friderici I. recordatione ſuſpectum haberet, eaque de cauſa ab Italia procul abeſſe cuperet. Nec diſſimile quid Blondus tradidit. Roma Tridentum cùm veniſſet, quòd rectius & expeditius iter ab Othonianis, locis ſuperioribus, obſideri cognoviſſet, magna cum difficultate inviis & aſperis Rhetorum alpibus ſuperatis, ſecundùm Rheni tractum, omnibus in ora Rhenana civitatibus ad Imperii ditionem pertinentibus, in fidem ſuam acceptis; *Othone*, qui quàm maximis poterat itineribus ex Italia in Germaniam contenderat, ut Friderico ad Rhenum occurreret, & tranſitu prohiberet, ſpe ſua dejecto, *Aquiſgrani* de more coronatus: inde in hyberna *Francofurtum* profectus, & pòſt conventibus aliquot in Norico habitis, mortuo Othone, rebus Imperij ordinatis, omniq; ferè Germania pacata, cum *Ludovico Bojo*, magnoq; Germanorum procerum comitatu reverſus, ab Honorio III. qui in Innocentij locum ſuffectus erat, ſummo cum apparatu eſt conſecratus, Auguſtusq; appellatus. Quam ob rem cũ alia multa & magnifica dona in Pontificem, ejusq; aulam contulit, tum Eccleſiæ Romanæ comitatũ

Romam venit.

pòſt in Germaniam.

Coronatur Aquiſgr.

Honorius III. PP.

Frid. II. liberalis in Papam.

Funda-

Fūdanū pleno jure donavit. Nā avaritia Pōtificū, corruptus ille & depravatus mos inveteraverat, ut Principib. ad inaugurationē illam, quę cōfirmationis cauſa à Pōtificib. fiebat, niſi peramplissima munera aditus non daretur: ut hic *Cuſpinianus*, rerum ab Imperatoribus geſtarum haudquaquam ſpernendus ſcriptor, notat. Sic quaſi venalia Imperatoriæ dignitatis inſignia Pontifices haberent; ita ea deſignatos Reges & Cæſares, ab illis precio comparare oportebat.

Tum quoq; *Fridericus* Imperator, ne ullo in genere benignitatis erga ſacrum ordinem reſtrictus eſſe videretur; ſed ut liberalitas ſua latiſſimè in Eccleſiam pateret: ex ſententia Pontificis eas edidit conſtitutiones, quæ hodie in Iure noſtro Civili extant: quib. libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam, abrogatis & ſublatis à ſe omnibus & legibus & moribus ei derogantibus, pluribusque pro ea irrogatis privilegijs, ſartam tectam eſſe voluit. Sed callidè impoſuit vel prudentiſſimo Imperatori Pontifex, cum longè aliud, atque Imperator ſpectaret. Id enim agebat & ille ipſe, & alij Pontifices, ut quem moliebantur dominatum, jam inde à *Bonifacio* III. hic ita ab Imperatoribus inopinantibus ſtabiliretur atque confirmaretur, ut eos ipſos ſuiſmet legibus, tanquam vinculis quibuſdam conſtrictos, in ſervitute ſua tenerent. Nam cum pœna illa proſcriptionis ex cœtu Chriſtianorum, (quæ olim nervus erat diſciplinæ Eccleſiaſticæ) pro ſua libidine abuterentur; nonne Imperator gladium & ad ſe jugulandum, & ad imperium exſcindendum in manus Pontifici porrexit?

C. de ſacroſan. eccleſ.

Pontifices impoſtores ingrati.

Excommunicationis abuſus.

xit? cum,* tulit, *ut qui ab ijs, ob diminutionem Eccleſiaſticæ libertatis, ex ſocietate Chriſtianorum ſegregatus per annum fuiſſet; idem ipſo Iure Civili proſcriptus eſſet, ſi intra annum non expiaretur: nec ante reſtitueretur, quàm ab Eccleſia receptus fuiſſet.* Quo factum eſt, ut ſi quis Imperatorum pro officio ſuo, in dignitate Imperij tuenda, libidini Pontificum reſiſteret; quaſi contra Eccleſiam feciſſet à Pontificibus, ex communione Chriſtianorum eiiceretur: & niſi intra annum ab ijſdem in gratiam reductus eſſet, hac ipſa lege principali pro proſcripto haberetur. Aut igitur, ut proſcriptionis pœnam Principes effugerent; omnia eis ad nutum & voluntatem Pontificis erant facienda aut ſi in defendendo & conſervando Imperio perſiſtebant; ut proſcriptis, omnia dignitatis, honorum opum, & vitæ pericula ſubeunda erant. Quare his, alijsq; eius generis privilegijs & legibus dum gratificari Pōtifici, & Eccleſiæ benignè facere Imperatores & Reges voluerunt, ſibiipſis & Imperio, detrimento exitioque fuerunt: quippe in eam ſe ſervitutem Pontificum præcipitârunt, ut non ſecus atque mancipia, cupiditati eorum ſervire cogerentur. Sed venia danda Principibus, qui pietatis ſtudio, & Eccleſiæ intuitu, illis tam multa conceſſerunt: Pontifices verò, qui ut religioni præeſſe voluerūt, ſic & reliquos homines juſtitia & æquitate anteire, ipſiusq; Chriſti & Apoſtolorū exempla imitari oportebat; quòd beneficia illa non modò ad dominatū & tyrannidem ſuam, ſed ad perniciem Imperatorum, à quib. acceperūt, ſcientes prudentesque converterunt; quomodo excu-

* *Conſtit. de ſtatu & conſuet. cont. libert. §. Item quæcumq.*

Cæſares ſervi Papæ ſervi ſervorū.

excuſari aut poſſint aut debeant, non video. Et adhuc quiſquam eſſe poteſt, qui eos bonos viros ſanctoq; patres, aut fuiſſe credat, aut dicere poſſit? Sed rapuit me longius ab inſtituto, rei indignitas, quàm propoſueram.

Fridericus cum Germanis principibus qui eum Romam deduxerant, ad res Imperij in Italia conſtituendas, civitates, quæ illi ſubiectæ erant, obit, & in verba ſua jurare cogit. Deinde in regna ſua ſe confert; ubi cum alios de defectione conſilia inijſſe, noviſq; rebus ſtuduiſſe, tũ præſertim Thomam & Richardum. Innocentij III. fratres comites Anagninos, regni cupiditate inductos, quibus caſtella quædam in regno Neapolitano erant, cum Othone IV. quando is id hoſtili manu invaſerat, conſpiraſſe reperiebat. Qua de cauſa in eos *Fridericus*, ac læſæ maieſtatis reos animadvertendum ratus, ſubitò caſtellis arcibusque eorum captis & expugnatis, & ex his Celano diruto, omnibusque eos bonis mulctatos: Richardum, quem depræhenderat, in Siciliam relegat: Thomas manib. eius elapſus, quã celerrimè ſe Romam receperat. Eòdẽ & alij, qui rerum novarũ cupidi, Othoni faverant, eiq; opera & conſilio ſuo adfuerant, partim conſcientia delicti, metuq; pœnæ, partim à Friderico exilio affecti confugerant. Hac regni parte pacata, Fridericus pluribus collectis copijs in Siciliã proficiſcitur, ut Saracenos, qui in illa inſula magnos motus concitârant, coerceret. Quos magna vi adortus, ſuperavit: duceq; eorum Mirabeto capto, & laqueo enecto, ac civitatibus oppidisque quæ tenebant, extirpatis & everſis, magnam eorum partem

Italiam pacat.

Siciliamq;

partem concidit: reliqui ſe fugæ mandarunt, & in loca devia & deſerta ſe abdiderunt.

Papa receptator perfidorum.

Ecce autem egregia Honorij Pontificis, grati erga Fridericum animi teſtificatio. Thomam illum, alioſque proditores & exules Pontifex Romæ fovet, & perfidiæ crimine contaminatos, a fide obedientiaq; Friderici eximit. Quod ubi *Fridericus* cognovit, de huius facti indignitate cum eo expoſtulavit. Sunt qui referant, ita tum illum adverſus ſe animum Pontificis exacerbaſſe, ut ira exæſtuans, execrationis fulmen, quod (ut jam oſtendi) potiſſimum, aut unicum ferè tyrannidis Pontificiæ firmamentum fuit, in Imperatorem emiſerit.

Frid. II. Lis cum Papa propter Eccleſiaſticorum licentiam. & iniuſtitiam.

At Thomas Facellus cauſam huius deteſtationis, paulò aliter in hunc modum exponit. Inter perduelles etiam Epiſcopi aliqui fuerunt: quos cum Fridericus exautoratos è regno eieciſſet, illi Romæ opem Pontificis imploraverant. Pontifex miſſis legatis, à Friderico petijt, ut expulſos, officioque ſuo deiectos Epiſcopos reſtitueret: néve ſibi poteſtatem Eccleſiaſticam ſumeret: cognitionem de criminibus eorum, coercitionemq; ſui, id eſt, Pontificij juris atq; muneris eſſe Eccleſiarumque in regnis illis curam, ad ſe pertinere.

Ad quæ Fridericus ita reſponderit: Cum amplius quadringentis annis, jam inde à *Carolo Magno*, functiones curationesq; Eccleſiaſticas Imperatoribus & Regib. in ſuo cuiq; regno idoneis hominibus cõmittere licuerit: idem etiam juris ſibi competere, idemq; ſe in imperio munus ſuſtinere, quod *Heinrico* patri, quod *Friderico* avo, quod alijs,

lijs, qui eos anteceſſerunt, incubuiſſet. Præterea cum Rogerij, cùm Guilihelmi, cum mater etiam ſua Conſtantia, jus deligendorum Epiſcoporum, cæterorumque Eccleſiæ ordinum, ſemper in utroque Siciliæ regno habuerint: non ita Rogerium regem, nec Guilhelmum bonum, nec matrem ſuam, nec ſe de Romana Eccleſia meruiſſe, ut quo jure in regno maiores ſuos uſos eſſe conſtaret, eo nunc demum ipſe ab Honorio ſpoliaretur. Indignitate igitur poſtulatorum *Fridericum* commotum, hæc ſubieciſſe, idem author prodit: Quouſq; tandem Pontifex abutetur patientia mea: quando avaritiæ ſuæ modum ſtatuet? quem ad finem infinita eius ambitio progredietur? Marquardus Flamminiæ provinciæ à patre præfectus, ab Innocentio III. cum ego in cunis agerem, ab adminiſtratione removetur, ut eam ditionem Imperio adimeret. Theobaldus Picenorum præfectura me infante, expellitur, ut etiam hac provincia Imperium privaret. *Philippus* patruus, & cùm Hetruriam adminiſtraret, & cùm illo invito ad Imperij gubernationem vocatus eſſet, multis gravibusq; injurijs ab eodem agitatus eſt, donec ei nuptiarum filiæ illius, cum filio fratris ſui iniecta ſpes eſt: ut hac occaſione ad familiam ſuam Hetruriam transferret. Fundanum quoq; comitatum nuper mihi Põtifex ad redimendam confirmationem emunxit, & ſacroſancti Imperij diadema magno precio nundinari me coegit. Iam & Imperatoriam majeſtatem, quam ipſo approbante ſum adeptus, aſpernari, contemnere, conculcare audet. Quis hanc incredibilem audaciam, quis hanc intolerabilem ferat

Frid. II. iuſta querela de Pontif. Romanis.

ferat in Pontifice inſolentiam? Ite, renũciate Honorio inſignia Imperij, regniq́ue coronam me prius depoſiturum, quàm commiſſurum, ut tantæ maieſtatis ab eo diminutio fiat. Hæc ne quis à me conficta putet, à Thoma Facello, lib. VIII. ſcripta extant: quem qui legerint, & cum his noſtris contulerint, me ſententiam eius, commutata verbis eorumq́ue comprehenſionibus aliquantum orationis forma, verè recitaſſe intelligent.

Jus Imp. in Eccleſ.

Etſi verò vix mihi ſatis temporis ad ea, quæ de Imperatorum & Regum jure in Eccleſiaſticis muneribus cõferendis à *Friderico* notata audivimus, vel mediocriter explicanda ſupereſt; tamen quia hic locus hodie in Imperij contoverſijs magni eſt momenti, viſum eſt potius faciundum, ut paucis eum exponerem, quam omnino ſilentio præterirem, Ac primò quidem, quin in prima Chriſtianorum Eccleſia diſtribuendorum munerum Eccleſiaſticorum præcipua cura & poteſtas, penes populum Chriſtianum, intercedente etiam adminiſtrorum devinarum curationum conſilio, fuerit: facile ex ſacroſanctis ſcriptis, & ex conciliorum decretis, & ex primæ Eccleſiæ conſuetudine perſpici poteſt: quò etiam pertinent cum alij in Decreto à Gratiano conſarcinati loci, tum præſertim can. 12. 13. 14. 26. 27. 32. Diſtinct. 63. Deinde ipſis etiam principibus, Chriſtianam religionem amplectentibus, & honoris & ordinis cauſa conceſſum eſt, ut petenti populo idoneos miniſtros, vel ipſi Eccleſiæ imponerent, vel commendatos confirmarent: quos qui jam officijs Eccleſiaſticis

Imperatorum jus in Eccleſiaſt. muneribus conferendis.

præ-

præfecti erant, conſecrarent. Sic Conſtantinopolitani Imperatores, à *Conſtantino Magno*, more per manus tradito, jus functionum in Eccleſia Chriſtiana ſuis ordinibus tribuendarum, cum populi & Eccleſiaſtirum conſenſu; habuerunt, idq; diu retinuerunt: ut *Honorij* Imperatoris ad Bonifaciũ can. 8. Diſtinct. 79. & can. 2. Diſtinct. 97. ut Pelagij & Gregorij Magni (quorum ille, *Iuſtiniano* Imperante & Totila in Italia regnante; hic autem, Imperatore *Mauritio*, & Longobardis Italiam tenentibus, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos egerunt) can. 15. 21. & 24. Diſtinct. 63. reſcripta & conſtitutiones teſtantur. Quod autem illud Honorij Imperatoris reſcriptum Gratianus in princip. tum 96. tum 97. Diſtinct. vanum & nullius momenti eſſe refert; quòd & contra authoritatem ſacrorum canonum, de electione ſummi Pontificis decreverit, & civili magiſtratui nulla de rebus, nedum ordinibus Eccleſiaſticis, diſpenſandi facultas attributa legatur: inſignem ipſius & inſcitiam & impudentiam notare licet. Quaſi verò id temporis aut ulli extiterint ſacri Canones, qui Imperatoribus jus conſtituendi miniſtros Eccleſiæ ademerint; aut dubium ſit, Imperatores de rebus, curationibus & diſciplina Eccleſiaſtica conſtituiſſe, eorumque leges in Eccleſia obſervatas eſſe: cum id ex legum rerumque ea ætate in Eccleſia Imperioque geſtarum monumentis aperte conſtet. Ac ne longè abeamus, ſatis id ex ijs titulis, qui ſunt de ſacroſanctis Eccleſijs, Epiſcopis & Clericis, alijsque capitulis Eccleſiaſticis rebuſque ſacris, qui in conſtitutionum Principalium à *Iuſtiniano*

Gratianus impudens.

Imperatores olim conſtituerunt Epiſcopos.

&col-

& collectarum & editarum libris cernuntur; eſt perſpicuum; in quibus multa capita *Honorio & Theodoſio* accepta feruntur. Sic & poſt *Iuſtinianum* inſequentes Græcos Imperatores jus illud ordinandi Pontificis Romani retinuiſſe, quamvis jam tum ab his interpellatum, indicat can. 21. Diſtinct. 63. Princeps autem cuius meminit, fuit *Conſtantinus* IV. qui *Pogonatus* dictus eſt. Illorum deinde morem & veſtigia *Carolus Magnus*, occupata Italia, hac in re ſecutus eſt. Ut enim in can. 22. ead. Diſtinct. traditur, Synodo Lateranenſi indicta; in qua Adriano Pontifice, CLIII. Epiſcopi convenerunt, conſtitutum eſt, ut creandi Pontificis, omniumq; Antiſtitum & ordinum Eccleſiaſticorum in Italia aliisque eius ditionibus & provincijs deſignandorum, jus & poteſtas penes Carolum eſſet: ut qui ab eo commendatus aut approbatus non eſſet à nemine conſecraretur: ut qui huic decreto non parêret, in graviſſimam proſcriptionis publicationisque omnium bonorum pœnam incurreret. Cuius rei exemplum pulcherrimum extat can. 18. eodem titul. Sed tamen iſtius reſcripti author Stephanus IV. contra decretum illud inconſulto Imperatore Pontifex factus eſt: qui ut ſancitam in eo pœnam eluderet, ſe purgatum ad *Ludovicum Pium Caroli Magni* filium in Galliam ivit, Remisq; Ludovicum & eius coniugem Hirmigardim imperiali diademate ornavit. Idem ille Pontifex ſibi temperare non potuit, quin conſtitutioni illi nimia lenitate Imperatoris perſpecta, fraudem faceret. Voluit enim, ut ex can. 27. eadem Diſtinct. apparet, ordini Eccleſiaſtico populo &

Græci.

Carolus M.

Ludovic. Pius.

lo & ſenatui Romano, ſine Imperatoris authoritate, Pontificem eligere licere, eundem autem niſi intercedente Imperatoris voluntate, conſecrare non licere. Ex quo perſpicuum eſt, illos ipſos Romanos Pontifices, proſtituta ſanctione pœnæ, primos omnium fuiſſe, qui non modo decretũ illud Lateranenſis conventus non obſervarint, ſed re ipſa infringerent: quin etiam jam tum contrarijs reſcriptis & conſtitutionibus in univerſum, tollere niterentur. Quare poſtea *Lotharius* Imperator, Caroli nepos, cum ad interrumpendas machinationes, de translatione imperij Leonis IV. in Italiam profectus eſſet: illud etiam Lateranenſis Synodi decretum, *de jure Imperatoris in Pontificem cæterosq; Eccleſiæ ordines*, renovavit. Atque hinc Epiſtolæ illæ can. 16. & 17. eadem Diſtinct. 63. à Leone IV. ſcriptæ ſunt: qui etiam can. 9. Diſtinct. 10. præcepta Imperalia ſe in omne ævum conſervaturum profeſſus eſt. Idem Leo cum multorum aliorum criminum, tum læſæ maieſtatis argueretur; coram *Ludovico* II. Imperatore filio Lotharij cauſam dixit 2. q. 7. can. 40. Poſteaquã verò inſequentibus temporibus de ambitione ſua Pontifices Romani nihil remitterent: *Otho* Imperator eius nominis I. cum impuriſſimum & ſceleſtiſſimum Pontificem Iohannem XIII. cum ob alia innumera flagitia, tum ob inſignem erga ſe perfidiam pontificatu deieciſſet, & in eius locum Leonẽ V. ſubſtituiſſet; convocata Synodo, & cum ſenatus populiq; Romani conſenſu, ad exemplũ prioris in Synodo Lateranenſi, *de jure Imperatoris* in eodem templo & loco novam conſtitutionẽ (quæ

Lotharius

Ludov. II.

Otho I.

continetur can. 23. diſt. 63.) idem Leo promulga-
vit: qua vetus illud *jus Imperatoris de poteſtate eli-
gendi pontificis, conſtituendi Antiſtites*, graviori et-
Othone III. iam ſanctione firmatū eſt, rurſusq; ab Othone II
Ioanne XVIII. (quē Creſcentius Romanus arro-
gato ſibi imperio, unà cum populo & Eccleſiaſtic
ordine Pontificem fecerat, naſo oculisq; privato
& de Capitolio pręcipitato) revocatum eſt. Sed ci
nec poſtea quidem Romani Pontifices ingeniun
ſuum mutarent, & jus illud de Imperatoris in Pon-
tificem autoritate ſummo ſtudio, ſummaque cu-
Henric. III. ra abrogare conarentur: id *Henricus* III. con-
ſtituto Pontifice Leone IX. iterum ſancivit, qu
eundem quoque Pontificem, ſe omnibus ali
Epiſcopis, in celebri Synodo ab *Henrico Mogun-
tiæ* habita, anteponentem, Moguntino cedere
compulit. Sic poſt mortem *Henrici* III. Nico-
laus II. quamvis decreto ſuo, quod can. 1. Diſtin.
23. recitatur, in eligendo Romano Pontifice, Car-
dinalibus, ratione cæterorum ſacerdotum, popu-
Henric. IV. lique Romani primas dederit; tamen *Henrico* IV
Regi impuberi, cui imperium delatum erat, ju
in hac re ſuum voluit ſalvum eſſe. Verum cum
poſtea Hildebrandus, qui Gregorius VII. appel-
latus eſt, jus illud Imperatorum, quod jam ant
in creatione Alexandri Pontificis neglectum erat
non modo labefactare, ſed & evertere conare-
tur: quod non ſolum ipſe ſine voluntate Impe-
ratoris pontificatum invaſiſſet, verum etiam edi-
xiſſet, ne quis Imperatorum, Regum, Ducum
Marchionum, Comitum, vel aliorum civilium
magiſtratuum alicui Eccleſiaſticas curationes aſſi-
gnaret

gnaret, nevè quis eas ab illis ſuſciperet, 16. q. 7. can. 9. & 10. Tandem *Henricus* horrendo illo monſtro Hildebrando pontificatu depulſo & proſcripto atque in eius locum Clemente III. ſubrogato, jus illud iterum Imperatoribus vindicavit. Sed tamen cum inſequentes Pontifices, exemplis ſuis juri illi imperatorio derogarent, atque ſummo quidem ſtudio id Henricus tueri conaretur: Pontificum fraude, deducto à ſe filio Henrico, & alienatis pleriſque Germaniæ Principibus, oppreſſus eſt. Etſi vero *Henricus* V. Romam profectus eo adegit Paſchalem II. ut & publica concione, & conſignatis tabulis, atque jure jurando confirmatis, Imperatoribus rurſus jus illud conferendorum Eccleſiæ miniſteriorum reſtituerit: tamen poſt Henrici ab Urbe diſceſſum, cũ Paſchalis Pontifex publicè præ ſe ferret, ſe vehementer pœnitere, quod privilegia Imperatorum de curationibus Eccleſiaſticis diſpenſandis metu approbaſſet; Imperatore ex communitate Eccleſiæ ſegregato, in Lateranenſi Synodo conſtituit (unde 16. quæſt. 7. c. 13. 14. 15. & 16. deſcripta ſunt) eum in Impiorum & hoſtium numero habendum, qui Eccleſiaſticã functionem à civili magiſtratu obtineret. Itaq; cũ hæc decreta in deſignatione Põtificum, in iniuriam & contemtũ Imp. obſervarẽtur; & cũ jam inteſtinis bellis, Põtificum præcipuè operâ, cõcitatis, non debilitata modo, ſed ferè fracta poteſtas Imp. eſſet: Cũ *Henricus*. V. graviter à *Lothario* eiusq; aſſeclis, Epiſcoporũ & Pontificũ impulſu, oppugnaretur; ab alijs etiam qui ex ſua parte erant Epiſcopis ſpe publi-

Ius Imp. in Papas vindicavit.

Henr. V.

cæ tranquillitatis, ut pontificijs poſtulatis morem gereret, magna cum importunitate & pertinacia urgeretur: tandem ille (proh dolor) jure illo, Eccleſiaſticorum munerum ſuis ordinibus diſtribuendorum, jam ante trecentos annos à Carolo Magno uſurpato. & ab ſubſequentibus Imperatorib. ad hoc usq; tempus ſingulari fortitudine conſervato, maximo Eccleſiæ Chriſtianæ reipublicæq; detrimento, ut cum Pontifice Calixto II. conciliaretur, in vicina Vangionum urbe ceſſit. Tum igitur primùm hoc jus, quod tam diu antè, tot tantisq; artibus, nunc clam, nunc vi Pontifices quæſierant, omnino ſunt conſecuti.

Henric. V. jure ſuo cedit VVormatiæ.

Nam quibus capitibus Gratianus ante illa tempora, Romanæ civitati poteſtatem illam eligendi Pontificem abſque conſenſu Imperatorum datam eſſe, vult demonſtrare: ut can. 29. 30. adiunctaq; palea poſteriori. & can. 31. eadem Diſtinct. 63. fraudulenter à Gratiano aſſentatore Pontificio pro veris ſuppoſita eſſe, & antè in plerisque *Carolus Molineus* notavit, & ex obſervatione temporum, à quovis vel mediocriter in hiſtorijs Francicis & Germanicis verſato, animadverti poteſt. Primò enim Gregorium IV. cui can. 29. inſcribitur, quinq; ex ordine Pontifices ſubſecuti ſunt, ante Adrianum illum II. qui arrepta à populo per vim eligendi Pontificis poteſtate, Pontifex factus eſt: cum præſertim is Gregorius antè pontificatum accipere noluiſſet, quàm Imperator in eius electionem conſenſiſſet. Deinde. can. 30. Molineus authoritatem Raphaelis Volaterrani opponit, qui inde etiam ſuſpectus eſt, quod Eugenio Pontifice,

Detegũtur Gratiani fraudes.

Gregor.

fice, huius Paſchalis, quo cum pactum Ludovicus I. inijſſe dicitur, idem Ludovicus Pius eiusq; filius Lotharius pro ſucceſſore, Principis Romani poteſtate, Romæ cum omnib. Imperio ſubiectis, tum ipſis etiam Romanis leges conſtituerunt: ut de illa renovatione decreti à Lothario facta taceam. Tum quomodo paleam illam, cuius initium (Conſtitutio) Leo IV. ad Lotharium & Ludovicum Auguſtos ſcribere potuit? cum in ea mentio fiat Henrici Aucupis & Othonis primi, qui annos amplius LXXX. poſt illos Leonemq; IV. Pontificem demum imperarunt.

Iam verò qua fronte Gratianus Othonem I. capitis 31. authorem facere audet? cum & Ioannem illum XII. Otho à pōtificatu amoverit; & non modo juri Imperatorio & in urbem Romā, & in Pōtificem Romanum Epiſcoposq; Imperio Romano ſubiectos nihil detraxerit: verum eidem amplius quid (ut ante dictum eſt) addiderit. Et tamen tam ſtupidus & impudens fuit Gratianus, ut tam manifeſtas fraudes, & evidentes impoſturas à ſe confictas, in hac ipſa Decreti compilatione ad dominationem Pontificum accommodata, pro veris legibus lectoribus obtrudere ſit auſus: tum ne aliquando hęc à poſteris deprehēdantur, & cum inſigni ſuo dedecore detegantur, non ſit veritus.

Ergo, ut ſemel hoc jus Imperatoribus Pontifices extorſerunt, ita dominatum ſuum armarunt & ſtabiliuerunt: ut tametſi poſteà ſtudioſiſſimi dignitatis Imperatoriæ, amantiſſimi utilitatis Reip. cupidiſſimi ſalutis Eccleſiæ, *Fridericus* I. & II. *Ludovicus Bonus*, *Henricus Lucelbergenſis*, à Pontifici- *Tyrannis Pontificum evertenda eſt.*

 bus

bus potentia ſua in imperij excidium, Reipublicæ perniciem & Eccleſiç exitium, nefarie & crudeliter abutentibus, jus illud recuperare, & priſtinam Imperatorib. authoritatem, ab ijs non modo labefactatam, ſed fere omnino conciſam & convulſam aſſerere ſingulari & prudētia & virtute ſunt conati; tamen id in illis doctrinæ cœleſtis tenebris, & fœdis populi erroribus triſtiq; civilis magiſtratus ſervitute perficere nō potuerint. Noſtra vero memoria, cum multi viri pij & docti, vi divina imbuti, in contaminato ſuperſtitione & defœdato impietate, & oppreſſo pontificia tyrannide, Chriſtianç religionis ſtatu, Deo auſpice, eiusq; ſacroſancto verbo præeunte purgando, emendando, inſtaurādo, magno cum Reip. Chriſtianæ fructu elaborârint: quo major facultas nunc principibus ad priſtinam & religioni puritatem, & Eccleſiæ authoritatem, & imperij rerumq; publicarum gubernationi dignitatem reſtituendam eſt oblata: eò diligētiori ſtudio illis in id, ut in rem ſummam & maximopere neceſſariam, eſt incumbendum. Quæ enim olim omni genere virtutis clariſſimis Imperatoribus Regib. Principibus, ob Pontificum prçſtigias obſcura fuerunt; ea nunc, ex ſingulari Dei erga genus humanum clementia, aperta & perſpicua ſunt: nec quod jus faſq; non eſt rogari, id rogari poſſe; nec contra Chriſti præcepta, contra inſtituta Apoſtolorum, contra veterum Conciliorū authoritatem, contra incorruptum in antiqua Eccleſia morē, contra primorum Chriſtianorum Imperatorum leges, Pontificū placita valere; nec perverſam & impiam conſuetudinē, vel in Eccleſia,

vel in Republica Chriſtiana, legis vim & autoritatem, quamvis inveterata ſit, habere certum eſt.

Quod autem ius in diſpenſandis Eccleſiaſticis muneribus Imperatorib. fuit, idem & Regibus alijsq; magiſtratibus erat, qui ſummam in ſuis regnis & ditionibus poteſtatem obtinebant. Nam & decreto concilij Toletani quod can. 25. Diſtin. 63. commemoratur, creandi & eligendi Epiſcopos & Antiſtites poteſtas in Hiſpania penes Regem Hiſpaniæ fuit, & ex rebus geſtis *Cludovei, Caroli Magni, Ludovici* IX. (qui inter Divos relatus eſt) *Philippi Auguſti, Philippi Pulcri, Caroli* V. VI. VII. Franciæ Regum notum eſt; præcipuam curam Eccleſiæ Gallicę Reges illos, non Pontifices, ſuſcepiſſe. Et ex Anglicis hiſtorijs perſpicuum eſt, facultatem conferendorum in Anglicis Eccleſijs miniſteriorum, uſq; ad *Heinricum* I. Angliæ reges habuiſſe, qui ea operâ Anshelmi Cantuarienſis Epiſcopi, à Paſchali II eſt privatus. Quin etiam principes Germaniæ Imperijq; ordines uſq; ad *Henrici* V. tempora, ſua quęq; ditione functiones Eccleſiaſticas ſuis ordinibus diſtribuiſſe: deinde eandē diſpenſationem etiam populo cum ordine religioſo fuiſſe, tandemq; *Friderico* regnante id iuris ſacerdotes in ſe ſolos derivaſſe Ioannes, Aventinus lib. VII. Annalium Boiorum memoriæ prodidit. Itaque probabile eſt, Siciliæ quoq; Regibus eandem facultatem in dandis curatoribus Eccleſijs regni ſui fuiſſe; idque Fridericum contra pontificis tyrannidem tutari voluiſſe, eaque ipſa de cauſa (ut Fazellus author eſt) ab Honorio ex cœtu Chriſtianorum eſſe exterminatum. Nec verò igno-

Regum ius in Eccleſias

Hiſpan.

Gall.

Angl.

Germaniæ Princip.

And. de Iſernia ad I. conſtit. Neap. num. 12.

ignoro, *Platinam & Blondum* Friderico ob inſignia flagitia ſacris ab Honorio primo interdictũ, deinde propter pertinaciam Imperij atque regni, titulos abrogatos, memoriæ mandaſſe. Verum eos in ſcribendo gratiam magis Pontificum quàm veritatem ſectatos eſſe, non eſt obſcurum ei intelligere, qui hoc in loco illos cum ſcriptoribus Friderico & Honorio æqualib. comparaverit. Hi enim ſcriptum reliquerunt, frivolis de cauſis Fridericũ tam atrociter ab Honorio tractatũ: id quod Pandolphus quoq; Colonucius, rerum Neapolitanarum & Sicularum ſatis accuratus & diligens ſcriptor, teſtatur. Sed eò unde digreſſus ſum redeo.

Platina & Blondus aſſentati Papis.

Commorante in Sicilia Friderico, uxor eius Conſtantia Arragonia Catanæ decedit. Interim res Chriſtianorum, (qui maxima claſſe in Ægyptum traducti, Peluſium olim, ſive Heliopolim, Damiatam vulgò dictam ceperant, Sultanumque Ægypto ſe exturbaturum confidebant) triſtem & calamitoſum exitum habuerunt. Nam ob inundantis Nili aquas in caſtra ſua derivatas, maximas difficultates perpeſſi, pace à Sultano iniquiſſimis conditionibus impetrata, & urbe & tota Ægypto cedere, & Acaronem Tyrumq;, non ſine magno detrimento & labe Reip. Chriſtianæ, ſe recipere ſunt coacti. Itaq; Ioannes Brennus Rex Hieroſolymæ, in Italiam auxilium à Chriſtianis contra hoſtes rogatum appulit, Romamque ad Honorium ivit; Ibi regni ſui calamitate, imminentisq; periculi magnitudine expoſita, opeque implorata, cum ſe in *Friderico* Imperatore (quod eius nomẽ clariſſimũ, ſummaq; eſſet apud omnes,

Chriſtianorum clades in Ægypto.

Frid. II. in Syriam expeditio.

præ-

præterquam unum Pontificem,authoritas) ſpem maximam ponere oſtendiſſet, qui & præteritis malis mederi,& futuris occurrere poſſet; tandem illius precibus, & ipſis temporibus motus Honorius,cum Friderico in gratiam rediit. Qui data ſibi in matrimonium Iole filia Ioannis,ex filia Conradi regis Hieroſolymæ, & Marchionis Montis ferrati,prognata,& dotis nomine omni jure regni Hieroſolymitani, quod ex materna hæreditate illi competebat, in ſe translato (unde & qui Neapolitanum & Siciliæ regnum poſtea poſſederunt, Hieroſolymitani regni titulo ſunt uſi) ſe in Aſiam ad vindicandam Hieroſolymam, quàm primùm poſſet, expeditionem facturum promiſit. *Reges Hieroſol.*

Inter duces belli in Ægypto geſti etiam fuit *Ludovicus Bojus*, qui cùm in Europam reverſus, ad Imperatorem veniſſet, filium ei *Henricum*, & ut ſecum in Germaniam ducat,& ut iſtic curam ejuſdem gerat,committit; qui poſtea data ſibi in matrimonium filia Leopoldi Auſtriaci, Cæſar à Germaniæ proceribus deſignatur. Friderico autem diutius opinione pontificis, profectionem in Aſiam differente, ſive quod in Imperij regnorumq; ſuorum rebus ordinandis confirmandisq; detineretur, ne quis in iis ſe abſente motus exiſteret: ſive quò[illegible] in iis, quibus ad bellum hoc opus eſſet, quod ii[illegible] pro dignitate atq; opibus Imperij geſturus e[illegible]t, parandis occuparetur: ſive quòd conſtitutum p[illegible]is, q[illegible] in Ægypto inter Chriſtianos & Sa[illegible]os in octo annos jurejurando ſancita erat, quam vi[illegible] efas eſſe putabat, tempus nondum [illegible] Honorius exaſperato animo *Lud. Boj. D. Palatinus curator filij Cæſaris.*

grave & acerbum quid in eum tentaſſet, niſi morte præventus fuiſſet, in cujus obitum hi verſiculi ſcripti ſunt:

O pater Honori, multorum nate dolori:
Eſt tibi dedecori vivere, vade mori.

Gregorius IX. Papa Cæſaris hoſtis. Honorius, non in pontificatu modò, ſed & in odio adverſus *Fridericum*, ſucceſſorem habuit Gregorium IX. qui ex eorum Comitum familia oriundus erat, quos (ut dixi) Fridericus perduellionis condemnaverat. Erat enim Innocentij III. nepos. Vix dum Papatum inierat, cum *Friderico* diras & omnia extrema minatur, niſi quàm celerrimè poſſet in Aſiam proficiſcatur. Qua de cauſa autem tam importunè & inſtanter ad maturandam expeditionem hanc Fridericum urſerit, poſtea apparebit. Quod enim animo deſtinaverat, niſi illo longè ab Italia remoto, moliri non audebat. At Fridericus ob eas ipſas, quas paulò antè commemoravi, cauſas, abundè ſe excuſat. Illæ enim omnes ab iis, qui res geſtas Friderici poſteritati mandarunt, quamvis aliæ ab aliis, referuntur. Nominatim autem Fazellus Siculus ſcribit, Fridericum moram ſuam per ſacramenti, quo pax inter Saracenos & Chriſtianos firmata fuerat, religionem purgaſſe. Idem refert à Ioanne Hieroſolymorum rege, cùm id temporis filia ſua Romam adducta eſſet, Imperatorem Pontifici eſſe reconciliatum: cumque Romam ad celebrandas nu-
„ ptias vocato, *Gregorius* de more pedem dextrum
„ ſuaviandum præbuiſſet, illum genu Pontificis,
Oſcula pedum Papæ. non pedem vix ſummis labiis oſculatum: idque Pontificem moleſtiſſimè tuliſſe. Sed cùm opportuna

tuna tum ei ulciſcendi hanc injuriam facultas non eſſet, ejus vindictam in aliud commodius tempus rejeciſſe. Fridericum poſtea, quòd Chriſtianos in Syria à rege Ægyptiorum premi, & ejuſdem inſtinctu ab Arſacida ſicarios in Europam Chriſtianos Reges trucidatum miſſos, Regemque Francorum, ut ab ejuſmodi inſidijs ſibi caveret, admonitum, accepiſſet: majori ad bellum ſacrum cupiditate incenſum, de eo Ravennæ & Cremonæ procerum convētu acto tractaſſe, à Pontifice ſubſidium petiiſſe, *Henrico* filio jam Cæſari creato mandaſſe, ut ad hoc bellum ordines Imperij hortaretur: omnesque opem, ſtudium operamq; ſuam ei detuliſſe. Hæc Fazellus, quæ alii aliter narrantes pleraque Honorii temporibus facta tradunt. Germanici ſcriptores, conſtitutum quidem Concilio Imperij procerum à *Friderico*, primùm Cremonæ, deinde Ravennæ diem fuiſſe referunt: ſed quò minus illuc venerint, Pontificem cum ſuis miniſtris, Longobardicasq; civitates, quòd per eorum fines iter non ſatis tutum erat, obſtitiſſe. Quoquo modo verò ſe res habeat, id conſtat, *Fridericum*, quò Pontifici ſatisfaceret, qui nullum finem urgendi faciebat, ei fidem ſuam obſtrinxiſſe, ſe ad certum tempus in hoſtem Hieroſolymam tenentem iturum (id enim in epiſtolis ſuis confitetur) & auxilium ab Imperij ordinibus poſtulaſſe & obtinuiſſe, tempusq; militi quo Brundiſij conveniret, præſtituiſſe. Interea ipſe tota & mente & animo in id bellum inſiſtere, maximas ornare claſſes, delectus militum toto regno habere, omnesq; res quæ ad hoc bellum uſui erant, providere:

Bellum ſacrum.

Frid. II. expeditio in Aſiam. dere. Nec mora, ſtatuto tempore, magnæ cum aliorum, tum Germanorum militum, Ludovico Thuringo & Sigeberto Auguſtano Epiſcopo ducibus, copiæ Brunduſium confluxerant: qui dum Fridericum infirma impeditum valetudine expectant, continuò eos infeſta lue, ob calorum moleſtias cœliq; intemperiem, invadente, multi, & in his ipſe quoq; Thuringus, vitam amiſerunt. Imperator ubi paululum convaluerat, cum omni claſſe Brunduſio ſolvit: cumq; ad Peloponneſi & Cretæ inſulæ anguſtias proceſſiſſet, ibiq; adverſo vento teneretur; ſubitò recrudeſcente morbo, omnibus ſuis copiis in Palæſtinam præmiſſis, certaq; ijs ſpe facta ſe eos ſubſecuturum; ut primùm meliuſculè habere cœpiſſet: ipſe cum paucis Brunduſium, atque inde in Apuliam eſt reverſus.

Papæ in Frid. Imp. criminatio & diræ. His rebus nunciatis, Pontifex Fridericum tyrannidis ſuæ fulmine ferit: cujus rei cauſas eum in tabulis haſce propoſuiſſe invenio; quòd Brunduſio, equis, pecuniâ & pretioſiſſimâ ſupellectile demortui Thuringi Reguli direptâ, non belli ſed prædæ iſtius tegendæ & velandæ gratia in Aſiam navigarit: quòd neglecta ſacramenti devotionisq; religione & ſponſione, ſimulato morbo redierit: quòd ejus culpa Damiata amiſſa, & Chriſtianus exercitus afflictus ſit. Fazellus, præter illas cauſas, etiam has à Pontifice traditas ſcribit: quòd ingenuæ cuidam puellæ, quæ in gynæceo Reginæ famulabatur, ſtuprum intulerit: quòd conjugem, propter hoc facinus patri Ioanni enunciatum, verberibus affectam, in carcere necarit. Sed cùm reliqui omnes & ipſe quoq; Blondus

refe-

referant, poſt promulgationem proſcriptionis & privationis Iolem deceſſiſſe; id temporis Pontifex illam de nece Iolæ cauſam afferre non potuit. In puerperio autem exanimatam eſſe, relicto filio Conrado, conſtans eſt opinio.

Contra *Fridericus* ad illatas criminationes depellendas, Brundusinum Epiſcopum & alios legatos Romam mittit, quos non modò non ad ſe, ſed nec ad Cardinalium concilium Pontifex admiſit. Quare Imperator cùm apud alios Chriſtiani nominis Reges, tùm præſertim apud Germaniæ principes, Imperii ordines, literis ſuis (quæ etiamnum extant) non modò, quorum à Pontifice inſimulabatur, crimina diluit, & falſa & ab illo ficta, eaque de cauſa legatis excuſationiq; ſuæ aditum à Pontifice præcluſum eſſe oſtendit: ſed &, quàm ingrati in ſe, pro ſummis ſuis ſuorumque parentum in Romanam Eccleſiam meritis, adhuc Pontifices fuerint, pluribus exponit: quæ hcic nimis longum fuerit referre. Summa autem excuſationis hæc eſt: *Magnæ ſibi curæ Rempubl. Chriſtianam ſemper fuiſſe, & jam inde ab adoleſcentia contra Mahometicæ religionis ſectatores arma capere, bellumq; gerere ſe conſtituiſſe. Itaq; de expeditione ea votum ſe primo Aquisgrani feciſſe: deinde Romæ cùm ab Honorio inauguraretur, renovaſſe: tum filiam Regis regniq; Hieroſolymitani hæredem uxorem duxiſſe, eamq; ob cauſam, ut regnum illud ab injuriis hoſtium defendatur & conſervetur, magnoperè ſua privatim quoq; intereſſe, maximam ſe claſſem inſtruxiſſe, fortiſſimum exercitum comparaſſe, nihilq; in apparatu ejus belli prætermiſiſſe. Verùm & in ipſo ar-* *ticulo,*

Frid. II. purgat ſe apud Germanos.

ticulo, & cùm convenerit miles, ſe morbo detentum, & poſtea cùm ab eo levatus eſſet, Brunduſiumq́; veniſſet, atq; inde ſine cujuſquam injuria, claſſe in altum deducta, in eundem morbum de integro incidiſſe, quo ab inſtituto ſuo ſit retractus, ejusq́; rei ſe locupletibus teſtibus fidem facere poſſe. Damnata perdita, & rei male geſtæ culpam injuſte à Pontifice in ſe conferri; cùm non exiguum ſubſidium & milite & aliis rebus ad eam expeditionem ſubminiſtrarit. Hæc qui pleniùs cognoſcere voluerit, inter reliquas *Petri de Vineis* epiſtolas Friderici nomine conſcriptas has præcipuè legat, quarum initia, *In admirationem:* & *ut juſtitiam, & innocentiam*; &, *Levate oculos.* Et quidem non ſecus atq; literis ſuis *Fridericus* declaravit, rem habere, vetuſtiores Germani ſcriptores omnes teſtatum reliquerunt. Abbas enim *Urſpergenſis*, qui inter *Friderici* coævos fuit, & ſententiam primæ à me notatæ epiſtolæ exponit: & falſas inanesq́; ob cauſas, nec ſervato juris & judicii ordine, *Fridericum* à Pontifice exſecratum tradit. At *Platina, Blondus, Stella, Matthæus Palmerius,* nec excuſationis *Friderici* literis conſignatæ, nec vetuſtatis memoriæ ratione habita, quæ Pontifici fingere libuit, ita prodiderunt, ac ſi veriſſima fuiſſent. Verùm his ad nutum & ad voluntatem Pontificum ſcribere, quęſtus viſus eſt longè uberrimus. Quamobrem non erraſſe videntur, qui eos potiùs *aſſentatores Pontificum*, quàm *Hiſtoricos veritatis teſtes* eſſe dixerunt. Certè multò aliter *Pandolphus Colonucius*, qui ex Riccobaldi ſententia refert, magno conatu ſtudioq; Pontificem egiſſe, ut affinitatem cum Friderici filiis contraheret: Sed

Platina. Blondus. Stella. Palmer.

cù

cùm id perficere non poſſet, magnum in Fridericum odium concepiſſe. Id quod conſentaneum eſt his, quæ in ultima à me notata epiſtola Fridericus exponit, *Cogitanti ſecum de cauſa cur tanto in ſe odio Pontifex flagraret, nullam ſibi aliam in mentem venire, quam quòd Pontifici neptem ſuam Henrico filio ſuo naturali Turrium & Gallurii regi collocare volenti, conſentire noluerit.* Addit Colonucius, fortaſſe quòd à Pontifice, hac de cauſa à ſe alienato, regnis ſuis periculum fore timeret, illum tam ſubitò & occultò in eadem rediiſſe.

Ut autem re ipſa Pontificis, in acerbiſſimi contra ſe decreti iniquitate perſiſtentis calumnias refelleret, totique terrarum orbi, ſe ſuperiori anno neceſſitate, non voluntate, in expeditione retardatum, demonſtraret, omni reliquo tempore ad cogitationem belli collato, poſteaquam magnas rurſus coegiſſet copias, claſſemq; reparaſſet: Brunduſio profectus, regni ſui gubernatione Reinaldo Ducis Spoleti filio, & Anshelmo Iuſtingenſi Baroni commiſsâ, trajecto mari in Cyprum venit. Fazellus illic Fridericum de obitu Saphandini Ægyptij Sultani Saladini filij, deque induciis, cum tutore liberorum ejus ab iis, quos ſuperiori anno præmiſerat, ad biennium pactis, certiorem factum eſſe tradit. Inde cùm proceſſiſſet, Reinaldum natione Bojum, Equitum magiſtrum, cum magnis copiis Ptolemaidem miſiſſe: ut cum prorege de pace ejuſmodi tractaret, quæ è re Chriſtianorum eſſent: Qui cùm animadvertiſſet, optimis pro Chriſtiana republica conditionibus pacē cum Saracenis iniri poſſe, Fridericum Ptolemaidem

Redit ad bellum ſacrum.

accer-

Pacem init cum Saracenis. accerſiviſſe: quo cùm navigaſſet, bonam & utilem Chriſtianis pacem cum hoſtibus ad decennium firmaſſe. Nec multò aliter ſcribit Platina & Blondus, niſi quòd uterq; aſſentatione perverſus, non modò quam pacem omnes reliqui probant, commendant, extollunt, ille improbet, ſed & quibus rebus poteſt, Friderici inſectandi & exagitandi occaſionem captet. Utrumq; autem in narratione à vero aberraſſe, ex ipſius Friderici epiſtolâ (quam lib. VII. Annalium Bojorum Ioannes Aventinus, rerum Germanicarum haudquaquam contemnendus ſcriptor, in archivo Antiſtitis Battavienſis ſervari commemorat, ejusque capita ibidem recenſet) liquidò perſpici poteſt.

Ioppen munit. Nam Fridericus ex Cypro cum claſſe ſua Ioppen navigavit, quam cùm operibus muniret; quòd terreſtri itinere commeatus ab hoſte intercipiebatur, nec propter tempeſtates mari advehi poſſet, poſt octavum diem cum ſuis fame laborare cœpit. Verùm ſupplicationibus, & precibus, & lachrymis Deo placato, mariq; pacato, eò ad ſe navibus, annonæ, omniumq; rerum neceſſariarum, copia eſt allata. Quâ Friderico & Joppenſibus recreatis, hoſtibusq; ſpe ſua dejectis, qui maxima multitudine, Rege Ægypti, ejusq; fratre Scarapho Gazaræ (quam Ptolomeus Gazam vocat) & horum nepote Damaſci Regulo ducibus, jam ad unius duntaxat diei iter ab Ioppe caſtra poſuerant, per legatos atq; nuncios de compoſitione agi cœptum eſt. Et cum poſtulatis Imperatoris, Chriſtianæ Reipublicæ inprimis ſalutaribus, Saracenorum principes, capto ex re præſenti conſilio, annuiſſent:

nuiſſent: pax inter eos ad decennium facta, & ſacramento, utriuſque gentis more, ſancita eſt. Cujus conditiones & formulæ hæ fuerunt: *Ut Friderico pro priſtina regum Hieroſolymitanorum conſuetudine uncto, cum Hieroſolyma, quicquid inter eam & Ptolemaidem longè latèq; interjacet, atq; adeò maxima Palæſtina pars, & in Syria Tyrus ac Sidon, omniaq; quæ Balduinus IV. in poteſtate ſua habuerat, extra paucas quaſdam arces reſtituantur; ut ei in Syria & Palæſtina, quas libuerit ſui juris urbes, oppida, caſtella, arces munire liceat: deniq; ut captivi omnes reddantur: viciſſimq; ut Saracenis ad templum & ſepulchrum Domini ſine armis extra urbem accedere, & in templo orare ſit integrum: ut Chratum, montemq; regalem retineant.* *Fridericus*, quòd hac pace Chriſtianis optimè conſultum exiſtimaret, ut quâ non multò minus conſecuti eſſent, atq; ſi bello ſuperiores extitiſſent; legatis quoquo verſus in occidentem miſſis, literisque cùm ad alios Chriſtianos Reges, Proceres, & Præſides, tum ad Romanum Pontificem datis, rem omnem exponit: & ut Deo pro tam fœlici ſucceſſu gratias agant, monet: & hunc orat, ut, cùm promiſſa ſua magno cum Chriſtianę rei commodo præſtiterit, nec cauſa ulla irę indignationisvé ſuperſit, ſe expiatum in gratiam recipere velit.

Conditiones pacis cum Saracenis utiliſſima.

Frid. II. Papa ſupplex.

Interea cum ſuis Hieroſolymam petit, ubi ei, ſolenni Paſchatis feſto, anno Domini MCCXXIX. regia Hieroſolymorũ corona, maximo omnium Procerum & ordinum illius regni applauſu (patriarcha Cypri Regis legato, & Oliverio templi magiſtro cum militibus ſuis exceptis) eſt impo-

Ieroſolymis coronatus, re paratꝰ.

ſita. Poſt Fridericus muros urbis à Saracenis dejectos reſtituit: munitiones reparat, templa diruta reficit, *Nazaretum* & Joppen munit, commeatu omnibusq; rebus neceſſariis inſtruit.

Papa proditiones & ſcelera in Frid.

Nunc videte, quid Friderico in regno Hieroſolymitano confirmando occupato, Pontifex in Italia egerit. Ita enim non Chriſtianæ Reipublicæ ſtudio, ſed tùm odio Imperatoris, tum opum cupiditate, eundem velut de induſtria ex Italia procul ablegaſſe cognoſcetis. Primò milites, qui ſuorummet legatorum hortatu, obteſtationibus & pollicitationibus, ob ſacrum bellum ex Germania evocati, ad Imperatorem per Italiam iter faciebant, obſervari, & ab inſtituta profectione prohiberi, omniq; viatico ſpoliari juſſit. Et non modò clam literis in Aſiam miſſis, ſuæ factionis homines, i.e. patriarcham Hieroſolymitanum, ordinesq; militū templi & hoſpitalis loci, ut Imperatori adverſarētur, inſtigavit (id quod nec ipſe Blondus diſſimulat) verùm etiā ipſorum Saracenorū principibus diſſuadet, ne cū Friderico paciſcātur, neve ei regnum Hieroſolymorum reddāt. Quas literas ut perfidiæ teſtes eſsēt, Deo ita volēte, in man⁹ ſuas incidiſſe, easq; ſe fidei cauſa ſervare *Fridericus* in eadem illa Epiſtola ultima ad Principes profitetur.

Nec fruſtra ad ſuæ farinæ homines Papa ſcripſit. Nam & Patriarcha, & ejus collegij, quòd à templo nomen habebat, milites, Templarij, ſummoperè Fridericum impugnabant: Ptolemaidi tumultum excitabant, proditionis illum ipſumque ejusq; legatos palàm inſimulabant, ac præclaro ejus inſtituto audacter obſiſtebāt. Sed ope Piſanorum

& G

& Genuenſium, militumq; ordinis Teutonici, & criminationes eorũ refutatæ, & conatus motusq; ſunt compreſſi. Eadem de cauſa, cum Friderici inauguratio incredibili omnium honore & lætitiâ fiebat, hi quaſi de iniquo fœdere querebantur, laudiq; ejus obtrectabant. Pontifex cùm has ex perfidia inſidias Friderico tetendiſſet, cumq; publico hoſti Imperatorẽ Chriſtianum prodidiſſet: non potuit ſimulatq; tantum facinus cõmiſiſſet, hoc uno ſcelere eſſe contentus, quin aliud contra eundem moliretur. Nam iis calumniis, quas paulò antè de Jolæ conjugis nece retuli, patre ejus Iohãne in generum incitato, & pleriſq; Longobardiæ & Piceni civitatibus imperio ſubiectis, ab illius fide abductis, ſibiq; adiunctis, & Gallicis accerſitis auxiliis, magniſq; comparatis copiis, atque iis in duas partes diviſis, duplici exercitu, tum imperii, tum Friderici ditiones aggreditur: alterum Ioanne Brenno & Pandolpho Savellano ſuo cubiculario ducibus, in Campaniam regnumq; Neapolitanum; alterum Ioanne Columna Cardinale legato ſuo, & Thoma illo læſæ maieſtatis convicto, in Picenum mittit. Pandolphus, Inſulâ (quod in finibus regni Neapolitani oppidum eſt) in poteſtatem redactâ, Ioannes Caſtello Caſinenſi, opera prçſulis eius cœnobii, quo mons Caſinus circundatus erat, occupato, clauſtris apertis, omnia Capuam uſq; in deditionem acceperunt. At legato & comiti ſe Renaldus Spoletanus cum ſuis in Piceno Maceratæ, & Ripæ Traſonem occurrit, & ab ulteriori progreſſu prohibuit. Huius autem belli, quod tanta vi regnis abſentis Fride-

Papa ſpoliat Cæſarem abſentem.

rici inferebat, hanc prætexebat cauſam: quòd præfectus ejus, ducis Spoletani filius, fines Piceni aggreſſus Maceratam occupaſſet. Nam id mandato Friderici factum prædicabat: qui negocium huic dediſſet, ut quibus modis poſſet, ditionem pontificiam vexaret. In hanc enim ſententiam Blondus ſcribit. At Fazellus ſine conſilio Friderici id à præſide factum tradit, quod idem ipſemet in epiſtola paulò antè commemorata aſſerit.

Papa malitia. Dum hoſtilis pontificis exercitus in regno Friderici conſidet, Pontifex literis ejuſdem à legatis, quos ante illum in Europam miſiſſe oſtendi, ſibi redditis, de rebus bene ab eo in Aſia geſtis certior factus, non modò ijs non delectatus, ſed vehementer etiam perturbatus fuit. Ex quo apparet, qua de cauſa Pontifici Friderici in Aſiam profectio, tantæ ſolicitudini & curæ fuerit: idem videlicet ei, quod olim Peliæ propoſitum fuit, quando Jaſoni autor fuit, ut cum flore juventutis Græciæ Colchos ad aureum vellus auferendum navigaret. Ut enim opportunitate abſentiæ illius ad dominatum & tyrannidem ſuam abuti poſſet, Fridericum vel quàm diutiſſimè bello Aſiatico conflictari, aut omninò in eo occidere, cupiebat. Atque cum conſilio & cupiditatibus ſuis fortuna non reſponderet, quaſi nuncio illo, de ſecundo Friderici ſucceſſu, ſenſum omnem humanitatemque animo amiſiſſet, literas Imperatoris in terram „ projecit: & legatos acerbiſſimis conviciis domi„ ni cauſa correptos exagitavit: quod ipſum nec Blondus quidem diſſimulavit, quamvis ad libidinem Pontificum ſcripſerit. Atque ut hanc inſaniam

ſaniam ſuam animique impotentiam ſpecie qua- *Blondi vanitas.*
dam juſti doloris & iræ velaret, pacem illam fa-
ctam ideò ſe deteſtari finxit: quaſi ſuis rebus
Imperator, non utilitati Chriſtianorum conſu-
luiſſet, cùm ad Domini ſepulchrum Saracenis adi-
tum liberum, & propè id diverſorium reliquiſſet;
unde Blondus perfidiam Imperatoris legatis e-
jus Pontificem coram exprobaſſe tradit. Age
verò, Blonde, quibus argumentis vel pacem illam
contra Remp. vel Imperatorem perfidum fuiſſe,
tu Pontifexque tuus demonſtratis? At cui hæc
vel apud veteres ſcriptores, vel apud me, qui ea ex
rerum geſtarum monumētis hauſi, recognoſcen-
ti, perfidia pontificis tui, vera atque inſigni tur-
pitudine notata, atque aperta dedecora & infa-
mia non patent? Quid quod non deſint, qui re-
ferant, Pontificem illos Friderici legatos clam tol-
li, militesq; ex Aſia redeuntes interfici mandaſſe?
ut quàm minimè multi ex illis de re ab Imperato-
re fœliciter geſta audire poſſent. Sed ego omnia
hæc quæ communi ſcriptorum conſenſu non te-
nentur, non perſequar. Id certiſſimum eſt, Pon-
tificem de capto ſive mortuo Friderico, rumo-
rem eo conſilio diſſipaſſe, ut eas regni Neapolita-
ni civitates, quæ adhuc in fide Friderici mane-
bant, omni ſubſidij à Rege ſuo ſpe ſublata ſibi
conciliaret. Id enim apertè ille de pontifice in epi-
ſtola illa, *Levate*, queritur.

Magnæ hæ ſunt pontificis in *Fridericum* inju-
riæ & perfidiæ ſcelera: Sed tamen his truculen-
tus pontificis animus libidinem ſuam exſaturare
non potuit: quin eò eſt progreſſa, quò pervadere

apa fi-lium i e-tat contra patrem Frid.

Ludovicus Dux Bavar. Palanus.

vix poſſe credebatur. Neq; enim ſolum *Henricum* filium, jam patris operâ regem Germaniæ, contra patrem ſuum incendere auſus eſt, verum eundem etiam lenociniis ſuis à patre avertit. Cui cum pater *Ludovicum Bojariæ* ducem (quo nullum Germaniæ principem aut officiis erga ſe fideliorem, aut virtute præſtantiorem, aut authoritate graviorem eſſe noverat) curatorem & conſiliorum ſuorum moderatorem attribuiſſet. Henricus metuens, ne ſi hæc clandeſtina conſilia, quæ contra patrem & Imperatorem ſuum cum conjuratis iniviſſet, reſciſceret, aut ea patri efferret, aut ſe à cœpto abducere conaretur, Curiâ & Senatu amovit. Hæc autem omnia eo tendebant, ut cùm pluribus in locis disjunctiſſimis uno tempore contra Imperatorem bellum gereretur, ille ancipiti contentione diſtractus opprimeretur.

Frid. II. ex Aſia redux recuperat regna.

Fridericus ubi quæ in regno ſuo à pontificio milite fierent, accepit; cum jam regnum Hieroſolymorum in meliorem ſtatum redegiſſet, Pontificis conatus omni conſilio antevertendos, & ſuos in officio permanentes confirmandos exiſtimans, relicto in Aſia Reinaldo cum præſidiis, reliquis copiis ſe ſubſequi juſſis, quàm celerrimè cum duabus triremibus in Calabriam contendit. Eò cum omnibus ſuis inopinantibus veniſſet, dum & copias ex tranſmarinis regionibus expectat & clientes ſuos convocat, arma imperat, & alios milites undiq; cogit, & in his ex Sicilia Saracenos acceſſit, Barletæ circiter xx. dies moratur. Interea ad illum dux Spoletanus cum ſua quoque manu venerat. Conjunctis igitur viribus in Apuliam profecti,

Ioanne,

Ioanne, qui Calatiam obſidebat, repreſſo, & remoto, intra exiguum tempus omnem ſuam ditionem recuperat. Progreſſus in Campaniam, Beneventum, & quicquid ditionis erat Pontificiæ, Romam uſq; occupat: atq; inde Umbriam & Picenum in poteſtatem ſuam recipit.

Etſi autem tantis affectus iniuriis Imperator, ſummam nactus erat facultatem, iure ſuo in Pontificem utendi, & ſe ulciſcendi: tamen quòd Reipublicæ Chriſtianæ utilitate nihil prius, nihilque potius haberet, iracundiam ſuam Reipublicæ dimittens, cuius cauſa ad omnia deſcendere paratus erat, legatos ad eum de pace mittit, factorum totiusq; vitæ ſuæ rationem ſe omnibus redditurum ultrò pollicetur, Eccleſiæ ſe ſubjicit, atque eidem officium obſervantiamq; ſuam defert. Ad pacem hanc tractandam, cauſasque controverſiarum inter Fridericum & Pontificem cognoſcendas, Bertoldus Patriarcha Aquilejæ, ejusque frater Otho Dalmatiæ atque Hiſtriæ regulus, Eberhardus Iuvavenſis, Sifridus Reginoburgenſis, Sibottus Auguſtanus Antiſtites; Leopoldus Auſtriæ & Stiriæ, Bernhardus Charionum Duces, Romam proficiſcuntur. At tanta cõtumacis Pontificis inſolentia & ſuperbia fuit, ut nulla ratione, nullóve officio ad concordiã, Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ ſalutarem, ab iis principibus eo anno adduci potuerit. O ſanctũ ejus nomẽ, qui in Eccleſia Chriſtiana ſummã ſibi ſumit authoritatẽ, ut prę libidine & cupiditate vindictę, nihili pendat orbis Chriſtiani ſalutem & utilitatem! Tũ ergo re infectà pleriſq; horum procerum Roma abeuntibus, inſequenti de-

Papa parcit.

Nimia facilitas Caſaris.

Papa implacabilis, & Simoniacus.

mum anno, Leopoldi Auſtriaci, Hermanni Teutonici ordinis magiſtri, ac Meſſanenſis Antiſtitis operâ, ſtudio, & interceſſione tandem aliquando pace facta, *Fridericum* Pontifex, acceptis ab eo centum & viginti unciarum auri millibus, expiavit: eiq; & Imperij & regnorum titulos reſtituit.

Blondus gnatho. Tam inhumanum autem cum ſe Imperatori Pontifex præbuerit, quis ſatis impudentiam Blondi mirari poteſt, qui adhuc mitiorem, quam oportuerit decueritque, Pontificem in Fridericum fuiſſe, ſcribere audet? Quis hîc non apertam, ac non modò nõ ratione, ſed ne diſſimulatione quidem tectam ejus aſſentationem videt? At verius & melius Cuſpinianus hic ſubdit: *quæſtuoſiſſimam exercere mercaturam Pontificem, qui tam magno vendat, quod gratis accepit, ſi modò à Chriſto acceperit.*

Perfidia Papæ. Etſi igitur Fridericus iniquioribus conditionibus pacem cum Pontifice inierat, tamen ea de quibus convenit, diligenter & fideliter præſtitit. Pontifex verò, cui leve erat fidem fallere, pactis conventis non ſtetit. Nam ut alia prætermittam, neq; uti promiſerat, jura in regno Siciliæ à ſe Friderico ſubtracta, neq; Caſtellanam civitatẽ à ſe ante pacificationem occupatam reſtituit. Id & Fridericus in epiſtolis ſuis teſtatum, & Fazellus in lib. VIII. de rebus Siculis conſignatũ reliquit. Sed tamen cùm Fridericus Reipub. cauſa omnia pati & facere conſtituiſſet, non modò injuriam hanc Pontificis diſſimulabat, ſed & omni beneficii atq; officii genere ejuſdem animum ſibi adjungere ſtudebat. Nam concilio Principum Aquilejæ dimiſſo, quod inde Ravennam ob Mediolanenſium fraudes, & clandeſtina Eccleſiaſticorum conſilia (authore

Frid. Papam tuetur contra hoſtes.

Pandolpho Colonutio) tranſtulerat; Pontificem Reatæ acceſſit, ubi contra Romanos qui in armis erant (ut quæ olim Reipublicæ ſubiecta, à Pontifice poſſeſſa, eidem vindicarent) agrumque Viterbienſem populabantur, Pontifici auxilium petenti, ſibi Eccleſiam Romanam curę fore, eamque ſe defenſurum, oblato etiam (ut ipſemet ſcribit) filio ſuo obſide, ſpondet. Itaque ut rebus Pontificis quam maturimè ſuccurreret, cum Romanos per legatos ut arma deponerent, fruſtra monuiſſet; rogatu Pontificis contra eos exercitum magna celeritate coactum in Viterbienſium fines duxit. Ibi dum Romanos qui Viterbium obſidebant bello premit, de ſeditione in Sicilia, Meſſanæ præſertim, duce Martino Ballono ortâ cognoſcit. Unde Viterbio à ſummis obſidionis periculis liberato, Fridericus maiori parte copiarum ſuarum ibidem relicta, parva manu maximis itineribus in Siciliam venit, & priusquam aut convenire omnes, qui defecerant, aut profugere poſſent, Meſſana recepta, Syracuſis & Nicoſia ad officium coactis, Centeripe expugnata & deleta, principibusque defectionis extremo affectis ſupplicio, reliquam Siciliam facile in fide continuit.

Intera Pontifex pacem cum Romanis, ignorante Friderico, (qui ut opem Pontifici ferret, nec labori ullo pepercerat, & in colligendo & ſuſtentando milite maximos ſumptus induxerat) componit: cum antè ijs literis perſuaſiſſet, Fridericum, quem ad arma contra eos ſuſcipienda impulerat, ſine ſua voluntate & mandato eos in Viterbienſium finibus bello perſecutum eſſe. Has *Papa perfidus conſpirat cum hoſtib.*

ipſas quoq; Pontificis in ſe injurias Fridericus in epiſtolis illis ſecunda & tertia commemorat. Maiorem igitur laudem conſecutus fuiſſet Blondus, ſi hanc Pontificis perfidiam notaſſet, quam cum ſui oblitus (ut mendacibus hominibus accidere ſolet) contra ſuæ narrationis ſeriem, contra rerum à Friderico geſtarum veritatem, ab eo Romanos ad rerum novarum ſtudia incitatos refert. Quaſi vero ulli vel communi intelligentia prædito homini, ex oblatione obſidis filij, ex tanti belli apparatu, & ex ipſo rerum eventu, contrarium colligere non ſit facilimum. Sed gnaviter impudens eſſe voluit.

Blondus.

Dum hæc in Italia & Sicilia geruntur, magni in germania, *Henrico Cæſare* & *Friderico* Auſtriaco authoribus, motus exoriuntur. Henricus à Pontifice eiuſque ſectatoribus (ut dixi) ſeductus & depravatus erat, Imperiumque clàm contra patrem apperebat. Eaque de cauſa totum ſe à *Ludovici Boiorum Ducis*, cuius hactenus autoritate & conſilijs regebatur, amicitia & conſuetudine auerterat: quod ſummum eius in Imperatorem patrem ſtudium, ſummamque voluntatem cognoviſſet. Ille ubi plena ſceleris conſilia agitari, & ad dominatum Cæſarem contra patrem ſpectare animadvertit, relicta eius aula in Boiariam ſe contulerat. Non multo amplius annum ibi commoratus, Kelhemij cum deambularet, lethali vulnere percuſſus, in conſpectu aulicorum exanimatur. De qua cæde tametſi variæ ſunt opiniones, mihi tamen ea vero maximè ſimilis eſſe videtur, quam potiſſimum eventus comprobavit. His enim aſſen-

Papa ſeductor.

Ludovicus Pal. occiſus Kelhemij.

ſentior, qui percuſſorem hunc ab *Henrico* ſubornatum, & cum tabellarij habitu literas *Ludovico* tradidiſſet, quas ſe ab Imperatore afferre ſimulaverat, legentem eas literas principem confodiſſe prodiderunt. Ludovico *Otho filius* cum in principatu ſucceſſiſſet, & more maiorum, concilio Boiorum ad gubernationem provinciarum auſpicato obeundam diem certum Reginoburgi dixiſſet; *Henricus* Cæſar, ne Antiſtites & proceres magiſtratusq; Civitatum & municipiorũ Boiariæ convenirent, néve cives Reginoburgenſes, urbe Othonem acciperent, edixit. Imperata hæc tanquam injuſta Boiis negligentibus, Cæſar magnis copijs Boiariã adortus, obſeſſo Reginoburgo, direptionibus, præda, populationibus, & incendijs eam, nemine repugnante, vaſtabat. Quibus injurijs & incommodis permotus Otho, ut ſuis ſuorumque fortunis & urbi conſuleret, cum Henrico, filio ſuo Ludovico quadrimo obſide dato, convenit; ut cum exercitu Boiaria excederet.

Hæc gratia tutori reddita.

Otho Dux Bavar. ab Henrico vexatus.

Eodem fere tempore Fridericus Auſtriacus bellandi cupidus, finitimis ſuis Boijs, Boiemis, Charionibus, Ungaris, nulla ab ijs laceſſitus iniuria, bellum inferebat, eorumq; fines populabatur. *Otho* Boius certior factus, præfectum Auſtriaci latrocinijs infamem, multis ſibi prædonibus perditisque hominibus aſcitis, oram Oeni atque Norici inſiſtere, magnoq; pecoris atq; hominum numero capto, prædam agere, non expectandum ſibi ſtatuit, dum omnium fortunis ſuorum conſumtis ulterius in provinciam ſuam progrederetur: Auſtriaco bello more ſolenni indicto, in Noricũ maturat:

Fridr. D. Auſtriæ prædatur. Bavariam

Digitized by Google

turat: atq; injurijs & vi latronum à ſuis propulſatis, ac receptaculis eorum expugnatis, de omnib. prædæ latrocinijque convictis, more maiorum ſupplicium ſumpſit.

Frid. II. it in Germaniam.

His rebus cognitis Fridericus Imperator, continuo miſſis legatis, & filium Cæſarem, & alios Germaniæ Principes, qui ad vim & arma deſcenderant, militem dimittere jubet. Et quod multis jam rebus filij à ſe defectionem perſpectam haberet, maioremque Germaniæ motum timens, huic rei prævertendum exiſtimaret; quàm primùm in Germaniam, à qua jam XIV. annos abfuerat, ire conſtituit: & rem cum Pontifice communicat. Pontifex in gratiam Imperatoris, literas ſe ad Imperij ordines daturum promittit: ſed profectionem ei in Germaniam ſummopere diſſuadet. Quod enim jam inde ab initio Pontificatus, alieno in Imperatorem animo ad proceres Germaniæ ſcripſiſſet, ne cui filiorum, ex familiàve eius imperium traderent: quòd ipſe eos contra illum ſollicitaſſet, quòd filium Imperatoris, ſuis pollicitationibus in ſocietatem conjurationis contra patrem pellexiſſet, quòd denique conſpirationis cum Longobardis factæ princeps fuiſſet: in magna erat ſollicitudine, ne hæc Friderico aperirentur. At Fridericus cum maximè neceſſario tempore Reipubl. deeſſe nollet, nulla interpoſita dubitatione, in Germaniam cum filio ſuo Conrado proficiſcitur.

Comitia Retiſbonæ habet. Henricum F. captum relegat.

Coacto ab eo Reginoburgi ordinum Imperij concilio, Henricus Cæſar, patefacta ea coniuratione, quam authore Pontifice contra patrem Impera-

peratorem cum Longobardis fecerat; læſæ maieſtatis & parricidij, ſententiâ ſeptuaginta principum, condemnatus, à patre vinctus, in Apuliam relegatur: ubi non longo pòſt tempore, in carcere obijt. In Henrici locum, Cæſarem ſibi filium *Conradum*, de conſenſu principum ſurrogavit. Deinde & Auſtriacum mandatis ſuis non parentem proſcribit, & pro hoſte Reipublicæ habet: ſed cum nec ita quidem ad ſanitatem reverteretur, Imperator maximo cum exercitu, multis comitantibus Germaniæ proceribus, Auſtriam atque Styriam in ſuam fidem poteſtatemq; redegit. Eodem anno tertias facit nuptias cum Iſabella, Ioannis Angliæ regis filia.

Conradum ſubſtituit.

Auſtriam ſubigit.

Quietâ & pacata Germania, relicto in eo filio Conrado Cæſare, in Italiam ad puniendos eos, qui contra ſe cum filio coniuraverant, cum exercitu redit.

Cognito Friderici revertentis in Italiam bellico apparatu, Pontifex, licet ſe Imperatori reconciliatum ſimulaſſet, adhuc tamen ei infenſiſſimus, eſſet, & quòd eum ad coercendos coniuratos, tantas equitatus peditatusq; copias adducere nõ obſcurè intelligeret, eos qui contaminati hoc ſcelere, ſuarumq; partium erant, ut manus cogant, præſidia in urbibus conſtituant, auxilia accerſant, & ut omnibus modis de bello cogitent, hortatur: reliquas quoque civitates, ſive imperio ſubiectæ, ſive ſui juris eſſent, ſibi adiungere conatur. Ad Imperatorem autem legatos mittit, qui ei pacis ſpecie, quam ad ſubſidium belli ſacri inter Chriſtianos tuendam jam pridem promulgârat, Italiæ in-

Fridr. redit in Italiam.

Seditioſi Papæ molitiones.

ingreſſu cum exercitu interdicant: & quam controverſiam cum Longobardis habeat, eam ut ſibi permittat, ſuoque ſtet omnino arbitrio, ab eo poſtulent. Ad quæ Imperator legatis reſpondit: *Cum eo ipſo die, quo primùm pacem Pontifex ſanciviſſet, ſe ut patronum & defenſorem eccleſiæ Romanæ, contra Romanos ad arma vocârit, operaque & ope ſua id bellum geſſerit; iniquè facere, qui per pacis cauſam, ſe in eo, quod optimo ſibi jure liceat, impedire velit, quo minus ita ſe compararet, ut qui ſe à regnis hæreditarijs intercludere conati eſſent, vi pellere poſſet: & qui à ſe imperioque defeciſſent, eosque quos vel ad conventus communium rerum gratia, vel ob ſacrum bellum evocaſſet, itinere prohibuiſſent, & in ſuam perniciem multa improbè & nefariè machinati eſſent, in ordinem cogeret, & uti commeruiſſent, plecteret. Quod verò à ſe contendat, ut tantam cauſam, in qua imperij res agatur, Pontificis arbitrio, ſine ulla temporis notatione, conditionis adiectione, dignitatis juriſùe imperij non minuendi exceptione definiendam deferat; mirum ſibi videri: cum nec id ſua ſit facultatis, nec ex re imperij.* In hanc ſententiam de Pontifice in epiſtola illa ultima, ipſe ſcribit Fridericus. In ijſdem literis refert, à ſe in Italiam redeunte, Pontificem petijſſe, ut cum domeſtico tantum comitatu veniret: ne ſi cùm excercitu armatus, ut antè factum erat, incederet, metum & terrorem aliquem ijs adferret, apud quos ſua opera, omnia ei & tuta & pacata eſſent: cum contrà (ut certò Imperator comperit) inimica & infeſta ei ad perniciem omnia reddidiſſet, eoque tempore, quo ſe amicum

Reſponſio Frid. ad Papæ poſtulata.

cum ei finxerat, exitium cogitârit. Quando autem hanc inſignem perfidiam in Imperatorem Pontifex exercuerit, exploratum non habeo: neq; enim ex verbis epiſtolarum ſępè certum rerum annum poſſis eruere.

Progreſſus, ut inſtituerat, in Italiam Imperator, cum alias civitates, defectionis & conjurationis ſocias, ut Mantuam, ut Veronam, & Terviſium ut Patavium, &c. ſub imperium ſuum ſubjungit: tum verò per magnum Mediolanenſium, Brixianorum, Placentinorum, reliquorumque confœderatorum exercitum, cui ſe legatus Pontificius Georgius Longomontanus conjunxerat, X. millibus partim captis, & in his ductore eorum, ſummoque Mediolanenſium magiſtratu, Petro Teupolo Venetiarum ducis filio, partim occiſis, eorumque curru (quem Itali ſua lingua Carrocam appellant) cum omnibus ſignis militaribus potitur. In hoc bello, præſertim in ſubigenda Marchia Teruiſiana, fideli & utili opera Actiolini uſus eſt. Hac clade ſociorum perculſus Pontifex, cum ei jam maximè Imperator formidoloſus eſſet; tametſi antè per ſimulationem gratiæ, clàm eum perſequi non deſtitiſſet, tamen iam rurſus, ut eum deleat, palam omnes nervos contendit. *Italos domat.*

Etſi Imperator Pontificem inteſtino & capitali in ſe odio flagrare compertum haberet, non ſolùm quod apertè à coniuratis adverſus ſe ſtetiſſet, verum etiam quod indies omnibus ex partibus certior fiebat, quantopere ille laboráret, ut convicijs & calumnijs ſubiectos à fide ſua deduceret, *Germanâ fides Imp. ſed noxia clementia.*

ceret, & amicos alienaret, neque finem eum pravitatis & malitiæ in ſe facturum intelligeret: tamen ut nihil prætermitteret, quod ad pacem eam quam cum illo inierat, ſua exparte conſervandam pertineret, legatos ad Pontificem, Panormitanum, Florentinum, Rheginum epiſcopos, Thadæum Sueſſanum, curiæ ſupremæ præſidem mittit; qui & ea crimina, quorum inſimularetur depellerent, rationem factorum eius probarent, innocentiamque oſtenderent. Pontifex cum legatos non longè ab Roma abeſſe cognoviſſet, & qua de cauſa venirent, opinione præcepiſſet, ne fortaſſe audita Friderici excuſatione, à ſua illi ſententia deſiſtendum eſſet, contra anteceſſorum ſuorum exempla, die repræſentato, *Fridericum* è cœtu Chriſtianorum proſcribit: imperia, regna, omnemque honorem & dignitatem ei abrogat. Nullam autem cauſam tam acerbi & crudelis decreti eum habuiſſe, ſed inſatiabili ſuo in Fridericum odio indulſiſſe, præter Pandolphum Colonucium, illius ipſius etiam epiſtolę apertè demonſtrant. Nam ad perniciem eius omnem operam & ſtudium adhibebat. Itaq; quod Iacobum Teupolum, ducem Venetum, ob iram capti filij, facilè ſe in ſuam ſententiam perducturum confideret (quod inter tantos terrores ſolatio ei fuiſſe Blondus ſcribit) epiſtola quadam, qua captandæ benevolentiæ cauſa illũ Croatiæ, atq; Dalmatiæ quartæ partis, & dimidiati totius Romani Imperij dominum nuncupat, contra Fridericum ſollicitat; vocatiſque Venetorum & Genuenſium legatis, qui maritimarum rerum cauſa inter ſe decertabant,

Fridr. II. à Papa iniuſtiſs. excõmunicatur

Incitat in Cæſareum Venetos.

bant, inter eos pacem facit: & cum iis adverſus Fridericum, fœdus hac conditione init, ut communibus impenſis, ab his claſſis XXV. triremium adornaretur; quæ regnorum illius oram maritimam vaſtaret. Idem cum Germanorum optimam in Fridericum voluntatem, & egregiam fidem eſſe, magnaque inde auxilia habere cerneret; nec ſe ea illi detrahere poſſe ſperaret; ad artes ſuas veteratorias confugit. Eius in primis rationem habet, ut factionibus Principum animos deſiungat, & inter ſe poſtea committat: id quod non Imperatori modo periculoſum, ſed & ipſi Imperio, ex cuius ſpolijs copias opesque ſuas augere Pontifices ſolebant, detrimentoſum fore videbat. Huius rei cum alios deligit idoneos homines, quorum quiſque verſutia facilimè capi poſſet: tum Albertum Behamum (ipſe Boiemum nominat) equeſtri familia natum, Decurionē Battavienſis collegij, inſignē cum primis veteratorem. *Genuenſes* *Germanos* *Albertus Beham.*

Propoſuerat Pontifex Romæ edictum, ad vniverſam Eccleſiam ſive populum Chriſtianum, cuius initium; *Aſcendit de mari bellica beſtia:* quo cauſas commemorat, quare Imperatorem inferis devoverit, omniq; dignitate deiecerit. In eo illum tot tantorumque ſcelerum arguit, ut ab eorum commemoratione animus abhorreat meus. Præterquam enim quod Imperatori ſuo *hominis* appellationem detrahit, perfidiæ, periurij, crudelitatis, ſacrilegij, parricidij, impietatis incuſat: malè eum de Chriſtiana doctrina, de domino Deoq; noſtro Ieſu Chriſto, de myſterijs religionis noſtræ ſentire criminatur. Deniq; (id quod maxi- *Papa Calumniatores & rebelles* *Idem hodiè fit.*

mè ſollicitum habebat Pontificem) id eum agere aſſerit, ut ſe primoribusq; Eccleſiaſtici ordinis, ad ſummā inopiam atq; egeſtatē redactis & oppreſſis, religionem Chriſtianam penitus explodat.

Cum hoc diplomate, cum alios ſatellites cupiditatum ſuarum, tùm Boiemum illum in Germaniam mittit; ut omnis ordinis atque loci homines, à fide & obedientia Friderici averterent: eosque qui dicto audientes non eſſent, ijſdem pœnis afficerent, quibus ille ſubiacebat.

Papiſtæ ſeditionum faces.

Quod verò Alberto huic plurimum confideret, quem libidini ſuæ addictum eſſe perſpexerat; ei Pontifex alia duo mandata, tabulis conſignata ſingulatim dederat, quibus prœſulibus, antiſtitibus, omnibusque rerum ſacrarum curatoribus mandat: ut decretum ſuum de *Friderico*, ex ſocietate Eccleſiæ ſegregato, Imperij procuratione amoto omnibusque qui ei ſubiecti erant, à fide obſervantiaq; eius liberatis, in templis pro concione, more ſolenni recitarent: & tum illis *ipſis*, tum univerſis & ſingulis Chriſtianis, ſub pœna exitij, perpetuorumq; cruciatuum imperat, ne vel rebus Imperatoris ſtudeant, vel ei benè cupiant. Itaque ille præ cæteris ad libidinem Pontificis factus, in Germania, omnia ſacra & humana jura permiſcebat: ut mox clarius apparebit.

Otho Palatin.

Inter alios id temporis Germaniæ proceres, tum ſummè in Imperatorem officioſus, tum honore, opibus, exiſtimatione facile princeps erat, *Otho* præfectus prætorio Rheni, & Boiorum dux. Hunc cùm alijs pollicitationibus & præmijs, tùm quòd patrem ſuum *Ludovicum*, præſtantiſſimum

princi-

principem, ſcelere Imperatoris trucidatum eſſe, illi perſuaderet, ab Imperatore ad Pontificem deducit. Ille & *Wenceslaum* Boiemorum & *Belum* Ungarorum reges; & *Henricum* Poloniæ ducem, propinquosq; & neceſſarios ſuos, in ſuam, perducit ſententiam. Quibus acceſſit *Fridericus* Auſtriacus; qui quod ab Imperatore proſcriptus, omniq; ferè ditione ſua exutus eſſet, nullo negocio eum ſibi Pontifex conciliavit. Hi coacto concilio, cum Imperium filio regis Danorum deferre conſtituiſſent, ad comitia eius rei cauſa, à Pontifice legatos evocant.

Erat Patavij Imperator, cum ei nuncius de iis, quæ Romæ contra ſe Pontifex egiſſet, adferebatur. Itaque *Petrum de Vineis*, epiſtolarum ſuarum

P. de Vineis defendit Fridr. II. Imp. & Paparum ſcelera detegit

magiſtrum, die Paſchatis, apud populum de ſuis in eccleſiam Romanam & Pontifices beneficijs, de injurijs in ſe Pontificum, de ſua innocentia, de rei ipſius indignitate de vero cenſuræ Eccleſiaſticæ uſu, de eccleſiæ Romanæ erratis concionari jubet: Qui oratione ſua, ita à multorum animis, tanquam ab oculis caliginem, ex ſuperſtitione, & Pontificiorum de eccleſiæ Romanæ ſanctitate, dignitate, authoritate, perſuaſu, inſidentem diſpulit, ut tum Romanæ eccleſiæ corruptelas & vitia, tum Pontificum fraudes & flagitia, & perſpicuè cernerent, & vehementer deplorarent. Refert *Albericus* verſiculos; quos ad ſe mutuò Imperator & Pontifex miſerunt, quorum initium eſt:

Roma diu titubans, magnis erroribus acta
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Sed & apud Reges Chriſtianos, & Imperij pro-

proceres, collegium Cardinalium, populum Romanum; literis legatisq́; ſuis, Imperator & ſe intentatis criminibus vacare docet, & Pontificis in ſe crudelitatem demonſtrat. Ac quidem criminationib. Pontificis, quæ in edicto à me ſuprà notato continentur, graviter reſpondet in epiſtola cuius initium: *In exordio naſcentis mundi*, qua primò à Pontifice, propter improbiſſimas cupiditates ſuas, præclarum à Deo inſtitutum ordinem, & diſcrimẽ inter Eccleſiaſticam & civilem poteſtatem perverti, & mendacijs, iniurijsq́ue ſuis ſupremi in terra magiſtratus, id eſt, Imperatoris maieſtatum imminui, lædi, convelli queritur. Deinde aſperè & vehementer in eundem invehitur, ut in efferam & terram beluam, tumultus, vaſtationis, cædis avidam: ut in immanem draconem, qui ſpiret exitium univerſi orbis, ut in alterum Balaamum, ut in *Antichriſtum*, ut in principem tenebrarum, & ſpiritum prorumpentem ex abyſſo. Tum iniquè & nefariè ſibi religionis cauſa ab eo obtrectatum oſtendit, ſuam de Chriſto, de Moyſe, de Mahomete ſententiam explicat. Pontificem mendacem, venenatum, & perverſum calumniatorem eſſe arguit. Inde cum primarijs Eccleſiaſtici ordinis, qui Romæ Pontifici adfuerant, expoſtulat, quod contumelioſiſſimè maledicentis, & convitia in ſe jactantis impetum non inhibuerint. Poſtea cauſam indicat, cur tanta atrocitate & vi, à Pontifice impugnetur: angi eum felicitate ſua, & invidiæ ſtimulis, ob proſperos ſucceſſes exagitari: cum præſertim id temporis Longobardos, quos ille contra ſe quaſi in ſinu foveat, bello perſequatur.

Papæ deſcriptio.

Antichriſtus

Hæreſin obiicit falſa

Invidus

tur. Præterea illum Eccleſiaſtica dignitate, non ad honeſtatem ac ſalutem uti, ſed ad dedecus & perniciem reipublicæ Chriſtianæ abuti refert, quod ſi verus Pontifex, & curator Eccleſiæ eſſet, ad pacem potius & tranquillitatem publicam, quam ad vim & arma ſpectaret. Nec ſe idcirco in hoſtium Eccleſiæ (quam revereatur, quam colat, quam honoret) numero cenſendum: etiamſi ſingulorum quorundam hominum, qui ſibi in ea authoritatem aſſumant, vitam & mores improbet: à quibus eiusmodi injurias maieſtati ſuæ indies inferri narrat, ut eas inultas impunitasque dimittere non poſſit. Poſtremò igitur eoſdem illos ſacri ordinis præcipuos curatores cohortatur, ut pro ſua prudentia & officio provideant, ne quid detrimenti Reſpubl. Chriſtiana capiat: ut authoritatem ſuam apud iniquum Pontificem interponant, & eum à peſtifero inſtituto ſuo revocent. Quod ſi id facere neglexerint, re ipſa experturos, quàm graviter & hoſtem ſuum, omnesque eius adjutores Imperator ſit ulturus, acceptasque injuriam & contumelias perſecuturus.

Eccleſiæ turbator.

Epiſcopi pacem procurent.

Indicto ab eodem Principum concilio, Conradus Cæſar, Moguntinus præſul, Saxonis, Brandeburgici, Miſnenſis, Turingus, Brabantini Ducis legati, Ægræ conveniunt, Imperatori auxilium decernunt. Sed Boiemo & Palatino Ægram venire recuſantibus, & per legatos, quibus Auſtriaci ſe aſſociârant, intercedentibus, diſtractis animis re infecta diſceſſerunt. Auſtriacus ope Boiorum & Bohemorum, Imperatoris copiis fugatis, Auſtriam atque Stiriam recepit.

Comitia Aegræ.

Papiſtarũ furor.

Etſi verò emiſſarij Pontificis, præſertim Albertus ille Boiemus, eidem Othonem Boium, & hujus opera alios illuſtres Germaniæ proceres adiunxerant: tamen Epiſcopi in Boiaria, ut Eberhardus Iuvavenſis, Sigefridus Reginoburgenſis, Imperatoriæ curiæ id temporis cancellarius, Rudigerus Battavienſis, Conradus Friſingenſis, & cœnobiorum in eâdem moderatores, ab Imperatoris fide non diſcedebant. Itaque non modò ijs Albertus ſacris interdicit, ſed & cum nec quicquam illos modò ad ſe, modò Romam ad Pontificem in jus vocaſſet, collegiis & cœnobiis, quibus præerant, præcipit, ut eis adminiſtrationem abrogent: alios qui Pontificia imperata faciant, in illorum locum ſubſtituant. Ipſe quoque Pontifex, ab Alberto de illorum in Imperatorem cõſtantia certior factus, ut ſpe ampliorum dignitatum aliquos adverſus illos concitaret; ſacerdotibus & monachis, qui illis ſuberant, poteſtatem facit, ut illis tanquam deteſtabilibus, loco motis, ex ſuo corpore alios, qui Romanæ eccleſiæ ſint ſtudioſi, cooptent. At Epiſcopi & præſules, Pontificis mandata & diplomata aſpernari, Alberti minas execrationesque contemnere, eius in Eccleſias Germanicas, in optimum Imperatorem, in ſe temeritatem & tyrannidem queri, arguere, accuſare: quòd ſine conſenſu ſuo, in Eccleſias ſuæ curæ commiſſas, ille jus ſibi contra vetuſtatis exempla ſumere auſus ſit: quod Imperatorem ſine juſta cauſa, ex conſortio Chriſtianorum excluſerit: quòd ſe in fide Imperatoris perſiſtentes, quam ſine ſummo ſcelere violare nequeant, Eccleſiæ hoſtes judicarit, & abad-

Papa iniquus.

Epiſcopi Proteſtantes pro Imp. contra Papam.

ab adminiſtratione ſua exturbandos cenſuerit: eaque de cauſa ad Imperatorem provocare, ipſum « verò Albertum, ut impudentiſſimum impoſto- « rem, nequiſſimum nebulonem, peſtilentiſſi- « mum depopulatorem in crimen vocant: ut labem « Eccleſiæ, peſtem reipublicæ, perniciem patriæ di- « ris devovent: & ex Germania cum reliquis ex- « curſoribus Pontificis, omnium malorum im- « probiſſimis machinatoribus, profligandum cenſent. Eaque de re ad Imperatorem referunt: & Germaniæ principes, præſertim eos, qui Pontificiæ factionis erant, & Albertum fovebant, monent, ut ſibi ab impoſtura, fraudibus & inſidiis illius caveant, néve contra Imperatorem Pontifici adſint. Et quidem ſummi Boiorum præſulis Iuvavenſis conſilio, opera & ſuaſu, Fridericus Auſtriacus Imperatori reconciliatur: à cuius amicitia nullis pòſt nec promiſſis, nec minis, nec præmio nec pœna, imò nec Pontificis quidem execratione ſe divelli paſſus eſt.

Albertus contrà horum collegia & cœnobia, veluti publicorum hoſtium & proſcriptorum, Pontificis aſſeclis addicebat: multosque ex procerum, nobilium & equitum ordine tum largitione Eccleſiaſticorum bonorum ſibi devinciebat, tum ſpe prædæ contra illos inflammabat. Alijs enim, ut pro Pontifice propugnarent, iſtorum decimas diſtribuebat, alijs agros aſſignabat, alijs illos ipſos cum collegiis & monaſteriis ſuis ſpoliandos obijciebat. Ac nominatim quidem Ioan. Aventinus lib. VII. Annalium Boiorum commemorat; quib. ut Pōtificias partes defenderēt, precario de- *Prædones Bavariæ Pontificii.*

cimæ Eccleſiaſticæ conceſſæ; quæ à quibus collegia & cœnobia direpta, reditusq; eorum ablati, & prædia vi occupata fuerint. His enim rebus patefacta feneſtra ad cupiditatem ſuam explendam, rapaciſſimo & perditiſſimo cuiq;, libidini, auaritiæ & rapinis earum omnia patebant. Itaq; quanta, in ſumma omnium ſtatuum atque ordinum perturbatione, cum univerſæ Germaniæ, tum Boiariæ vaſtitas illata ſit, pluribus eo quem ſuprà notavi libro, idem ille Aventinus perſequitur.

Frid. Imp. in Italia bellum.

Dum hæc in Germania geruntur, *Fridericus*, relicto in Longobardia cum parte exercitus Actiolino, cum reliquis copijs Apenninum transgeſſus ad Hetruriam componendam & qui adverſæ factionis eſſent domandos, Piſas profectus, incredibili à civibus amore & honore eſt exceptus.

Piſa.

Fuit enim hæc civitas, Imperatorum Germanorum ſemper ſtudioſiſſima. Cognito Friderici in Hetruriam adventu, quod eum Pontifex non ſatis auxilij aut copiarum ad omnia perſequenda in Longobardia habere ſciret; Ferrariam Friderico amiciſſimam civitatem, maxima multitudine obſideri curat: quam cum V. menſes legatus Pontificius vehementiſſimè oppugnaſſet, nec expugnare poſſet, animo ad fraudem converſo, Salinguerram fide data ad colloquium evocat: quo cum inductu Hugonis Ramberti, qui ſine periculo id eum facere poſſe confirmabat, colloquij cauſa ad legatum veniſſet, contra fas & æquum intercepto, Ferraria in poteſtatem Pontificis venit, qui eam Azoni Eſtenſi gubernandam tradidit. Quod verò legatus Pontificius, ſenem illum per

Ferraria perfidè capta à Papa.

fidem

fidem in colloquio circumvenit, id ab iis ſcriptoribus, qui Pontificibus placere ſtuduerunt, ſtratagematis loco habetur.

Eodem fere tempore, claſſis Veneta ad Garganum montem, XII. triremibus Friderici, quæ oræ illi præſidio erant, in fugam conjectis, tota illa regione vaſtata; oppida aliqua, magnamque navem Friderici, tempeſtatibus in ſinum Sipontinum delatam, armis viriſq; ornatam cepit. Fridericus conciliatis ſibi Lucenſibus, Volaterranis, Senenſibus, Aretinis, & pleriſq; Hetruriæ civitatibus, ut regno ſuo opem ferret; Piſis Viterbium, quod ſuarum erat partium, ſe confert. *Veneti.*

Ferunt Gibellinorum & Guelphorum nomina & factiones, à *Friderico* ortum ducere; quòd aditis à ſuis, omnibus Italiæ oppidis atque civitatibus, ut exploratum haberet, qui ſibi, qui Pontifici faverent; illos *Gibellinos*, hos *Guelphos* appellaverit. Sed quamvis Blondus, Platina, & alii, Fridericum tanquam & factionum harum authorem, & nominum inventorem inſectentur; tamẽ quia in aperienda eorundem vocabulorum cauſa nihil præter tenuem conjecturam adferunt, magis mihi Naucleri, Hermanni Contracti, Antonii Florentini, Caſtellionæi, aliorumq; hujus generis ſcriptorum probatur ſententia; qui hæc Guelphorum & Gibellinorum nomina, *Conrado III.* Magno Friderici patruo imperante, in Italia cœpiſſe; Pontificique deditos Guelphos, à *Guelpho* ultimo Henrici Superbi fratre; Imperatori autem addictos, vel ab ipſo *Conrado*, vel filio ejus in pago Vaiblingen enutrito, Gibellinos appellatos prodiderunt. *Gibellini, Guelphi, unde dicti ſint.*

Pontifex ubi Fridericum Viterbium veniſſe audivit, magna eſt adfectus ſollicitudine, quòd & ad urbem propius acceſſurum Fridericum timeret, & voluntati populi Romani diffideret. Decreta igitur ſupplicatione, & circumlatis Petri & Pauli (ſi credere fas eſt) capitibus, aſperaque & contumelioſa oratione Imperatorem inſectatus, iis ſalutis æternæ præmia eſt pollicitus, Crucisque nota inſignivit eos, qui adverſus Fridericum, tanquam ſceleſtiſſimum Dei & Eccleſiæ ſuæ hoſtem, arma caperent. Cùm jam Imperator portis Romanis appropinquaſſet, & quos Pontifex ſpectaculo atque pollicitationibus ſuis ad verſus ſe concitârat, crucis ſigno notatos obviam contravenire conſpexiſſet; indignans ſe ab illis pro hoſte Eccleſiæ Chriſtianæ haberi, iis magno à ſe impetu profligatis, quoſcunque ceperat, eos vel inuſta vel inciſa crucis nota, excruciari juſſit. Inde in Campaniam, regnumque ſuum contendens, magnam pecuniæ ſummam coegit, majoresque comparavit copias, & in has Saracenos aſcivit. Atque ut eo fideliori operâ Saracenorum uti poſſet, Nuceriam illis habitandam aſſignavit. Quod quamvis Pontificii ſcriptores *Friderico* magno probro criminique dent, tamen Nicolaus Machiavellus idcirco eum hos ſibi adjunxiſſe prodit, ne ob diras Pontificias omninò à milite deſereretur: uti antè avo ſuo *Friderico* Barbaroſſæ acciderat, cùm ei ab Alexandro pontifice ſacrificiis interdictum fuerat. Inde Eccleſiaſtici ordinis conſortibus, qui contra ſe cum Pontifice conſpiraverant, graviter

Frid. ultus hoſtes.

Cruciat a.

viter mulctatis, Benevento, monte Caſino & Sora, quòd contrariarum eſſent partium, ferro & incendio vaſtatis; condita Aquilà urbe, Fridericus ut hoſtes ſuos in Italia domaret, è regno ſuo cum magnis equitatus peditatusq; copiis in Picenum movit: Aſculumq; adverſæ factionis munitum oppidum obſedit.

Ibi de iis, quæ ab emiſſariis Pontificis apud Imperij ordines & Germaniæ principes, maximè verò apud Wenceslaum Bohemorum regem, & *Othonem Palatinum* contra ſe agerentur, certior factus, literas ad eos dedit: quibus primùm contumeliis & convitiis, quæ in eum Pontifex jactârat, dilutis, & in illum ipſum translatis conqueritur; *Pontifices Romanos tantos ſibi ſpiritus, tantamq; arrogantiam ſumere, ut non ſolùm Imperatoris, Regum & Principum Chriſtianorum dominatum appetant, ſed divinos quoque honores & cultus ambiant: dum neque ſe errare poſſe, neque ulla fidei religione teneri, omniaq; ſibi licere: neque factorum ſuorum rationem vel à ſe quærendam, vel ſibi reddendam, impudenter affirmant: iisq; in rebus ſibi fidem haberi, vel ſub exitii pœna, imperiosè poſtulent. Itaq; quòd hac ſua cupiditate omnia poſteriora habeant, rempublicam Chriſtianam peſſundare, neque ullos hoſtes majori Eccleſiæ Chriſtianæ detrimento eſſe poſſe. Se verò, cui ſemper prima dignitas reipublicæ fuerit, perſpectis ſibi magno ſuo periculo illorum animis, voluntatibus atq; ſtudiis; pro ea quam à Deo acceperit, poteſtate & imperio operam daturum, ut qui ſub ſpecie paſtoris gregis Chriſtiani, adminiſtri Chriſti, Eccleſiæ antiſtitis, lupum perſecutorē, tyrannū ſe præ-*

Literæ ad Germanos miſſæ.

Pictura Papatus.

*ſe præbeat, loco ſubmoveatur, verumq́; gregi Chriſtiano paſtor, Eccleſiæ curator reſtituatur. Quare ſi rempu-
„ blicam Chriſtianam ſalvam, imperium incolume eſſe
„ velint, ſe ab iis contendere, ut ſibi in hoc inſtituto ad-
„ jumento, non impedimento ſint: alioquin ipſos quoque
„ ſervituti Pontificiæ obnoxios fore. Neq; enim ſi eum dominatum, ad quem aſpirat, in Imperatorem & Reges nactus fuerit, cupiditati & libidini ſuæ finem modumvé ullum ſtaturum eſſe. Quòd ſi igitur ſapiant, maturè dominationi ejus obviam eant: ne cum maximè velint, tyrannidi ejus amplius occurrere non poſſint.* Hæc ex Aventino, qui ſententiam hujus epiſtolæ pluribus refert. Idem miſſos ab Imperatore ad VVenceslaum cum his literis legatos, ejuſdem argumenti orationem ad eum habuiſſe narrat.

Principes reconciliati Frid. II. Imp.

His Bojemus permotus, obſidibus datis, ſe imperata facturum pollicetur: mox Ægræ comitiis Principum indictis, communi conſilio ab ipſo, cæteriſque qui aderant imperii proceribus, *fœdus cum Imperatore renovandum eſſe*; *Othonem Bojum, qui aberat, hujus defectionis authorem, contra rempublicam feciſſe*, decernitur. *Otho* cùm ſe imparem viribus Cæſari, fœderatiſque principibus eſſe cerneret; implorato auxilio Pontificis, ſumma celeritate ad Bojemum conſanguineum ſuum profectus, cùm ei perſuadere non poſſet, ne ſe atque partes deſerat, id impetrat, ut fœdus, cui ſe quoque acceſſurum dicebat, differretur, aliusq́; conventus cogeretur. Interea Pontifex Regi Bojemiæ & Othoni reſcribit, ne à ſe Eccleſiaque, ad alias partes tranſeant: tantumque opera Bohuz-

lai

lai Zelauconis, & Budiſlai Tarozelai (qui principes erant ſenatus Regii) pollicitationibus & muneribus jam antè ſibi devinctorum perficit, ut rurſus Libuſſæ à Bojemo & Bojo dies comitiis ſtatueretur, ubi de novo Imperatore creando, in *Friderici Auguſti* filijque ejus *Conradi Cæſaris* contumeliam ageretur.

Interea *Conradus* Cæſar Landshutæ, conjugi Othonis abſentis, ſumma generis ſui beneficia in familiam ejus exprobrat: & niſi ad fidem & officium redierit, eas maritum dignitates, quibus à familia ſua illius parentes ornati fuerint, amiſſurum oſtendit. Id autem de meritis & dignitatibus, à Conradi parentibus in Othonis collatis, ſic habet.

Fridericus Barbaroſſa anno Domini MCXXC. Reginoburgi in comitiis, proceribus atque ordinibus Imperii ſuffragantibus, *Henricum Leonem* læſæ majeſtatis condemnavit, & Bojariæ atque Saxoniæ ditione privavit: Bojariamq; *Othoni VVitelſpachio* attribuit, quòd præclaram ſibi operam in bellis Italicis præſtitiſſet. Deinde hujus Othonis filius *Ludovicus*, à Friderico II. in conventu Reginoburgenſi Palatinatum (ut vocant) Rheni, ob eximia ſua in eum officia, fidemq; ſingularem impetravit: qui Agnetem filiam defuncti *Henrici Comitis Palatini*, filio ſuo *Othoni* nuptum collocavit. Henricus autem ille, filius fuit Henrici Leonis: cui Henricus VI. pater Friderici, data in matrimonium Clementia patruele ſua, *Conradi* Palatini Rheni filia, præfecturam palatij Rhenani precariò conceſſerat.

Bavarica domus vices.

Otho VVitelſpach.

Ludovic. Palat.

Quod

Bavariæ Duces. Quod verò ad Bojariam attinet, ſciendum eſt, jam olim quoq; illam à majoribus Othonis VVitelſpachij poſſeſſam & adminiſtratam fuiſſe. Nam (ut & rerum Germanicarum & Annalium Bojorum ſcriptores prodiderunt) cùm poſt Thaſſilonem, filiumque ejus Theodonem, læſæ majeſtatis convictos, Bojariaque ditione mulctatos; & Geroldum Bojariæ, & parti limitis Orientis à *Carolo Magno* præfectum, ab Hunnis interfectum, ab ejuſdem Caroli Magni poſteris Bojaria teneretur: *Arnolphus* rex Bojariæ limiti Lupoldum agnatum ſuum præpoſuit: cui & ejuſdem Arnolphi filius, *Ludovicus* Rex ejus nominis IV. Bojariam contulit, apud quem ille magiſtri equitum officio functus eſt. Lupoldo ab Ungaris, cùm contra eos fortiſſimè pugnaret, unà cum aliis multis Bojorum proceribus cæſo, duobusque filiis relictis, Arnolpho & Bertoldo; *Arnolphus* major natu patri in ditione Boiariæ ſucceſſit. Etſi verò uſu bellorum gerẽdorum exercitus promptusque fuit, & contra Ungaros res benè & præclarè geſſit; qui non modò Bojariam ab incurſione atque impetu eorum defenderit, verùm eos ad pacem petendam compulerit: tamen ingenti elatus ſpiritu, regioq; nomine tumens, cùm ægrè ferret, Imperii ſummam à Caroli Magni ſtirpe ad *Conradum* extraneum, qui illi cognatione conjunctus non erat, transferri, eumque pro Cæſare habere nollet; ab illo Boiaria deiectus, non niſi poſt mortem Conradi eam recuperavit: in cujus adminiſtratione, ſe rurſus pro rege Boiorum geſſit. Deinde cùm Conradus ſucceſſorem deſignaſ-

Arnolfus à Conrado dejectus.

ſet

ſet *Henricum Aucupem*, filium Othonis Saxoniæ ducis, eadem de cauſa ei, qua antè Conrado, Arnolphus parére nolebat. Itaq; Cæſar cum exercitu in fines Boiariæ contendit: cui cum copiis ſuis Arnolphus occurrit. Iam acie ab utraq; parte inſtructa, prælium commiſſuri erant; cùm Henricus Imperator, ne cives cum civibus armis decertarent, magna ſpe animo cōcepta, ſe rem cum Arnolpho compoſiturum, pacemq; conciliaturum, ſi cum eo colloqueretur; legatos ad illum mittit, qui ab eo poſtulent, ut ad locum mediū utriuſq; colloquio delectum veniat, velle ſe de republica & ſummis utriuſque rebus cum eo agere. Ubi eò ventum eſt, Cęſar oratione & benignitate ſua *Arnolphum* permovit, ut & finem pertinaciæ ſuæ faceret, & imperio cederet, regioque nomine abdicato, Bojaria contentus eſſet. Pax hæc à principibus affinitate eſt confirmata: ab Henrico filia ſua Getbyrga Arnolpho filio Arnolphi; & viciſſim ab hoc Iuditha Henrico Cæſaris filio in matrimonium data. Defuncto *Arnolpho*; cùm filii ejuſdem ab officio diſcederent; Cæſar patruo eorum *Bertoldo*, cui & ſororis ſuæ Giſalberti conjugis filiam in matrimonium collocârat, Bojariæ duce creato; & Eberhardo maximo natu fratre, qui contumacius imperium ſuum recuſaverat, in Sueviam relegato, cæteros fratres, *Arnolphum* & *Hermannum*, præfectos prætorio ſive (ut alij appellant) Comites Palatinos Bojariæ conſtituit. Bertoldo, cum ſine liberis deceſſiſſet, Otho in ducatu Bojariæ Henricum fratrem ſuum, qui (ut ſuprà oſtendi) Iuditham filiam Arnolphi uxorem duxerat, ſuffecit.

Henricus Auceps pacificatur.

Arnolf. Herman. Palat.

fecit. At Arnolpho & Hermanno indignantibus, ſe avita paternaq; dignitate privari, & occaſionem eandem recuperandi captantibus, viſa eſt ad eam rem defectione filij Ludolphi, à patre Othone idonea oblata eſſe opportunitas. Itaque Ludolpho ſe adjungunt, Bojariam occupant. Sed tandem Hermanno capto, Arnolpho occiſo, Imperator receptam à ſe Bojariam Henrico fratri reſtituit. Ita filiis Arnolphi, à ſucceſſione ampliſſimæ ditionis excluſis, eorumq; poſteris in anguſtias Schyrenſis ſive Comitatus ſive Palatinatus coarctatis; interim Bojariæ principatus, nunc à Saxonibus, nunc à Francis, nunc iterum à Saxonibus, nunc à Suevis, nunc ab Auſtriacis, nunc rurſus à Suevis tenebatur; quoad tandem aliquando in poteſtatem priſtinorum dominorum, *Friderici I.* beneficentiâ, & *Othonis Witelſpachij* virtute, rediit: in cujus familia amplius annos CCCXXC. permanſit, & ab eadem etiamnum hodie poſſidetur. Quod temporis intervallum, ſi quis cum eo contulerit, quo majores Witelſpachij ducatu exciderunt; ſeculo integro, & quarta ejuſdem parte amplius poſteros illius continenter Bojariæ præfuiſſe, quàm à quinq; diverſorum generum principibus antè adminiſtratam reperiet. Ita ut ipſa Bojaria, invita & quaſi coacta aliis familiis (quæ illi, rejectis majoribus Othonis Witelſpachij, præfectæ fuerunt) ſubdita, eorumq; tanquam aſcititiorum dominorum jugo excuſſo, patrocinium tutelamq; unius hujus ſtirpis, à qua adhuc gubernatur, deſideraſſe videatur. Sed ad intermiſſam narrationem redeo.

Comites in Scheirn.

Bavaria rediji ad priſtinos dominos, eosq; legitimos.

Eodem

Eodem tempore præſul Coloniæ Agrippinæ ad Pontificem deficit: qui cum Brabantino adverſariarum partium, armis congreſſus, ab eodem ſuperatus, amiſſis omnibus copiis, captus eſt. Fridericus verò Auſtriacus, poſteaquam in gratiam & amicitiam Imperatoris receptus erat, fide ſua conſtantiſſimè obſervata, fœdereq; in perpetuum cuſtodito, modò Bojemum, modò Ungarum, qui Pontificis partes ſequebantur, continuis bellis laceſſivit. *Colonienſis epiſcop. deficit, & capitur.*

Dum hæc in Germania geruntur, Imperator Aſculo expugnato, exercituque in Flaminiam ducto, & Ravenna occupata; inde ad Faventiam, inimicam ſibi urbem; quæ in circuitu quinque miliaria continebat, caſtra poſuit. Etſi autem temporis incommoditate, quòd ſub ipſam hyemem eò venerat, oppugnatio impediebatur, cùm tota ferè hyeme milites frigore, & aſſiduis imbribus turbarentur; tamen magno fortiq; animo, & incredibili labore, in operibus caſtrorum conficiendis, tabernaculis ad arcendam tempeſtatis iniuriam excitandis & contegendis, iiſque parandis, quæ oppugnationi uſui eſſent, cuniculiſq; agendis, omnia hæc ſuperaverunt. Quòd enim ignominiæ loco ferrent, ſi cœptam obſidionem dimitterent; præſtare eis viſum eſt, omnes perpeti difficultates, quàm re infecta diſcedere. Itaque cum extrema hyeme, ſummo ſtudio & ſingulari virtute oppugnationem urgerent; jamque ineunte vere, muros à ſe labefactatos & convulſos contingerent, & in ipſam urbem cuniculis invaderent; cives animo conſternato, omni ſpe de- *Imp. Faventiam capit.*

fenſionis abjecta, ad Imperatorem legatos miſerunt, oratum ut ſibi ignoſceret, ſuæq; vitæ conſuleret, ſeſeque ei dediderunt. Imperator tametſi ſatis cauſæ haberet, quare eos pro ſcelere ulciſceretur; tamen quòd pulcherrimum vindictæ genus eſſe duceret, victis culpam remittere, ſupplicibus parcere, & tanta ſua poteſtate & imperio clementer & moderatè uti: urbem ſuo beneficio ſalvam eſſe, civesq; conſervare maluit, quàm jure belli, aut illam direptioni prædæq; dare, aut hos interficere. Ita enim ipſemet Fridericus in epiſtola quadam ſcribit, cujus initium: *Adaucta nobis*. In hac obſidione auro, & argento, omniq; theſauro ſuo conſumpto, Fridericus monetam ex corio formari curavit: quæ una ex parte imagine ſua, altera Aquilâ Imperij ſignata erat, eamque aurei vice in commerciis fungi, edicto publico voluit: eodemque promiſit, *ſi quis confecto hoc bello has monetas ad ærarium fiſcumq; ſuum attulerit, ſe aureis permutaturum*, id quod poſtea ſanctiſſimè ab eo obſervatum eſſe, Hiſtorici narrant.

Moneta coriacea.

Papa ferociu clades.

Interea Pontifex, cùm & legatis Friderici aures clauderet, & leniſſima atque æquiſſima ejus poſtulata obſtinato animo rejiceret; neque vi atque armis ſe ei, quamvis nihil intentatum reliquiſſet, cum ſuis conjuratis reſiſtere poſſe videret: per legatos ad ſe Antiſtites, primatesq; Eccleſiaſticos ex Italia, Gallia, Anglia, Romam ad concilium convocat, ut (quod extremum erat Pontificiæ ſedis præſidium) Friderico tanquam immaniſſimo Chriſtianæ Eccleſiæ hoſti, Imperium horum

rum adminiculo adimeret, quos ſibi addictos ſciebat. Quibus rebus cognitis, *Fridericus*, quòd ad perniciem ſuam à Pontifice conductos convenire, exploratum haberet; quà terra, quà mari, omne eis iter Romam verſus intercludere inſtituit. Itaque omnibus viis terreſtribus præoccupatis, filium ſuum *Henricum* Sardiniæ regno (quem Itali *Entium* vocant) Piſas cum aliquot triremibus ire juſſit: ut cum Piſanis, quibus ipſis quoque mandaverat, ut claſſem adornarent, Romam petentibus Pontificijs occurreret, & ſi fieri poſſet, eos interciperet. Pontificij, quòd ſe terra tutò iter facere non poſſe intellexiſſent, quadraginta triremibus & navibus Genuenſium, Guilielmo Braccio duce, ſibi præſidii cauſa adjunctis, his ſe, ſi quæ pericula & inſidiæ ab Imperatore intentarentur, propellere poſſe ſperabant. Encius & Hugolinus Piſanorum præfectus claſſis, cum XL. triremibus in altum provecti, cum eis naves Genuenſium intra inſulas Lilij & montis Chriſti, quæ inter Lyburnum & Corſicam ſitæ ſunt, obviam veniſſent, ſubitò in eas impetum fecerunt: quem cùm dux eorum Guilielmus, contra voluntatem Eccleſiaſticorum fugam ſpectantium, ſuſtinere vellet, tribus navibus ſubmerſis, reliquæ omnes, quarum XXII. erant, cum omnibus rebus, quæ in iis fuerunt, in poteſtatem Imperatoris venerũt. In his capti ſunt tres legati Pontificij, Jacobus Columna Præneſtinus, Otho Marchionum Montis ferrati genere oriundus, S. Nicolai in carcere Tulliano, Cardinales: & Gregorius, qui in epiſtolis, illa: *Ad-*

aucta nobis: Itemq; alia, cujus initium: *Cum ad depopulationem*, de Romania cognominatur, omnes acerbiſſimi Imperatoris hoſtes, complures antiſtites magnus numerus legatorum, & procuratorum civitatum, infinita turba ſacrificorum & monachorum: præterea militum Genuènſium amplius quatuor millia, cum omnibus tribunis, claſſis præfectis, & duce ipſo patricii ordinis. Pandolphus Colonucius, ut oſtendat Pontificios magnam tum & fortunarum ſuarum & dignitatis jacturam feciſſe, inter alia refert, præter ingentem prædam, qua victores potiti ſunt, plurimas literas & acta eorum contra Fridericum inveniſſe, quæ illi ad defenſionem cauſæ ſuæ multum profuerint.

Mediolanenſes victi.

Iiſdem ferè temporibus etiam aliud incommodum Põtificiis partibus ab Imperatoris militibus, qui Ticini in præſidio conſtituti erant, acceſſit. Cohortes aliquot Ticino in fines Genuenſium profecti erant, ut eos adorirentur: qua re per exploratores in tanta propinquitate hoſtibus Mediolanenſibus nunciata, quod diſceſſu illorum militum, oblatã facultatem inopinantes Ticinenſes opprimendi exiſtimarent; celeriter Mediolano Ticinum verſus contendunt. Cùm non procul Ticino abeſſent, jam reverſi milites Ticinenſes, hoſtium adventu cognito, omni celeritate & ſtudio in eos incitati feruntur. Illi ubi præter ſpem, quos abeſſe credebant, in ſe infeſtis ſignis irruere ſenſerunt; perterriti re inopinata, cùm paulisper cõſtitiſſent, victi fugatiq; ſunt. In ea pugna hoſtes qui Mediolano profecti erant, cùm & magnus eorum

rum numerus cecidiſſet, & CCCL. primores vivi in poteſtatem Ticinenſium perveniſſent, omnia ſua ſigna amiſerunt.

Celeriter de his rebus nuncii ad *Fridericum* perferuntur, qui Faventia ad Bononienſium civitatem depopulandam iter habebat. At ex hoc felici ſucceſſu, mutato conſilio, cum majorem conficiendi hujus belli opportunitatem ſibi datam eſſe ſtatueret: Romam verſus exercitum reducit, & in itinere Piſaurum ſibi conciliat: Fanum Fortunæ, quòd oppidani portas clauſerant, eumque oppido recipere nollent, vi capit & diripit. Nam quòd nec precibus, nec excuſationibus quid apud Pontificem proficeret, ſperabat repentino adventu ſuo, metuq; imminentis periculi eum pertinaciæ ſuæ finem facturum, & æquas pacis conditiones admiſſurum. Etſi enim ipſe ſuperior erat; tamen quòd pace Reipubl. Chriſtianæ, neceſſario inprimis tempore, ut belli Tartarici initium capere poſſet, nihil prius haberet; non recuſabat ita cum Pontifice convenire, atque ſi & viribus & fortuna inferior fuiſſet. *Frid. pacis ſtudioſus etſi victor.*

Dum hæc inter Imperatorem & Pontificem geruntur, Ochodarius Zingiſæ Tartarorum Imperatoris filius, cum quàm maximis copiis, Bathum cognatum ſuum, adjunctis Cadano, Bugotho, Orodario ducibus, omnibusque iis rebus, quæ ad proficiſcendum pertinerent, comparatis; ad finitimas regiones vaſtandas, & in ſuam poteſtatem redigendas mittit. Atq; ut paratiores ad omnia pericula ſubeunda milites eſſent, ſpem eis reditionis ad aliquot annos, ſtatuta in eos ca- *Tartaricũ bellum.*

Tartari vaſtant provincias. Poloniam.

pitis pœna, qui interea reverterentur, tollit. Itaque Tartari Roxolanos, Podolios, Muldavos, Walachos, Polonos, Boruſſos, nemine ferè repugnante, ſubigunt, agros depopulantur, urbes, oppida, pagos, villas, ædificia omnis generis diripiunt, incendunt, deſtruunt, diruunt; quoſcunq; deprehendunt, trucidant: non ulli ordini; non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus parcunt. Tantus autem, adventu eorum nunciato, populos illos terror occupaverat, ut manus certa nulla, non præſidium, non urbs eſſet, quæ ſe armis defenderet: ſed diſperſi in loca ſylveſtria & paluſtria confugerent, ubicunque proxima aliqua aut ſylva aut palus impedita, ſpem aliquam ſalutis offerebat.

Sileſiam.

Jam ad *Vratislaviam* proceſſerant, cum eis *Henricus* Poloniæ atque Sileſiæ dux, cum exercitu obviam ivit: qui quòd tantis copiis longè impar eſſet, cum iis congreſſus, omni ferè exercitu deleto, captus, & à barbaris ſecuri percuſſus eſt. Inde

Bohemiam. Vngariam.

Moravia, regnoque Bojemiæ, Rege ſe in munitiſſimis & opere & natura arcibus continente, vaſtatis, Ungariam invadunt: ubi fuſo fugatoque Colomanno Beli IV. Ungariæ Regis fratre, utriuſque Pannoniæ, Mœſiarum, Bulgariæ, Serviæ res graviter accidunt. Bela Ungarorum Rex, cum ſe Polam, quæ Hiſtriæ urbs eſt, ad Othonem Dalmatiæ ducem recepiſſet, legatos ad Fridericum Imperatorem mittit; qui petant atque orent, *ut ſibi ſubveniat: non ſe recuſare, quò minus Ungaria, ſi inde Tartaros expulerit, perpetuò ſub Imperatoris Romani ſit imperio atq; ditione. Id niſi*

Frid. II. implorant.

fecerit,

ſecerit, totum quoq; Imperium Romanum in ſummum diſcrimen venturum. Secundum ea multæ res *Fridericum* hortabantur; quare ſibi iſtam rem ſuſcipiendam putaret. Inprimis quòd tot Chriſtiani orbis regiones & gentes à Barbaris, tantis calamitatibus afflictas doleret: & petentibus ſubſidio non eſſe, idque in tanto imperio, turpiſſimum ſibi ac Chriſtianæ reipubl. arbitraretur: deinde quòd homines feros ac barbaros ſibi non temperaturos judicaret, quin in Imperij provincias prorumperent. His rebus tametſi quàm maturimè occurrendum putaret; tamen ei hoſtis Pontifex cum ſuis conjuratis obſtabat. Itaque quòd ne quicquam ſe de compoſitione cum Pontifice agere animadverteret, Bojemo & Bojo mandat, ut communis ſalutis cauſa, Pontificis mentem ad pacem flectant. Sed cùm & propter pertinaciam ſuam, & malorum hominum perfidiam, pacem Pontifex repudiaſſet; Imperator Ungarorum Regi reſcribit, *ſe communem fortunam miſerari, cupere ei laboranti & oppreſſo auxilium ferre: verùm quò minus id fiat, in culpa eſſe Pontificem; qui cùm pacem aſpernetur, ſibi Italia excedere integrum non eſſe: ne dum illi ſubſidio proficiſcatur, interea machinatione Pontificia de regnis ſuis iſthic periclitetur.* Conrado Cæſari, Bohemiæ Regi, & aliis Germaniæ principibus imperat, ut hoſti occurrant. Magnus in Germania eorum numerus, qui notâ ſe cœleſti ſignârant, cõtra Tartaros operã ſuam deferebant, quos Pontificis in Germania procurator Albertus ille, domi expectare jubet, donec ab illo advers' Impe- *Papa hoſtis Reip.*

„ ratorem evocentur. Hic nimirum animus in ſumma Chriſtianæ reipubl. calamitate, Pontificis ejusq́; adminiſtrorum fuit: ut mallent odio ſuo in *Fridericum* indulgere, quàm non dico operam dare, ſed permittere, ut truculentiſſimus hoſtis, tantis jam illatis detrimentis, ab injuriis, direptione, cæde & ſanguine Chriſtianorum depelleretur. Et adhuc illi videri volunt, quibus Eccleſia maximè curæ ſit, & in ea principatum teneant. Næ illud eſt homines ludificari! Hac vaſtatione Poloniæ, Bohemiæ, Ungariæ, factum eſt, quominus, ut conſtitutum erat, Libuſſæ conjurati principes convenirent, aliumq́; Imperatorem crearent.

Papa interit.

Fridericus cùm toties de pace fruſtra apud Pontificem laboraſſet, reliquias belli ſtrenuè perſequitur; & adjuncto ſibi Tuderto, S. Gemini oppidum & Narniam diruit, prædam militibus donat; Tyburin deditionem accipit, agrumque Romanum depopulatur. Pontifex tantis calamitatibus fractus, conciliоq́; præpedito perturbatus, cùm quæ adverſus Imperatorem moliretur, non ita ut optabat ſuccederent; rebus ſuis deſperatis, ægritudine animi interiit.

De Papa judicium Eberhardi Saltzburgenſis.

Quid de hoc Gregorio id temporis antiſtites Germaniæ ſenſerint, ex oratione *Eberhardi* Juvavenſis præſulis, Reginoburgii in conventu Procerum Bojariæ habita, quæ apud Ioannem Aventinum libro VII. extat, perſpicuè videre licet. Sanè non modò maximas clades in orbem Chriſtianum invexit, dum Imperatorem opprimere, & Pontificatum augere ſtudet: verùm etiam horrendam impietatem in Eccleſiam, cùm aliis multis rebus,

rebus, de quibus apud Blondum, Platinam, Balæum & alios, induxit: tum deteſtanda illa cantilena, cuius initium, *Salve Regina*, qua honorem & cultum ſoli Deo debitum Virgini matri decernit. Hic idem ille eſt, cuius nomine opus Decretalium eſt editum: quod cuiuſmodi ſit, ut aliorum eruditorum judicia prætermittam (ex quibus Ioannes Balæus id *ſentinam ſtultitiæ & impietatis* vocat) certè *Carolus Molinæus*, ſummo vir cùm in tota illa Iuriſprudentia, quæ hodie in curiis, tribunalibus & judicus exercetur, tum in hac re judicio, in annotationibus ſuis ad Platinam de vita Gregorij docet: cuius ſententiæ equidem non poſſum non accedere. Certum eſt, multa capita in ijs mutila & decurtata eſſe, ut invidioſum argumentum lateret. Cum enim Romani Pontifices, ab eo tempore, quo eos inceſſit regnandi libido, nihil aliud cogitârint, quàm ut cùm alijs regnis debilitatis, tum Imperio violato ſuum amplificarent dominatum: eundem etiam finem in ſuis conſtitutionibus propoſitum habuerunt. Cuius rei exempla Molinæus de regibus Galliæ & Angliæ refert: ſed multo plura de Imperatoribus, Principibus & ordinib. Imperij colligi poſſunt: de quibus alius erit commodior diſſerendi locus. In hac oratione ea tantum notanda duximus, quę ad noſtrum inſtitutum pertinerent. *Decretales.* *Papa ſcopus*

In locum Gregorij Cœleſtinus IV. patria Mediolanenſis Caſtellonææ gentis, eſt ſuffectus, qui cum ſimulatis pollicitationibus (ut Blondus indicat) Friderico ſpem pacis feciſſet, decimo octavo pòſt die, quam Pontificatum inierat, vitam cum *Cœleſtinus IV.*

morte commutavit. Inde unum & vigeſimum menſem, interregnum fuit Pontificatus.

Tartari redeunt in Aſiam.

Capite coniurationis ſublato, *Fridericus* formidine periculi, in quod abſens in Italia venire potuiſſet, liberatus, ſummo ſtudio ut rempub. Chriſtianam à vaſtatione Tartarorum liberaret, in comparando milite & parandis iis quæ ad expeditionem contra Tartaros neceſſaria erant, incumbit. Quæ fama ubi ad illos perlata eſt, quod jam antè de morte Imperatoris ſui audiverant; Ungaria relicta, rectà Danubij ripâ per Tauricam peninſulam atq; Mæotida paludem & Tanaim amnem, in Sarmatiam Aſiaticam revertuntur.

Bohem Boius Cæſari reconciliati

Cum ob eam, quam expoſui, calamitatem Poloniæ, Boiemiæ, & Ungariæ à Tartaris illatam, Pontificiarum partium principes coniurati, neq; ad conſtitutum Cæſareis comitiis diem convenire potuiſſent; neque quas res agere cœperant, ut poſtea perficerent, occiſo Polono, Ungaroque ab Imperatore auxilium petente, vel integrum vel conſultum eſſet: tandem omnino illo conſilio de deligendo alio Imperatore dimiſſo, *Boiemus & Boius* in amicitiam cum Imperatore & Cæſare redierunt. Porrò in utriuſque familiam quàm maxima erant Friderici, eiusque generis merita: quod ab Imperatoris avo, Friderico Barbaroſſa, & a patruo Philippo, duces Boiemiæ Reges appellati: & quod ab eodem Barbaroſſa (ut ſuprà expoſui) Boiariam, & ab ipſo Imperatore præfecturam Palatij Rhenani, Otho parentesque ſui accepiſſent. Verùm horum tantorum beneficiorum memoriam, ex ijs Pontificiæ artes expulerant,

ſerant. Ac Othonem quidem fraudibus ſuis Pontifex, ſuique emiſſarij adeò ceperant, ut ab ijs nulla nec meritorum in ſe atque ſuos vel commemoratione, vel exprobratione abduci, nec minis, pœnarumve & periculorum imminentium denunciatione abſtrahi antè potuerit, quàm ei Pontificiæ impoſturæ, & fictæ in Fridericum criminationes detectæ fuerunt. Quod quibus effectum ſit rebus *Aventinus* exponit: qui plurimum ponderis orationem illam Iuvavenſis Antiſtitis de Pontificis tyrannide, apud eum jam technas Pontificias ſubolentem habuiſſe tradit. Poſtea autem cognitâ Pontificum Romanorum perfidiâ, intercedente etiam inter ſe & Imperatorem neceſſitudine & propinquitate, cum *Conrado* Cæſari & Regi Hieroſolymorum filiam ſuam Eliſabetham nuptũ collocaſſet, ſum̃a perpetuaq; fide & officijs Imperatorem liberosq; eius eſt proſecutus.

Otho Pal. agnovit Pap. artes.

Diſceſſu Tartarorum cognito, *Fridericus* Romanos, ut antè cœperat, ut ad ſanitatem reduceret, premere pergit: eosque ad portas uſq; crebris incurſionibus perſequitur. Sed cum Cardinales ab eo contendiſſent, ut exercitum ab urbe deduceret, quò libera comitia Pontificis creandi cauſa habere poſſent; inde Imperator cum milite ad Bononiam eſt profectus. Ea (ut Fazellus refert) vi occupata, publicaque ſchola literarum illinc *Patavium* translata, cum per fines Mutinenſium & Rheginorum Parmam perveniſſet: cives maxima ex parte ſe ſua ſponte eius poteſtati permiſerunt, & in urbem ultrò receperunt. Cardinalibus creationem Pontificis diu protrahentibus, Fridericus

Frid. I. Italia potitur.

Bononia Patarium.

dericus eos officij ſui admonet;& ob moram hanc increpat, atque ut reipublicæ Chriſtianæ maiorem curam gerant, hortatur. Extant huius argumenti epiſtolæ duæ, quarum alterius principium eſt: *ex fervore charitatis*, alterius: *Ad vos*. Ex quibus apparet, ſtudio pacis & reipublicæ Chriſtianæ id à Friderico factum eſſe, quod fortaſſe Cardinales antè pacis cum eo tractationem ſuſcipere nollent,quàm Pontificem creaſſent.

Balduin. Conſtantinop. Imp.

Interea *Balduinus* Imperator Conſtantinopolitanus,diffiſus Latinorum contra Græcos viribus cum Raimundo Comite Tholoſano in Italiam contendit, & Imperatorem Parmæ convenit. Quem, ubi pro captivis Cardinalibus deprecatus erat, ſpemque fecerat, illis dimiſſis,& reliquorum collegio adiunctis, quamprimum Pontificem delectum iri; libenter Fridericus petitioni Balduini ceſſit, & ut ei gratificaretur, & ut quam integerrima ad pacem, publicumque Eccleſiæ Chriſtianę commodum omnia eſſent. Itaque continuò mandavit, qui ex Amalphitana cuſtodia Cardinales incolumes Romam deducerent, alioſque omnes Eccleſiaſticos libertati reſtituerent.Cum Anagniam liberati Cardinales veniſſent, eodemq; conſultò etiam reliquorum Cardinalium collegium ad deligendum Pontificem iviſſent; Synibaldum patria Genuenſem, gente Falliſcum, Pontificem fecerunt: qui Innocentius IV. contraria (ut puto) notatione, quod imperio & reip. Chriſtianæ quamplurimum nocere conſtituiſſet, appellari voluit. Quare Friderico nunciata, maxima eſt lætitia affectus; quòd enim hactenus ei amicus

Innocent. IV. Papa fallit Frid. Imperat.

fuiſ-

fuiſſet, ſperabat rempublicam Chriſtianam ad pacem & cōcordiam deduci poſſe. Quare & literis & legatis ad Innocentium gratulatū miſſis quam ſibi optatum ſit, Pontificē eum factum eſſe, & quanta de eo ſibi polliceatur, commemorat, eiq; obſervantiam, operam, facultateſque & opes ſuas defert, & Reipub. ſuamque dignitatem commendat. Ad *Othonem* quoq; ducem Boiorum, cum qui lectus ſit Pontfex, virum bonum, amantem pacis, Reipubl. Imperijque Chriſtiani ſtudioſum eſſe ſcribit.

Legati Friderici, adjuvante Balduino, magno ſtudio de pace cum Pontifice agunt. Summa eſt omnium hominum de pacificatione reipnb. Chriſtianæ expectatio. Verum longè aliter animato in Fridericum Pontifice, quam vel antè fuerat, vel præ ſe tulerat, diverſumque clàm agitante, quam quod apertè tractabatur; multum & Fridericum & alios ſua de Pontifice fefellit opinio. Dum enim Legati Friderici à Pontifice ad propoſitas pacis conditiones expectant reſponſa, hic ſecreto operà Rainerij Cardinalis, Viterbium, quod Friderici partes ſectabatur, in ſuam accipit poteſtatem. Poſteaquam id Imperator cognovit, magnis ſubito coactis copijs, in ditionem Pontificiam ad recuperandum Viterbium proficiſcitur. Atque hoc bellum cum ita adminiſtraret, ut conditiones pacis dimittendas non exiſtimaret; interpellatione aliquorum Cardinalium motus relicto Viterbio, *Fridr. verè pacificus,* & oppido Faliſcorum omnibus rebus neceſſarijs inſtructo & munito, Aquam pendentem adit. Inde rurſus legatos ſuos Romam, & cum his Impera-

rato-

ratorem Conſtantinopolitanum & comitem Tholoſanum, quos apud Pontificem authoritatem habere intelligebat; de concilianda pace mittit. Etſi autem circiter paſcha inter Imperatorem & Pontificem compoſita res videbatur: quod legati Friderici eiuſdem juſſu & nomine juraſſent, illum Pontifici obtemperaturum; & pro concione Fridericus *princeps Chriſtianus* à Pontificiis appellatus eſſet: tamen omnem illam actionem inſtitutam ab his fuiſſe, non quòd pacem cum Friderico ſeriò feciſſent, eamve ratam habere vellent; ſed ut hâc ſimulatione pacis, quam Imperatorem ſummè cupere ſciebant, aditum quem intercluſerat Romam euntibus, aperirent: quo id temporis infinita hominum multitudo religionis cauſa confluebat. At quod poſtea ſæpius fruſtra Romæ Imperatoris legati de pace egiſſent, eamque iſtic iniri poſſe deſperarent; atque Imperator magnoperè confideret, ſi colloquendi ſibi cum Pontifice poteſtas facta eſſet, fore ut æquis conditionibus pax fieret; idem verò perfici non poſſe exiſtimaret, ſi inter ſe & Pontificem abſentes, pacis conditiones ferrentur, à Pontifice, ut tempus & locum colloquio conſtitueret, petiit:
Papæ fraudes. qui ſibi placere, ut dicto à ſe die Feſcenniæ (quæ hodie Caſtellana civitas appellatur) convenirent, ſe præcedere & ibi Fridericum expectare velle ſimulavit. Interea quòd cum Rege Galliæ adverſus Fridericum conſpiraſſet: ubi triremes eas, quas petierat, à Genuenſibus Centum cellas deductas cognovit: eò clàm noctu ſui ſuorumq; Comitum habitu commutato properans, celeriter naves con-

conſcendit, Genuamq; primùm, deinde Lugdunum navigavit. Ibi convocato concilo Pontifex in concione Friderico alta voce diem dicit: eumq; ut cauſam dicat, adeſſe jubet.

Etſi inopinatus ille ex Italia diſceſſus, magnam pacis deſperationem adferebat; & indictum à Pontifice Concilium, in quo ille & actoris & iudicis partes ageret, & ad id beneficio obſtrictos coegerat, ad ſuam perniciem pertinere Fridericus intelligebat: neque Imperator cum eſſet, vel coram Romano Antiſt te ſuiſque evocatis, vel extra Imperij limites Lugduni cauſam ſuam diſceptare neceſſe haberet, eaque de cauſa, ut non modò ſuſpecto, ſed & adverſario & hoſti ſuo, tum ſupra juriſdictionem ſuam, tum extra Imperij Romani fines jus dicenti, imò in alienum omnino munus ſe ingerenti, eamque ſibi cognitionem impudentiſſimè ſumenti, quæ Principum ordinumque erat Imperij, impunè parére non poterat: tamen modeſtiſſimus Romanorum Imperator; & innocentia ſua cauſæque bonitate fretus, & pacis atque concordiæ Chriſtianæ reipublicæ cupidiſſimus, legatos ſuos Patriarcham Antiochenum, qui nuper ex Syria advenerat, Antiſtitem Panormitanum, Thadæum Sueſſanum; Curiæ ſuæ præſidem, prudentiſſimum Iuriſconſultum, Lugdunum ad concilium miſit: qui & ſe venturum ad diem cognitionis ſui defendendi cauſa ſignificarent, juſtumque ſibi tempus ad iter conficiendum dari peterent. Ac jam in viam ſe dederat Imperator, & Taurinum proceſſerat, cum alios legatos ſuos, Teutonici ordinis magiſtrum, & Pe-

Concilium Lugdunense.

Imp. nimia modeſtia.

& Petrũ de Vineis præmiſit: qui in itinere Imperatorem eſſe docerent, & conſtitutam cauſæ dicendæ diem prorogari curarent· Sed Pontifex ne ab inſtituto ſuo diſcedere cogeretur, nec dicta à ſe die prolata, nec legatorum Imperatoris, ulla vel excuſatione vel ſatisfactione, vel quantumvis juſtiſſima ex cauſa rogata pro abſente dilatione admiſſa, quinetiam nec triduo quidem, intra quod Imperatorem adventurum legati aſſeverabant, ijsdem alijsq; proceribus ſummopere id contendentibus, expectato; quaſi jure apertiſſimo proviſum non eſſet, excuſationem pro abſente juſtis rationibus accipiendam: die à ſe dicta cum aſſentatoribus ſuis, quorum voluntates & ſuffragationes præmijs atque promiſſis comparaverat, contra juris divini præcepta, cõtra Chriſti doctrinam, cõtra legis naturæ rationisq; præſcriptum, contra æquitatis regulam, contra juris recepti ordinem, contra Imperatorum conſtitutiones, imperijque decreta, Imperatorem Romanum, principem & magiſtratum ſuum, illic ubi jure ſe ſiſtere non cogebatur, reſpondere ſua ſponte paratum, indicta cauſa innocentemque iniuſtâ, impiâ, nulliusque momẽti ſentẽtiâ ſuâ, Imperio, regnis & Chriſtiana ſpoliat civitate. Nã ut tùm ex ſacroſanctis ſcriptis tũ ex veteris Eccleſiæ memoria, tũ ex graviſſimorũ Eccleſiaſticorum authorum monumentis cognitũ eſt; non civilis magiſtratus, curatorib. Eccleſiæ ſed hi illi paruerũt, ut de Apoſtolis eorumq; diſcipulis *Chryſoſtomus* teſtatur: nec illi Eccleſiaſticus ordo, ſed ille huic, & leges etiam de Eccleſiaſticis rebus præſcripſit, & jus dixit: nec vel Patriarchis,

Iniuſta Papa in Imp. ſententia.

Eccleſiaſtici pareant magiſtratibus.

Chri-

vel Pontificibus præſulibusve, ſed principibus Chriſtianis jus cogendi Concilij de cauſa religionis fuit; nec illis aut latas his de rebus Chriſtianorum Imperatorum leges commutare, nedum tollere, aut receptum & quaſi per manus traditum vetuſtum Eccleſiæ morem violare, contrariumque introducere licuit. Sed ut Pontificibus eiusmodi poteſtatem convocandæ Synodi demus (id quod verè ponere nullo modo poſſumus) tamen illis in huiusmodi ſacro (ut vocant) cætu, de alijs quibusvis rebus potius quàm de Imperio regnisque eius & deliberandum & decernendum fuit. Ac tametſi Pontifex Romanus vel notionem vel juriſdictionem in Imperatorem habuiſſet (quod dicere fas non eſt) tamen conventiculum illud ab Innocentio IV. habitum idcircò vitioſum fuit, quod cum de Imperatore ageretur, conventum hunc intra imperij ditionem non Lugduni celebrare; & ad eum potius Ordines Imperij, præſertim Eccleſiaſticos, quam exteros convocare oportebat. Iam verò cum eodem illo & iudicis & actoris partibus fungente, non obſervato præſcripto juris ordine, non dilationibus legitimis conceſſis, non probatis criminationibus ab eodem adverſario & præſide concilij intentatis, non reſponſionibus rei Imperatoris auditis, abſens condemnatus fuit: quid hac ſententia iniquius, quid crudelius, quid immanius dici aut excogitari poteſt? Et * tamen Pontifices non puduit eam non modò literarum monumentis conſignare, ſed & pro jure nobis obtrudere: nimirum incredibilem ſuam & improbita-

Concilia Papæ.

** l. Ad Apoſtolica De re iudicat. in 6.*

tem & impudentiam teſtatam poſteritati relinquere voluerunt. Convocatum autem hoc concilium libidine Pontificis fuiſſe,non religionis veritatisque ſtudio; nec ut per eos, quos non ad libertatem judiciorum,ſed ad ſervitutem adulandi Pōtifex adhibuerat, de Friderico cognoſceretur; ſed ut calumnijs eius opprimeretur, & de faſtigio Imperij dignitatumque ſuarum deturbaretur: id argumento eſt,quod quamvis Imperatorem ad concilium venturum legati ſui confirmarent, tamen clàm pontifex Lugduno amicis & propinquis ſuis Parmenſibus ſcripſerat; ut ſi minus quid ſecum aſportare poſſent, omnibus bonis relictis, protinus ſe Parmâ Placentiam conferrent. Sed qua tandem pœna iniquiſſimum hunc Iudicem divinitùs affectum, annalium ſcriptores tradant cognoſcite.

Cum Friderico Imperatore & eiuſdem filio Conrado Cæſare mortuis, regno Neapolitano & Siciliæ inhiaret; idque ut armis ſub ſuam poteſtatem ſubiugaret, cum exercitu Neapolim profectus eſſet, audita iſthic in Curia Pontificis hac voce: *Veni miſer ad judicium Dei*: inſequenti die Pontifex in lecto livida accepta plaga, ac ſi fuſte percuſſus fuiſſet, exanimis eſt repertus. Ita Ceſtrienſis lib. VII. Idem innuit Aventinus lib. VII. cum ſe in annalibus reperiſſe prodit, *die dicta ab immortali Prætore, Innocentium* IV. *ſubitò extinctum in jus ambulaſſe.*

Papæ mors infauſta.

Imp. apologia.

Fridericus ex atrocitate nefandæ ſententiæ furore in ſe Pontificis perſpecto, literis quoquo verſus ad Chriſtianos proceres miſſis cum omni-

um

um temporum Pontificum injurias, tùm ſententiæ hujus acerbitatem Pontificiſque in ſe crudelitatem commemorat: *In ſe uno non ſervari quod omnibus ſemper datum ſit reis; ſe unum idoneum non eſſe, qui per ſuos dilationem ob juſtam abſentiam ſuam impetrarit, cum alioqui excuſationi illi apud omnes locus ſit: in ſe novi generis judicia conſtitui; in ſe conſtituta jura commutari queritur:* tum crimina objecta negat, & in fraudem perniciemque ſuam à Pontificijs conficta oſtendit, innocentiamque ſuam & patientiam, ſtudiumque pacis & Reipublicæ proponit; ipſos verò Pontifices à pace abhorruiſſe, æquiſſimas conditiones à ſe oblatas repudiaſſe, colloquij fidem non ſervaſſe, refert. Pro quibus rebus orat ac poſtulat, ut Rempublicam ſuſcipiant, atque unà ſecum contra Pontificis fallacias & inſidias tueantur; ſin timore defugiant, ſe officio ſuo & Imperio non defuturum, & per ſe Rempublicam adminiſtraturum. Id agere Pontificem, ut idem & Eccleſiæ principatum, & Imperij dominatum obtineat.

Iamque cùm eo milite, quem in Pedemontana regione habebat, in Longobardiam reverſus, decurſionibus Mediolanenſium fines vaſtat, & quos deprehendit, captivos abducit, & in Heturiam ſibi, præter Florentiam, addictam contendit. Erat tùm Florentiæ diviſus Senatus, diviſus populus, omniſque in armis civitas. Itaque ad has diſſenſiones & controverſias componendas, quòd timerent, ne ſi diutius alerentur, in ſummum periculum atque diſcrimen res adduceretur; utriuſque partis principes legati ad

Vaſtat Mediolan.

Florentia capta.

eum veniunt, & civitatem, omnemque eius ditionem, fidei & poteſtati Imperatoris cōmittunt. Qua de cauſa mandato Friderici Pandolphus Comes, qui Hetruriæ imperij nomine præerat, Florentiam cum exercitu ingreſſus, controverſias ſuſtulit eique cum imperio & poteſtate Fridericum filium Imperatoris præfecit: in cuius verba civitas ea juravit. Ipſe Imperator Roſſetum (quod eſt in ora maritima Senenſi populo ſubiecta oppidum) conceſſerat: ubi cum requieſceret, à Comite Caſertano delatum ad eum eſt de coniuratione quorundam procerum ſuorum in necem ſuam. Huius conſilii primores, Pandolphus Faſanellus & Iacobus Morranus, apud Imperatorem agebant, qui ſcelus ſuum detectum ſuſpicati, ex au'a aufugerant. Reliqui coniurati Theobaldus, Guilielmus, & Franciſcus Sanſeverini, Richardus, & Robertus Faſanelli, Godfridus Morranus ſe cum amicis beneficiariis & miniſtris ſuis, in duo caſtella munita Scaliam & Capacium receperant. Imperator omnibus rebus poſthabitis, inprimis hos nefarios proditores perſequendos ratus; Scalia intra paucos dies occupata, ad Capacium caſtra movet: Quod poſt quartum obſidionis menſem vi expugnatum ad diripiendum militibus conceſſit, omnibusque inquilinis ad unum gladio mulctatis, incendit; coniuratos vivos comprehenſos eo ſupplicio affici juſſit, quo in parricidas animadvertitur. Hos confeſſos eſſe, ſe Pontificis inſtinctu ad id facinus concitatos, Fridericus in epiſtolis oſtendit.

Proditores mulctat.

Etſi verò Imperator literis ſuis ad Imperij ordines

dines, omnia ſibi à Pontifice obiecta crimina diſſolvit & refutavit: tamen & quod in ijs veræ Christianæ doctrinæ tenebris magna eſſet concilij, licet plerique Germanorum Antiſtitum ab eo abfuiſſent, authoritas; & quòd Pontifex mandatis ſuis apud Germaniæ principes inſtaret, ut à fide *Friderici* ex Eccleſia Chriſti proſcripti, eiusque filij Conradi Cæſaris diſcederent, illumque calumnijs & convitijs apud eos traducere & exagitare non deſineret; nonnullos à Friderico in ſuas partes traduxit. Ex his erat Henricus Thuringus, quem ut à Friderico alienaret, fingit eius opera & fraude patrem Ludovicum indigniſſimè Brunduſij periiſſe: eoque mendacio illum permovet, vt ad mortem patris, ſuasque iniurias perſequendas, occulta iniret contra Fridericum conſilia. Itaque Moguntino, Treviro, Agrippinenſi, Bremenſi, Argentoratenſi, Metenſi, Spirenſi præſulibus, & à Brabantino Duce aliisque quibuſdam, legati Pontificii opera Cæſar deſignatur. Verùm is dum cum Conrado bellum gerit, eodem anno mortem occubuit. Miſſo igitur legato ſuo Petro Caputio, Pontifex inſtigavit aliquos Germaniæ principes, ut ſpreto Conrado (qui Cæſaris partibus ſtrenuè in Germania fungebatur) Wilhelmum Hollandum Regem appellarent, qui & ſecundo poſt obitum Conradi anno à Friſijs eſt occiſus. Hoc artificio Pontifex utebatur ad Germaniam eiusque imperium vexandum, diripiendum, evertendum; ex cuius ruinis Pontificatus incrementum quærebat. Dum enim in duas factiones diviſa

Papa tuba bellorum civilium.

AntiCæſares Henric. Thuringus.

Wilhelmus Holland. ſed pereunt.

Germania, alij procerum Imperijque ordinum Friderici & Conradi, alij novorum Cæſarum, impulſu Pontificis creatorum, partes ſectantur; multique partium ſtudia ad ſuas cogitationes, non ad publicam utilitatem conferunt; ad vim, ad tumultus, ad arma res deducitur. Nam illis, communi conſenſu jam olim ſibi delatum Imperij principatum, vi retinere conantibus, his autem eundem ſibi Pontificis opera decretum occupare, illisque adimere enitentibus, pars cum parte confligit. Itaque his civilibus bellis multò maximam calamitatem Germania accepit; ubique cædes factæ, agri vaſtati, villæ exuſtæ, fana violata, templa in quæ res ſuas agricolæ depoſuerant, expilata; ædificia diruta, bona direpta, pecora abacta ſunt. In hac denique de ſummo magiſtratu contentione, Principum factione, armorum licentia, nocendi peccandique impunitate, eò plurimorum etiam privatorum hominum, maximè equitum, impudens audacia, & proiecta quædam atque effrenata cupiditas, latrocinando, ſpoliando, deprædando, rapiendo, prædas agendo, proceſſit, ut nihil usque ferè ab inſidijs, à latrocinijs, à direptionibus, ſanctum tutumve fuerit. Quo factum eſt, ut paulò ante Wilhelmi Regis mortem, ad iniurias, rapinas, cædes, prohibendas, ſexaginta urbes & oppida, *Ludovico Palatino* Rheni, Boiorumque duci Othonis filio, alijsque multis principibus (qui ab Aventino lib. VII. Annalium Boiorum nominantur) fœdere ſe coniungerent, magnisque, eodem Ludovico belli duce, copijs coactis, graſſatores, prædones & latrones

Germania clades ex diſſidiis.

Lud. Pal. vindex.

nes

nes illos perſequerentur: eorumque caſtellis receptaculisque everſis, partim necarent, partim Germaniæ finibus exigerent. Sed unde digreſſus ſum, redeo.

Otho Boius fidem Imperatori conſtantiſſimè ſervabat, & cum eo ac *Conrado* Cæſare amicitiam ſanctiſſimè cuſtodiebat. Hinc cum Innocentius ipſum quoque pro hoſte haberet, mandavit Antiſtitibus, ut ei, ſi Imperatorem *Fridericum* & *Conradum* Cæſarem deſerere nollet, ritu ſolenni ſacris interdicerent. Itaque Philippus Iuvavenſis, Albertus Reginoburgenſis, quorum ille Eberhardo, hic Sigefrido ſucceſſerat, Conradus Friſingenſis, cum alijs quibusdam collegiis ſuis, Concilio Myldorfij, juſſu Pontificis, coacto, Othoni ad ſe vocato, mandata Pontificis aperiunt. Quibus auditis Otho reſpondit: *Cum antea, ut pacem cum Imperatore atq; Cæſare iniret, ſuaſerint, dimiſſis Romani Pontificis partib. quem ipſi Antichriſtum eſſe affirmarent; cur jam, ſe optimis principibus fidem ſervare, & pacem tueri, nolint, ſatis ſe mirari non poſſe. Magnam ſe in conſiliis, dictis, & factis eorum levitatẽ ſe in conſtantiam experiri, qui quod æquum antea quod juſtũ, quod fas eſſe dixerint; nunc iniquũ, nunc injuſtum, nunc nefas eſſe cenſeant: corruptos eos voluptatib. atq; luxu, victos cupiditate opum, honoris, potentia honeſtatem & pietatem, officiumq; ſuum negligere, factionibus ſtudere, bellum atq; arma ſpectare. Se Deo & magiſtratui ſuo obtemperare, fictas Pontificias deteſtationes flocci facere, Chriſto confidere, ad eum ſe provocare, certamq; ſpem habere, execratos & devotos diris à Romano alijsq; Phariſæis, in gratia apud Deũ eſſe.*

Otho Dux Bavar. ſpernit diras Papales.

Epiſcoporũ levitas.

Papa olim etiam Antichriſtus dictus.

 Etſi

Etſi autem tum hanc expoſtulationem Antiſtites non in malam partem accepiſſe, & amico in Othonem, non alienato animo, ex conventu diſceſſiſſe, paciſque & concordiæ cupidi eſſe videbantur: tamen non longo poſt tempore Conradus Friſingenſis, reclamante collegio, *Othonem* in numero ſceleratorum atque impiorum habendum cenſet. Albertus verò Reginoburgenſis non modò in cives ſuos crudelis, ſed & inſigne, nefarium & horrendum ſcelus, in Conradum Regem machinatus eſt. Cum enim non exiguum ditiſſimorum civium Reginoburgenſium numerum, quòd in fide & officio erga Imperatorem perſtarent, per fraudem cepiſſet, & in catenas c nie&os Staffum duci juſſiſſet: *Conradus Cæſar* adiunctis ſibi aliquot imperij proceribus, Albertum, agris eius ſociorumque depopulatis, ad conditiones compulit, & captivos cives ſibi reſtituere coëgit, mox cum exercitu Reginoburgum profectus, cum D. Haimerani Collegio, more maiorum, hoſpitio receptus fuiſſet; Albertus cum conſcijs quibuſdam, Ulrici præſulis monachorum opera, clàm in cubiculum, in quo Cæſarem cum paucis famulis cubare exploratum habebat, multa jam nocte ingreſſi, in quos incidunt, partim interficiunt, partim capiunt: & quòd neminem præterea in cubiculo depræhendiſſent, etiam Cæſarem exanimatum putant. Verùm is ſtrepitu illorum exaudito, cùm relicto lecto, ſub ſcamno ſe occultaſſet, inſidias eorum ſalvus evaſit. Itaque poſtridie Epiſcopum, eiuſque ſocios, & percuſſores, Monachorum rectorem, ut læſæ maieſtatis reos, & Rei-

Otho B[illegible]ius excommunicatur.

Epiſcopi Reg. ſcelus parricidiale.

Cæſar ſervatus.

& Reipublicæ hoſtes proſcribit, & bona Cœnobij publicat. Sed exoratus à monachis hujus ſceleris inſciis, acceptis ab iis mulctæ nomine centum libris, & obſignatis tabulis, principibus viris *Othone Palatino* Rheni, Bojariæ duce, & *Ludovico* ejuſdem filio; Othone Hochburgenſis limitis, Henrico Burgionum præfectis aliisque teſtibus adhibitis caventibus, ſe ædificio illo, in quo cubicularii Cæſaris trucidati erant, diruto, in locum ejus fanum ædificaturos, tabulas proſcriptionis reſcidit. Ulricus Cœnobij moderator munere ſuo dejectus: Albertus Antiſtes in monachorum ordinem, pœnæ cauſa, redactus eſt. Conradus verò Hochenfelſius, qui ſe cæde & ſanguine innocentium polluerat, quamvis ex hominum manibus effugiſſet, in ultorem tamen tam immanis ſceleris & vindicem Deum incidit. Cùm enim ſub dio equitaret, fulmine de cœlo tactus interiit. *Indulgentia noxia.*

Fridericus Imp. ut ad hunc revertar, ſumpto de *ijs*, qui in necem ſuam coniuraverant, ſupplicio, actoque conventu, & regni ſui rebus conſtitutis, Friderico Antiochiæ Principe, Richardo Comite Umbriæ, & Flaminiæ præfecto, Encio Sardiniæ Rege in Italia legato, certo militum numero attributo, Cremonam redit, multosq; eôdem, quibuſcunq; ex partibus poteſt, doctrina, virtute, & authoritate præſtantes viros ad ſe accerſit, ut cum iis Lugdunum ad Pontificem proficiſcatur, & cum eo tùm de ſua ſententia, tùm de pace agat. Omnibus rebus ad profectionem paratis iter ingreditur, & cum quàm maximo tàm togatorum, quàm armatorum comitatu Taurinum venit: *Frid. res in Italia.*

Parmam obſidet. inde cùm ad iter tridui impedimenta ſua præmiſiſſet, Parmam ab exulibus adverſæ factionis, Pontificis propinquis & amicis, ſubſidio & ope legati Pontificij, Brixianorum & Placentinorum aliarumq; ſociarum civitatum, occupatam cognoſcit. Quod autem id inſtinctu Pontificis factum eſſe non dubitaret, & apud eum ſe nec quicquam proficere poſſe videret; tandem aliquando dimittendam omnino pacem, & omnibus viribus bellum gerendum inſtituit. Itaque commutato conſilio, iter rectà in Longobardiam convertit: & cum exercitu ſexaginta millium Parmam obſidet. Ut verò commodius & tutius firmare obſidioné poſſit, primùm caſtra foſſis, turribus, vallo, aliiſq; operibus munit: deinde in iis ædes, & tabernas ædificat: certiſq; ſpaciis foris rerum venalium deſignatis, palatiis & templo adornat, & omninò ex caſtris *Victoriam urbem condit.* ligneam urbem extruit. Quæ omnia cum brevi perfeciſſet, ex fœlici & boni ſucceſſus fiducia *Victoriam* nominat: eamq; loco Parmæ (quàm ſi caperet, ſolo æquare propoſuerat) fore ſperat. Ac primò quidem Friderico & illic & alibi res proſperè ſuccedebant. Nam & Parmenſes vehementer premebat; & Robertus Caſtilionæus, qui imperij nomine Piceno præſidebat, propè Auximum, exercitum Pontificium, amplius quatuor millibus occiſis, pluribus captis, cum multis vexillis conjuratarum civitatum fuderat; & decertantibus inter ſe Florentiæ factionibus Gibellinorum & Guelphorum, cùm Fridericus Hetruriæ præfectus, Gibellinis, qui auxilium ejus imploraverant, ſubſidio veniſſet, & Guelphi ejus adventu perterriti, inde

Bono-

Bononiam aufugiſſent, nec redire vellent, ut ſacramentum fidei Friderico dicerent, bonis eorum in fiſcum redactis, Florentia omnino in fidem & poteſtatem Imperij venit. Sed conſtans hæc fortuna & felicitas non fuit. Nam Friderico confirmandæ valetudinis cauſa, qua tenui uſus erat, cum equitibus aliquot aucupatum profecto, pleriſque etiam militibus nullum ejuſmodi caſum expectantibus, quo à confectis penè fame hoſtibus offendi poſſent, ex urbe Victoria inermibus egreſſis, ac licentioſius hinc inde vagantibus, Parmenſes hac oblata occaſione, quam maxima poſſunt vi & celeritate, Victoriam, quà minus munita erat, ſubitò aggrediuntur, & à patenti porta in urbem erumpere conantur. Inopinantes milites re nova perturbantur, ac primum impetum Marchio Malaſpina ſuſtinet: interim Imperator exaudito ſigno campana dato, quàm celerrimè poteſt accurrit; quanto res ſit in diſcrimine cognoſcit, & laboranti Marchioni ſuppetias ferre conatur. Quo conſpicato ex omnibus partibus hoſtes in eum impetum faciunt: Imperator ne circumveniatur, intra vallum ſe recipit: protinusq; ſe in urbem contulit, ut præſidia confirmaret. Hoſtes nullum ſpacium perterritis in urbe ſe colligendi, dari oportere exiſtimantes, repagulis valliſq; convulſis, portiſq; defenſoribus nudatis in urbem perrumpunt. Imperator jam cùm intra urbem hoſtes verſarentur; cum paucis equitibus, ſummæ rei diffiſus, ſe ex urbe ejicit, ſtatimque domum contendit. Ita hoſtes multis Imperatoris militibus interfectis urbe potiti, ea incenſa

Florentia capta.

Frid. Imp. infortunium.

& de-

& deleta, Parmam revertuntur. Suſpicatus Fridericus, proditione & indicio ſuorum, de abſentia ſua & militum negligentia ad Parmenſes fuiſſe deletum; quoſdam præcipuorum ſuorum conſiliariorum, & in his *Petrum de Vineis*, in vincula conjecit. Eo domi ad reliquias exercitus ſui colligendas intento, Encius Mantuanos, qui operam Parmenſibus ferebant, captis quinquaginta eorum navibus, omnibusque iis qui in illis fuerant, ſuperat.

Petri de Vineis caſus.

Richardus alia clade Pontificios in Piceno apud civitatem novam, occiſo duce Hugolino Novellano, amplius quàm duobus millibus captis & interfectis, afficit. Contractis copiis ſuis domi, Fridericus Cremonam proficiſcitur. Etſi verò illinc Encium apud Rhegium benè rem geſſiſſe acceperat: tamen quòd totam Longobardiam ad defectionem ſpectare animadvertiſſet, in Apuliam iter facere, atque inde majoribus coactis copiis in Longobardiam reverti conſtituit. Itaq; iter per Hetruriam in Apuliam habens Friderico filio ſe conjunxit: qui Capras oppugnabat, iisque expugnatis, & adverſarijs ſuis ſecum abductis, captoque poſtea, S. Miniato, & imperio ſubjecto, in Apuliam progreditur. Eò cùm ei nunciatum eſſet, Encium Mutinenſibus contra Bononienſes ſubſidio profectum, ab ijſdem duobus millibus paſſuum à Mutina captum eſſe, & ſe abſente Pontificios duces, cum copijs ſuis Longobardiam, Æmiliam, Flaminiam, Hetruriam percurrere, & ad defectionem Imperij civitates ſollicitare, easque partim dolo ad ſe traducere, partim vi in poteſtatem

tem

tem ſuam ſubjungere; qua poteſt animi contentione, ad renovandum bellum, ſummisque id viribus gerendum incumbit. Nec ſibi dubium eſſe Pandolphus Colonucius ſcribit, quin res maximas confecturus fuiſſet, niſi mors eum contra opinionem ſuam, quòd adhuc valens firmusq; eſſet, præveniſſet. Nam cùm in febrim in Caſtello quodam Apuliæ, quod Florentinum dicitur, incidiſſet, vitæq; finem ſibi inſtare ſenſiſſet, prædictumq; ſibi recordatus eſſet, *Florentiæ ſe moriturum*; facto teſtamento, eoque tum infinita pecuniæ ſumma ad pias cauſas (ut vocant) legata, tum Conrado aliisq; filijs, Imperij regnorumq; ſuorum hæredibus inſtitutis, ſucceſſoribusque, uti cujuſque ætas & conditio ferebat, deſignatis, ex hac mortali calamitoſa vita in immortalem atque beatam migravit. *Imp. mors.*

Ita autem animo ad mortem Fridericum paratum fuiſſe; ut qui ei in extremis adfuerunt, certò ſibi perſuaſerint, animam ejus ad concilium Cœleſtium delatam felicitate perfrui ſempiterna, Pandolphus Colonucius tradit. Ejuſdem rei teſtes cum Guilhelmum Puteanum, Andream Dandulum Venetum, tum Manardum Epiſcopum Imolenſem, Italos ſcriptores, profert: quorum hic ſcripſit, *ſe credere, Fridericum ex numero electorum & beatorum eſſe.* Itē expoſitis iis quæ Fridericus in hoc morbo antè & de ſalute ſua, & regnorum ſucceſſione, quàm deceſſit, egerit, ita locū illum concludit: *Atq; cum hoc modo cuiq; ſuū tribuendo, Deo Spiritum commendando, Cæſari filiisq; gubernationem & regna committendo, erga Deum & mundum* *Frid. II. elogia.*

ſuo

ſuo officio functus eſſet: rejecta omni rerum humanarum cura, devoto in Chriſtum animo exſpiravit. Hæc Itali pro Imperatore, à Pontifice proſcripto & exterminato, in illa Pontificum tyrannide, veritati teſtimonia perhibuerunt.

Mortis cauſa. De cauſa mortis variæ ſunt ſcriptorum opiniones. Alii enim ei venenum Pontificis inſtinctu propinatum, eoque exanimatum tradunt: plerique à Manfredo filio, pulvinari compreſſis faucibus, ſuffocatum referunt. Verùm Pandolphus Colonucius author cumprimis bonus, de veneno ei dato nullam facit mentionem: ſed febri confectum ſcribit. Poſteriorem autem opinionem de Manfredo apertè refutat; & quòd nihil habeat probabilitatis; & quòd contrarium à ſcriptoribus Eccleſiaſticis id temporis, memoriæ ſit proditum.

Anno 1250. Obiit anno Domini MCCL. XIII. die Decẽbris, anno ætatis ſuæ LVII. imperij XXXVII. *Sepultus Panormi.* cujus corpus Panormum tranſlatum, porphyretici marmoris ſepulchro in ſummo tẽplo eſt conditũ.

Conjuges. Tres fuerunt *Friderico* legitimæ uxores. Prima *Conſtantia* filia regis Arragoniæ, ex quâ *Henricum*, Ducem Sueviæ & Regem Romanorum genuit. Altera *Jole* Ioannis Brennij regis Hieroſolymitani filia, unde jus & titulus regni Hieroſolymitani, jure hæreditario ad Reges Siciliæ & Neapolis pervenit; ex qua *Conradum* ducem Sueviæ Regem Hieroſolymæ, & Neapolis, & Cæſarem ſuſcepit. Tertia *Iſabella* Ioannis Regis Angliæ filia, ex qua Henricum ſuſtuliſſe dicitur, quem infantem mortuum eſſe referunt.

Ex his quæ diximus intelligi poteſt, iis à Deo ſubſi-

ſubſidijs inſtructum fuiſſe *Fridericum*, ut in eo res eæ omnes fuerint, quas in ſummo Imperatore ineſſe oportet: Qui tametſi pro republica Chriſtiana & imperio magnas res pace belloq; geſſit; tamen multò majores conficere potuiſſet, niſi in ipſo curſu rerum gerendarum à Pontificibus Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. retardatus fuiſſet. Fuit enim plurimis & fortunæ, & corporis, & animi dotibus cumulatiſſimus Princeps. Quod tametſi ex ſuperiori oratione perſpicuum ſit, tamen quia varia de eo ſcripta extant, cùm ab aliis laudetur, ab alijs vituperetur; non alienum viſum eſt, cùm ex alijs, tùm præſertim ex Pandolpho Colonucio, quaſi lineamentis quibuſdam ex ſingulis trium illorum generum effictum ejus ſimulachrum, veluti in parva tabula ob oculos ponere. *Papæ fuerunt hoſtes Imperij.*

Ac quidem ex Nobiliſſimo genere, illuſtriſſimis parentibus ortum, maximis opibus, ſumma potentia præditum, ampliſſimis honoribus perfunctum eſſe, jam antè expoſui. Præterquam enim quòd ſummæ Imperij Romani, regniq; Germanici, multò longius latiusque id temporis atq; hodiè patentis, ejuſdem ordinum placito præfuit: jure maternæ hæreditatis, regnum Neapolis & Siciliæ; causâ dotis, regnum Hieroſolymitanum; titulo patrimonij, principatum Sueviæ obtinuit. Corporis habitu Friderico Barbaroſſæ avo ſuo ſimillimus fuit, eximia forma, facie decora, & gravitatis majeſtatisq; plena, exporrecta fronte, alacri vultu, juſta ſtatura, firma explicataq; artuū & nervorū cōpage; mente acri & ſagaci, judicio peracuto, ad- *Friderici II. Imp. decora. Genus. Opes. Regna.* *προσωπογραφία.*

Virtutes. to, admirabili prudentia, incredibili vi ingenij, &
ſolertia: parato & expedito in ſubitis etiam peri-
culis conſilio, animo alto & invicto; egregia fide
& conſtantia; ſumma humanitate & facilitate,
moribus & gravibus & elegantibus. Ad quaſcun-
que res, aut ſcientias, mentis & ingenij aciem in-
tenderat, in iis excellebat. Hinc in quibuſdam ea-
Scientia. rum etiam artium, quas Mechanicas dicunt, præ-
clarus artifex: multarum linguarum, ut Græcæ,
Latinæ (ut tunc loquebantur) Germanicæ, Ita-
licæ, Gallicæ, Saracenicæ, benè peritus: in literis
egregiè doctus, eruditorum virorum amans, fa-
Mecœnas miliaris patronus. Neque enim ipſe modò lite-
literarum. rarum diſciplinis plurimùm delectabatur, verùm
etiam mirum in modum in barbaris illis tempo-
ribus ea provehere eſt conatus. Nam & *Ariſtotelis*
opera, & *Ptolomei μεγάλλω συνταξιν*, & *Gregorij Nyſ-
ſeni* de natura hominis libros, aliosq; artis Medicæ
authores, de Græco & *Arabico* in Latinum (ut
illis temporibus) à literatiſſimis viris converti, &
Mathem. *Bononiæ* publicè doceri curavit. *Mathematicas*
diſciplinas in Italia excitavit; publicum ludum
Scholarum. literarum *Neapoli* aperuit, multiſque privilegiis
ornavit, eoque omnis generis celeberrimos ejus
ætatis Doctores ampliſſimis ſtipendiis evocavit.
Iuris. De juris quoque ſtudijs benè mereri voluit:
cujus rei multò majorem facultatem habuiſſet, ſi
in hæc tempora incidiſſet, quibus Juriſprudentia
barbarie priùs inquinata & fœdata, priſtinæ puri-
tati, nitori, & dignitati indies magis magiſque à
Leges. viris doctis reſtituitur. Leges permultas tulit, quas
in regnis ſuis obſervari voluit. Quæ verò pro li-
bertat

tate & immunitate Eccleſiaſtica conſtituta, in
perij ditione cuſtodiri voluit, de iis antè dixi. *Authentick.*
his capita nonnulla *Irnerius in Codice Juſtinia-*
ē tranſtulit. Eodē quoq; authore receptos illos
ı ſertim in Longobardia, beneficiorum (quæ *Uſus Feud.*
lgò Feuda vocant) mores collectos, & in ſcho-
à Doctoribus explicari cœpiſſe, Pandolphus
olonucius tradit. In conſilium etiam ſuum cla-
s & magni nominis Juriſconſultos adhibuit, ex *Iurécons.*
ıibus *Odofredus Beneventanus*, & *Thadæus Sueſ-*
nus, Præfecti prætorio & præſides Curiæ fue-
ınt.

Tum & ad promovendam & amplificandam *Liberal.*
eligionem Chriſtianam, & cohoneſtandas Ec- *in Eccle-*
leſias ſtudium opesq; ſuas convertit. Nam præ- *ſias.*
erquam quòd Eccleſiam Romanam maximis *Romanam.*
beneficijs affecit, ijſque conſtitutionibus, quarum
am mentionem fecimus, omnium in orbe Impe-
rij Eccleſiarum immunitatem amplificavit: Livo- *Livonia,*
nis etiam & in Sarmatia Venedi atque Godani ſi- *Sarmatiæ.*
nus accolis, quòd falſorum deorum cultu abjecto,
Chriſtianam amplexi eſſent doctrinam, multa
privilegia conceſſit, imperijq; Romani jura com-
municavit. Fuit præterea erga privatos & in bene- *Privatos*
merendo & referenda gratia perliberalis: atque
ut in officiis remunerandis munificentiſſimus, ſic
in proditione & perfidia vindicanda aſperrimus. *Iuſtus.*

In publicis verò quid ſplendorem & magnifi- *Magnifi-*
centiam ejus commemorem? cùm per ſe hæc ex *cus.*
magnificis & ſumptuoſis operibus, quæ ab eo
conſtructa referuntur, ſatis ſint aperta. Nam Pan-
dolphus Colonucius tum generatim in omnibus

Virtutes. to, admirabili prudentia, incredibili vi ingenij, & ſolertia: parato & expedito in ſubitis etiam periculis conſilio, animo alto & invicto; egregia fide & conſtantia; ſumma humanitate & facilitate, moribus & gravibus & elegantibus. Ad quaſcunque res, aut ſcientias, mentis & ingenij aciem intenderat, in iis excellebat. Hinc in quibuſdam ea-
Scientia. rum etiam artium, quas Mechanicas dicunt, præclarus artifex: multarum linguarum, ut Græcæ, Latinæ (ut tunc loquebantur) Germanicæ, Italicæ, Gallicæ, Saracenicæ, benè peritus: in literis egregiè doctus, eruditorum virorum amans, fa-
Mæcenas literarum. miliaris patronus. Neque enim ipſe modò literarum diſciplinis plurimùm delectabatur, verùm etiam mirum in modum in barbaris illis temporibus ea provehere eſt conatus. Nam & *Ariſtotelis* opera, & *Ptolomei* μεγάλην σύνταξιν, & *Gregorij Nyſſeni* de natura hominis libros, aliosq; artis Medicæ authores, de Græco & *Arabico* in Latinum (ut illis temporibus) à literatiſſimis viris converti, &
Mathem. *Bononiæ* publicè doceri curavit. *Mathematicas* diſciplinas in Italia excitavit; publicum ludum
Scholarum. literarum *Neapoli* aperuit, multiſque privilegiis ornavit, eoque omnis generis celeberrimos ejus ætatis Doctores ampliſſimis ſtipendiis evocavit.

Iuris. De juris quoque ſtudijs benè mereri voluit: cujus rei multò majorem facultatem habuiſſet, ſi in hæc tempora incidiſſet, quibus Juriſprudentia barbarie priùs inquinata & fœdata, priſtinæ puritati, nitori, & dignitati indies magis magiſque à
Leges. viris doctis reſtituitur. Leges permultas tulit, quas in regnis ſuis obſervari voluit. Quæ verò pro libertat

bertate & immunitate Eccleſiaſtica conſtituta, in Imperij ditione cuſtodiri voluit, de iis antè dixi. *Authēticæ.* Ex his capita nonnulla *Irnerius in Codicē Juſtinianeū* tranſtulit. Eodē quoq; authore receptos illos præſertim in Longobardia, beneficiorum (quæ *Uſus Feud.* vulgò Feuda vocant) mores collectos, & in ſcholis à Doctoribus explicari cœpiſſe, Pandolphus Colonucius tradit. In conſilium etiam ſuum claros & magni nominis Juriſconſultos adhibuit, ex *Iureconſ.* quibus *Odofredus Beneventanus*, & *Thadæus Sueſſanus*, Præfecti prætorio & præſides Curiæ fuerunt.

Tum & ad promovendam & amplificandam *Liberal. in Eccleſias.* religionem Chriſtianam, & cohoneſtandas Eccleſias ſtudium opesq; ſuas convertit. Nam præterquam quòd Eccleſiam Romanam maximis *Romanam.* beneficijs affecit, ijſque conſtitutionibus, quarum jam mentionem fecimus, omnium in orbe Imperij Eccleſiarum immunitatem amplificavit: Livonis etiam & in Sarmatia Venedi atque Godani ſinus accolis, *Livonia, Sarmatiæ.* quòd falſorum deorum cultu abjecto, Chriſtianam amplexi eſſent doctrinam, multa privilegia conceſſit, imperijq; Romani jura communicavit. Fuit præterea erga privatos & in benemerendo *Privatos.* & referenda gratia perliberalis: atque ut in officiis remunerandis munificentiſſimus, ſic in proditione & perfidia vindicanda aſperrimus. *Iuſtus.*

In publicis verò quid ſplendorem & magnificentiam *Magnificus.* ejus commemorem? cùm per ſe hæc ex magnificis & ſumptuoſis operibus, quæ ab eo conſtructa referuntur, ſatis ſint aperta. Nam Pandolphus Colonucius tum generatim in omnibus

Ornavit Italiam. ferè inſignioribus urbibus & oppidis regni *Neapolitani* atque *Siciliæ*, alijsque Italiæ partibus, hinc inde, multa ejus ædificia extitiſſe narrat; tum nominatim *Aquilam* urbem, in Brutiis, turrim & pontem *Capuæ*, arcem Capuanam; Neapoli, Tranenſem ſeu Trajanopolis; in Apulia, in Æmilia & Flaminia, Cerviæ, Ceſennæ, Bertinorij, Faventiæ, in Hetruria Sancti Miniati, pratumq; Caſtellum ab eo ædificata recenſet.

Bellica laus & fortitudo. Iam verò bellicis laudibus nullus ei princeps ſua ætate par fuit, inprimis rei militaris ſciens, belli gerendi peritus, patiens laborum, intrepidus in periculis, prudens in providendo, induſtrius in agendo, alacer & promptus in conficiendo; infractus in rebus adverſis fuit.

Sed quia in hac vitioſitate naturæ perfecta virtus in hominem non cadit, neque ullus unquam ita animo ac vita conſtitutus eſt, ut ratio poſtulat: *Nævi.* nec Fridericus perfectus & ab omni vitio liber fuit. Nam maculam ei ex voluptatibus aliquibus ſcriptores aſpergunt: qui & nimium in eo aucupandi ſtudium culpant, & in libidinem procliviorem fuiſſe notant. Hac eum labe infectum fuiſſe inde patet, quod multos liberos ex concubinis, Encium regem Sardiniæ, Manfredum principem Tarentinum, Fridericum regulum Antiochenum ſuſceperit. Atque hæc ferè omnia ex ea deſcriptione Friderici, quæ eſt apud Colonucium, quam ſe ex probatis authoribus duxiſſe affirmat.

Papæ mendacia. Quæ verò flagitia & ſcelera ei intentavit Pontifex atq; in ſententia ſua commemoravit: ea non modò Fridericus diluit, ſed & falſa, & à Pontifici-

bus

bus conficta fuiſſe, etiam pleriq; Hiſtorici, non Germanici modò, ſed & Itali, aſſerunt. Qua de re quæ apud Pandolphũ Colonucium enumeratio- nem illam virtutũ & affectionũ Friderici ſequuntur, ad verbum de Italico in latinum traducta ſubjicere placuit, qui in hunc modum ſcribit: *Praclarum P. Colonucij judicium.*

Tot & tantis dotibus & virtutibus cùm præditus fuerit Fridericus, nihilominus pro perſecutore & hoſte Eccleſia eſt habitus: cujus ſceleris, cùm Innocentius IV. in ſententiâ ſua eum reum declaraverit, eamq; Pontifices in Sextum librum Decretalium retulerint, & pro jure receperint, talem eum fuiſſe ſtatuendum videtur. Itaque tametſi fortaſsè me non deceat, id in dubium revocare, eaq; de re pluribus diſputare; tamen quantum & res geſta ipſius indicant, & claſſicorum authorum libri oſtendunt, & Epiſtola atque ſcripta ipſius demonſtrant, haud ſciò an non idcircò à Pontificibus Eccleſiæ hoſtis judicatus ſit; quòd vel in dicenda veritate, notandiſq; ſacri ordinis vitiis liberior fuerit, vel in iis vitam & mores veterum patrum, & diſcipulorum Chriſti deſiderarit, vel contra eos jura & dignitatem Imperij defenderit, vel quòd illi ejus in Italia opes & potentiam formidârint; id quod Gregorius IX. in epiſtola quadam fatetur. Sed de his is judicet, qui monumenta rerum à Friderico geſtarum legerit. Equidem & cùm mecum cogito, ipſum Chriſtum (cujus vicarios ſe Romani Pontifices jactant) & miniſtris ſuis dicere, ut ſe imitentur, exemplumq; ſuum veluti magiſtri ſequantur; atq; iis mandare, ut gladium in vaginam ſuam condãt; & jubere, ut non ſolùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties in ſe delinquẽtibus veniam dent: & cum viciſſim *Cauſa odij Papa.*

„ *cum his præceptis vitam Pontificum compono, & tot*
„ *tantasq́ eorum in Imperatorem inſidias, proditiones,*
„ *perfidiæ ſcelera, atque tot legatos Pontificios, homines*
„ *Eccleſiaſticos, qui ſe ovium Chriſti paſtores appellari*
„ *volunt, bellorum duces, cum tot tantisq́ copiis in omnes*
Italiæ partes, Campaniam, Apuliam, Calabriam, Friderico ſubditas, in Picenum, Æmiliam, Flaminiam, in Longobardiam adverſus eum miſſos animo colligo: totq́ urbium excidia, rerumpublicarum everſiones, hominum cædes, tantamq́ Chriſtiani ſanguinis effuſionem memoriá repeto: cum deniq́ Imperatorem fortunatum, felicem, victorioſum; Pontificios autem infortunatos, calamitoſos, victos, fuſos eſſe conſidero: in
„ *hanc adducor ſententiam, ut exiſtimem, aut omninò*
„ *nobis recondita & arcana eſſe Dei judicia, aut certè*
„ *veriſſimum eſſe, quod* Æneas Sylvius *in hiſtoria Au-*
„ *ſtriaca ſcripſit, nullum magnum detrimentum, nul-*
„ *lam inſignem calamitatem Eccleſiam & rempubli-*
„ *cam excepiſſe, cujus authores non fuerint Pontifices,*
„ Nicolaus quoq; Machiavellus *omnes clades, quas*
„ *cùm univerſa Chriſtiana reſpublica, tùm Italia per-*
„ *peſſa eſt, in eam à Pontificibus invectas eſſe prodit.*

Notate Pij II. judicium de Pontificibus. Machiavelli.

Multa extant Friderici ad Pontifices, ad Cardinales, ad Reges Chriſtianos, ad imperij principes & ordines, ad privatos homines epiſtolæ, quas legi. Nihil
„ *in his Chriſtianæ doctrinæ contrarium, nihil impium,*
„ *nihil in Eccleſiam Chriſtianam injurioſum, nihil con-*
tumelioſum, nihil arroganter, aut contumaciter à Friderico ſcriptum cernitur. At non nego, plenas illas eſſe tùm querelarum, lamentationum de avaritia & ambitione Eccleſiaſticorum, de pertinacia Pontificum, quòd neq; ullam excuſationem & ſatisfactionem accipere,

Iuſtæ querelæ de Papis.

pere, nec defenſionem juris & dignitatis Imperij admittere voluerint ; atq; de multiplicibus illorum in ſe conſpirationibus : tum admonitionum ad totum illum ordinem, ut officium ſuum faciant. Qui veritatis cognoſcendæ cupidus, & admiratione quadam virtutum magnorum principum capitur, legat Epiſtolam Friderici ad omnes principes Chriſtianos datam, cujus initium : Collegerunt, Principes, Pontifices & " Phariſæi conſilium. *& aliam, qua Collegium Car-* " *dinalium hortatur ad tollendam diſſenſionem & diſcordiam inter Imperatorem & Pontificem, cujus principium :* In exordio naſcentis mundi. *item* " *aliam, cujus initium :* Infallibilis veritatis teſtem. " *præterea aliam, ad Reges & principes orbis Chriſtiani, cujus principium :* Illos felices deſcribit. *in qua quæ* " *ad finem ſcribit, hic veritatis magis, quàm elegantiæ cauſa referre placuit : quòd ſi ad hæc noſtra tempora aggregentur, bonis & piis viris uſui eſſe poſſint. Eſt autem hæc ſententia :* Non aliter fidem his adhibe- " te, quæ legati noſtri vobis retulerunt, ac ſi ipſemet " D. Petrus vobis ea jurejurando aſſeveraſſet : nec " exiſtimetis id ideò me à vobis contendere, ac ſi ex " ſententia Pontificia privationis, Majeſtas noſtra " ſit perculſa. Cùm enim nobis ſit rectæ voluntatis " conſcientia, cumq; Deum nobiſcum habeamus, " eundem teſtem invocamus, id nos ſpectaſſe, ut " cùm totum ordinem Eccleſiaſticum, tùm præſer- " tim primores, nervis potentiæ, dominationisq; " eorum ſuccisis, extirpatisq; tyrannidis radicibus, " ad primitivæ Eccleſiæ conditionem, & ſtatum re- " vocaremus. *His de cauſis fortaſſe, qui præcipuas in* " *Eccleſia dignitates conſecuti erant, ſtatuerunt* Fride-

ricum hoſtem eſſe Eccleſiæ: quam rem ut dixi) alijs dijudicandam relinquo. Hactenus Pandolphus Colonucius: qui cum ea quæ de cauſis odii & crudelitatis Pontificum in Fridericum commemoravit, non ex ipſis modò Friderici ſcriptis, ſed & ex hiſtorijs boniſq; authoribus ſe collegiſſe ſignificet, & cenſuram hac de re iis, qui vacui ſunt animi affectione, permittat; ſatis declarat, quid & Pontificiæ factionis ſcriptoribus, & ipſius quoque *Innocentij* ſententiæ tribuat, quantum vis hæc apud inſequentes Pontifices juris authoritatem obtinuerit. Et ſanè immeritò *Fridericum* pro hoſte Eccleſiæ Romanæ habitum eſſe id documento eſt, quòd & maximis eam muneribus proſecutus ſit, & ſummis privilegiis libertatem immunitatemq; Eccleſiaſticorum muniverit: id quod apertè ex conſtitutionibus ejus *de Statutis & conſuetudinibus* intelligi poteſt. At contrà Pontifices peſſimam ei gratiam pro his ſummis in Eccleſiam beneficijs retulerunt, qui licet maximis eum injuriis laceſſiverunt, tamen iis Reip. Chriſtianæ, cujus incolumitate & ſalute nihil antiquius habebat, cōdonatis, paci cum ſuo & imperij incōmodo ſtudebat. Itaq; cùm à Pontificibus neceſſariò ad bellum pertraheretur, ſi quæ vindicandæ Imperij majeſtatis gratiâ eis intulit damna, ſuæ culpæ expenſa ferant neceſſe eſt. At aſſentatores Pontificij, qui & illis & inſequentibus temporibus, ad noſtram uſq; ,, ætatem ad ſcribendum animum applicârunt, non ,, ut veritatis teſtes eſſent, ſed ut Pontificum gra-,, tiam ſibi demererentur, & opima ab eo ſacerdotia ,, aucuparentur; hinc occaſionem calumniandi Impera-

Mendacia Pontificum & adulatorum.

Papa cujuſis ingrati.

peratorem acceperunt. Id quod non in Italis modò, *Blondo, Stella, Platina, Sabellico* (qui alioquin Germanis hominibus iniquiores fuerũt) ſed & in Germanis, *Alberto Pighio, Georgio Wicelio*, aliisque Pontificijs ſatellitibus, mercede & beneficijs conductis, cernitur. Sed illis hi eò ſunt deteſtabiliores, quòd & Imperij dignitate & patriæ charitate poſtpoſita, ſe ob quæſtũ Pontificibus manciparunt, ut cupiditatibus eorũ ſervirent, vitiisq; aſſentirẽtur. Verùm hos miſſos faciamus, & ad illos redeamus, qui quamvis & ipſi ordinis Eccleſiaſtici fuerint, tamen quòd plus apud eos veritatis ſtudium, & virtutis reverentia, quam Pontificis authoritas & adulandi ſervitus valeret: hunc Imperatorem ſummis laudibus extulerunt. Sic *Nicolaus Cuſanus Cardinalis*, hunc Imperatorem poſt *Carolum Magnum, potentiſſimum, ſapientiſſimum, & reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimum Principem fuiſſe* ſcripſit. Sic *Ægidius Biturigum Epiſcopus* in libris ſuis, quos ad Francorum Reges *de inſtitutione principis* ſcripſit, ad illius tanquam ſummi principis exemplar eos cohortatur. Quid plures cõquirere attinet? quàm honorificum judicium & præclarum doctorum virorum de ſummis ornamentis honoris, fortunæ, ingenij, virtutis hujus Imperatoris fuerit; ex his verſiculis, inconditis quidem, ſed de inſignibus Friderici dotibus teſtificantibus, ſepulchro ejus inciſis, poſteritatiq; traditis intelligi poteſt:

*Si probitas, ſenſus, virtutum gratia, *cenſus,*
Nobilitas orti, poſſent reſiſtere morti:
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

*alij; *Gloria*. alij, *Nobilitate orti*.

Apud Colonucium primus verſiculus ita legitur.

Si probitas, ſenſus, virtus, res, intellectus.

Quare cùm ex iis, quæ ex probatis ſcriptoribus commemoravi, appareat, qui quantusq; Imperator Fridericus fuerit, qui ea ipſa de cauſa, quòd in Chriſtiana republica amplificanda, & imperij dignitate conſervanda diligentiſſimè laboravit, in acerbiſſimum Romanorum Pontificum odium incurrerit, uti præſtantiſſimi cujuſque Imperatoris acerrimi fuerunt hoſtes; quibusq; calumnijs, injurijs ab ijs eorumq; adminiſtris exagitatus fuerit: reliquum eſt, ut & virtutes ipſius grata proſequamur memoria, & Pontificum ſcelera averſemur: Deumque oremus, ut gratia ſua ita Imperatoribus atque principibus noſtris adeſſe velit, ut & Dei gloriam propagare, corruptum & vitioſum in Eccleſia Chriſtiana morem ratione pura atque incorrupta emendare, jura & dignitatem Imperij Romani vindicare, utilitatem & ſalutem reipublicæ Chriſtianæ provehere & velint & poſſint.

NICO-

NICOLAI
CISNERI, JC.
DE
CONRADO
Quem Itali CONRADINUM *vocant.*
Ultimo Sueviæ gentis Principe,
ORATIO.
Habita in panegyri Academica Heidelbergæ
Anno Domini MDLXV.

Digitized by Google

ILLUSTRIS. PRINCIPI D. CHRISTOPHORO, COMITI PALATINO RHENI, ET BOIARIÆ DUCI, ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS FRIDERICI, ELECTORIS PALATINI FILIO Domino ſuo, NICOLAUS CISNERUS S. D.

Quam nuper in auditorio noſtro de Cõrado Suevo *orationem habui, cũ facultatem, & (ut vocant) licentiam inſignia Doctoratus in iure noſtro ſuſcipiendi, Iſbrando Ballico Phryſio, pro veteri more publicè conceſſi: eam ad te,* Princeps illuſtriſs. *mitto. Id duabus præcipuè de cauſis mihi viſum eſt faciundum: & quia ſcholæ illi noſtræ, pro ſingulari tuo in ſtudia literarum amore, interfuiſti: & quia maternam is originem, ex eadem illa nobiliſſima familia traxit, ex qua tu optimusq; Pater tuus, Elector Fridericus: & quicunq; hodie Comites Palatini Rheni, ac Bojariæ Duces cognominantur, ſunt pro-* gnati

gnati. Matrem enim habuit Elizabetham, filiam Othonis Palatini *Rheni, & Bojariæ Ducis, qui fuit tritavi tui* Ruperti Cæſaris *atavus.*

Hoc levidenſe munuſculum, ceu obſervantiæ erga te, meæ teſtimonium, ut boni conſulas, majorem in modum te oro. Poſſem hic (ut à plerisque fieri ſolet) multa de iſtis, quam clariſſimo Principi, Patri tuo, de expectatione, quam nobis de te concitaſti, commemorare & prædicare. Sed id conſultò prætermiſi: tum ne auribus tuis quid dare videar; tum quod ſi eas ingenij dotes & animi virtutes, quæ nunc ſe in te oſtendunt, temporis progreſſu induſtria tua auxerit confirmaverisq́ue, alios ſis habiturus laudum tuarum præcones. Quo in genere nec Otho Hovelius, *aulæ tuæ præfectus, eques literatiſſimus; nec* Wolffgangus Zundelinus, *præceptor tuus, vir doctiſſimus, ſua opera ſtudioq́ue tibi deerunt. Bene vale. Heydelbergæ, Calendis Novemb. Anno Domini* M. D. LXV.

DE

DE CONRADO SUEVIÆ PRINCIPE.

ORATIO.

NON abs re me facere putavi, ſi ei orationi, quam de præſtantiſſimo Imperatore Germano, *Friderico* II. habui, & alteram de nepote eius *Conrado*, quem Itali Conradinum vocant, in quo præclarum nobiliſſimæ ſtirpis ſuæ maſculinæ nomen defecit, adjungam. Quod enim ambo *Friderici*, in imperij Romani dignitate tuenda, Romanorum pontificum cupiditati fortiter obſtiterant; ex cuius ruinis hi Pontificatum amplificare ſtudebant: ſummo conatu ſtudioque in illorum perniciem incubuerunt, nec antè odium in eos ſuum exſaturare potuerunt Papæ, quàm totam eorum gentem & poſteritatem delerent. Id quò melius intelligere poſſitis, quid à morte *Friderici* II. usque ad Conradi noſtri necem geſtum ſit, ordine, qua potero brevitate, exponam.

Conradus Rex Neapolis & Siciliæ. *Conradus Friderici* II. filius, nuncio de patris morte accepto, cum exercitu quem magna celeritate coegerat, ut paterna regna, Neapolitanum & Si-

& Siciliæ occuparet, relicta in Boiaria *Eliſabetha* coniuge ſua, *Othonis* Palatini Rheni, & Boiariæ Ducis filia, gravidâ, in Italiam contendit. Iam enim *Innocentius* ille IV. cupiditate regni inductus, Lugduno Genuam appulerat: & conſcripto ibi milite, regna illa, quæ jure hæreditario ad filios Friderici pertinebant, precariò Carolo Regis Angliæ fratri conceſſerat: qui & Regis Siciliæ nomen ſibi ſumebat. Idemque Pontifex Neapolim, Capuam, Aquinum, cum inſtinctu Caſertani Comitis, Manfredo Friderici notho, qui Conradi nomine regnorum illorum poſſeſſionem comprehendebat, parere nollent, in ſuam fidem atque tutelam ſuſceperat. *Conradus* ut in regnum Neapolitanum, cum omnibus ſuis copijs pervenit, comite Cerratenſi in deditionem accepto, Caſertano capto, eius ditione, Capuaque ſubactis, Aquino expugnato & direpto, Neapolique poſt octavum obſidionis menſem, ſub imperium ſuum ſubiuncta, omnino & Neapolitano & Siciliæ regno eſt potitus. Interea ei Eliſabetha conjunx, in Boiaria filium *Conradum* peperit. Sed non multo pòſt, Conrado patre veneno ſublato, Innocentius IV. magnis rurſus comparatis copijs, regnum Neapolitanum invaſit. Quo Neapoli extincto, Manfredus de improviſo cum manu ſua Fogiam ubi Pontificius exercitus conſederat, aggreſſus, eaque direpta, Pontificioq; milite partim capto partim cæſo, indeq; copijs auctus, cũ ſe pro tutore *Conradi* infantis gereret, cui jure hæreditario regnum illud debebatur, maximam iterum regni partem in fidem poteſtatemque recepit. Hoc elatus

Papa rapax.

Conradinus natus, patre & patrimonio ſpoliatus

Manfredus tutor infidus, veneficus.

elatus ſucceſſu Manfredus, non contentus Tarentini principatus, à patre *Friderico* magnę partis vicinarum regionum amplificati finibus, ipſum regnum affectabat. Sed cum ei nec tuta, nec commoda ratio ad id, quod animo agitabat, perveniendi videretur, ſi quod regnum pupilli nomine tenebat, eo illum per apertam vim & inſignem injuriam ſpoliaret; ad fraudes animum convertit. Nam *Conradum*, pupillum ſuum, vita functum eſſe finxit, idque paſſim divulgavit. Atque ut huic rumori fidem faceret, amicos quoſdam ſubornavit: qui atroci, mœſtoq́ vultu ſe ex Germania ad Manfredum legatos, nuncium literasq́; de morte Cõradi adferre ſimularent. Quibus honorificè acceptis, ipſe etiam lugubri pullaq; veſte indutus proceſſit, & veluti defuncto *Conrado* juſta perſolvit. Fama quoq; (autore Pandolpho Colonucio) fuit, Manfredum aliquos ſibi addictos miniſtros in Germaniam, cum munuſculis quibusdam eſculentis, & puerili ætati gratis, veneno infectis, ad Conradum viſendi ſpecie miſiſſe: ut ita Conrado mortem cõciliarent. Quod ne accideret, matrem *Eliſabetham* præcaviſſe: quippe eam cum de muneribus illis mali aliquid ſuſpicata eſſet, legatis Manfredi alium puerum, Conrado æqualem pro eo ſubſtituiſſe, & hunc venenatis illis donis exanimatum eſſe. Quocunque quidem modo ſe hæc res habeat, morte Conradi à falſis his legatis nunciata, Manfredus & regna illa, jure ſucceſſionis ad Cõradum delata, ſibi vindicare, pro ſuiſque habere: & Rex tum à ſuis ſalutari, tum more majorũ, ſceptri regniq́; corona inſigniri. Etſi autem Alex. IV. qui in Pontificatu

Eliſab. Palatinæ cautio felix.

Alex. IV.

Inno-

Innocentio IV. ſuffectus erat, & Anagniæ Manfredum ex Chriſtianorũ cõmunitate exterminarat, & Octavianum Ubaldinum Cardinalem, legatum ſuum Neapolitanis præſidio reliquerat; tamen nihil omnino his rebus contra Manfredum perfecit. Quinetiam creſcentibus indies & autoritate & copijs Manfredi, legatus Pontificius, quòd ſe imparem eius viribus cognoſceret, Neapolim deſeruit, protinusq; regno exceſſit. Ita Manfredus non ſolùm univerſum Neapolis & Siciliæ regnum occupavit, verumetiã plurimum negocij hoſtibus ſuis, Pontifici, eiusq; ſectatorib. Guelphis in Campania, Hetruria, Piceno & Lõgobardia fecit. Alexandro, qui omnia fruſtra contra Manfredum tentârat, mortuo, Urbanus IV. qui in locum eius ſubrogatus erat, ut Manfredum opprimeret, ad iſtas artes confugit, quibus Pontifices adverſus hos, quos ſuis viribus domare non poterant, jam antè uti ſolebant. Nam legatos procuratoresq;, cùm in alias Chriſtiani nominis regiones, tum præſertim in Galliam miſerat: qui pro concione populum adhortabantur, ut pro Põtifice militiam obirent; omnesq; milites, qui nomina ſuá dabant, tanquam *ſacrum bellum* pro Chriſtiana religione geſturi eſſent, nota crucis ſignabant. Hoc modo plurimis ad arma vocatis, magnæ ad Pontificẽ copiæ, crucis ſigno notatæ, Roberto Vidonis Flandriæ comitis filio, Caroli Andium ducis genero, Richardo Vindocienſe comite, & Guidone Antiſiodorenſi epiſcopo, ducib. venerunt. In his, licet Põtifici ad ſuam ditionem tutandam ſatis eſſet præſidij; tamen ſimul, ut Manfredũ regno profligaret, ſimul ut regię

Urban. IV.

Cruciata.

Fran-

Francorum ſtirpi gratificaretur; Neapolitanum & Siciliæ regna, poſthabito Conrado, vero & legitimo eorum hærede, non quòd vivere cum ignoraret, *Fridericorum* prolem, & gentem Suevicam (Paulo Æmilio, & Fazello Siculo teſtibus) ſuſpectam exoſamque haberet, contra jus & fas; per legatos *Carolo* Andium duci, Cœnomanorum & Provinciæ comiti, fratri *Ludovici* regis, qui poſtea in Divorum numerum à Pontificibus eſt relatus, beneficij nomine detulit.

Papa trãsfert regna, de alieno liberalis, in Carolum Gallum.

Hac occaſione *Carolus*, animo ad regna illa adiecto, urgente eundem ad hanc expeditionem Beatrice uxore ſua, Raimundi comitis Provinciæ minima natu filia (quæ cum tres ſorores reginas haberet, quarum Catharina Ludovici Franci, Leonora Henrici Angli, Sanctia vel Cynthia eiuſdem germani Richardi Cæſaris deſignati uxor erat; ipſa quoque Reginæ titulum appetebat, & ſe Comitis nomine appellari moleſtè ferebat) ope fratrum ſuorum, præſertim Galliæ regis, maximum colligit exercitum, quem in Italiam, ad Neapolitanum & Siciliæ regna ſibi ſubijcienda duceret.

Muliebris ambitio.

Dum hoc magno ſtudio peragit, interea Urbanus pontifex interijt, cuius mors ne expeditionem Caroli interumperet, ſubitò à concilio Cardinalium, Pontifex electus eſt in legatione abſens, Clemens IV. Ei nulla res maiori curæ fuit, quàm ut Carolus expeditionem paratam primo quoque tempore perſequeretur. Igitur cum ipſum ad depellendum, quàm celerrimè poſſet rurſus Manfredum de poſſeſſione regnorum, ei jam antè precariò ab Urbano promiſſorum, vocaſſet;

Clemens IV.

Caro-

Carolus non moratus, inſtructa triremium claſſe, Hoſtiam primùm, deinde adverſo Tyberi Romam appulit. Ibi dum reliquæ copiæ ſuæ, quæ terra iter fecerant, convenirent: & Princeps Senatus Romani eſt creatus, & à Pontifice Rex utriuſque (ut vocant) Siciliæ, & Hieroſolymæ, unà cum coniuge regina, ſuo hæredumque ſuorum maſculorum ac fœminarum nomine, his conditionibus, ſub ſacramenti religione; eſt declaratus: *ut Pontifici ſingulis annis quadragena octena millia aureorum, ac triennio quoque album equum pro vectigali penderet: & ne ipſe, néve ſucceſſores eius unquam, etiamſi ultrò ab Electoribus Imperatores renunciati fuerint; nomen Imperatorium, Imperijque adminiſtrationem ſuſciperent.* Quibus autem de cauſis, hoc poſterius pactum in hac inauguratione à Pontifice adiectum fuerit; vobis pro veſtra prudentia cogitandum; Auditores, relinquo. Equidem id ideò factum exiſtimo, & quod Reges hos, in ſua poteſtate omnino eſſe vellet; & quòd timeret, eos libidini ſuæ non modò non obtemperaturos; ſed & adverſaturos, ſi illis Imperij dignitas, & ſalus cordi futura eſſet.

Carolus And. à Papa fit Rex Siciliæ.

Papa Siciliam ſibi tributariã facit.

His rebus Romæ confectis, Carolus in regnum Neapolitanum cum ſuis, adiunctis Guelphis equitibus progreſſus: cum, qui exercitum eius itinere prohibere debebant, vel à Manfredo defeciſſent, vel à Carolo pulſi fugatique eſſent; Ceppetano, Aquino, S. Germano captis, inde via Aliſana per invios & aſperos montes exercitu ducto, ut in vallem quandam, millibus paſſuum duobus à Benevento diſtantem ſecundum Calorem flu-

Carolus vicit.

fluvium deſcendit. Viſo hoſte, Manfredus fatô potius quàm conſilio ductus, quod commeatus inopia, & re frumentaria hoſtem interclu-ſum, ſine ullo negotio vincere poterat: nec dum ſuos, qui varijs in locis diſperſi erant, convocaverat: traiecto Calore fluvio, prælio cum eo decertaro conſtituit. Itaque inſtructa utrinque acie commiſſum eſt prælium: in quo licet Germanorum militum impetu, Galli qui in primis ordinibus erant loco moti, atque ipſe Carolus equo deturbatus eſſet; tamen confeſtim Carolo rurſum à ſatellitibus in equum coniecto, ſuosq; cohortante, Manfredus, cum multorum aliorum Baronum & procerum regni ſui, tum præſertim Carranenſis, Caſertani, Galuanenſis Comitum fide & virtute deſtitutus; imò verò ab his deſertus & proditus, cùm laborantibus reliquis, qui contra hoſtem dimicabant, ſuccurrere vellet; à Picardis fortiſſimè pugnans interfectus, & ab ijſdem omnibus armis veſtibusque ſpoliatus: eiusque exercitus, captis trucidatisque omnibus ferè primoribus, qui in pugna perſtiterant, fuſus eſt.

Manfredus occiſus.

Caroli Andeg. crudelitas.

Hac victoria, cum ingenti tamen ſuorum clade, potitus Carolus; tametſi ei Beneventani ſupplices ſolenni ritu obviàm proceſſiſſent: tamen nec ordinis Eccleſiaſtici, quamvis perquàm ſuperſtitioſus eſſet, nec ſenum, nec fœminarum ratione habita; ſed his ſupplicibus, verberibus graviter mulctatis, & Epiſcopo, reliquisque ſacerdotibus, cultu atque ornatu ſuo exutis, Beneventum diripit, atque incendit. Captivos autem proceres, in provinciam Galliæ tranſalpinam miſit:

ubi

ubi in carcere & ſqualore miſere vitam ſuam finierunt. Corpore Manfredi inter reliqua cadavera exanimo reperto, id ille, quòd vivus à Pontifice ex Chriſtiana civitate proſcriptus fuiſſet, in foſſam propter pontem Beneventanum abijci juſſit: quod poſteà milites, ſingulis ferè à ſingulis eo coniectis lapidibus obruerunt. Sed hac re cognita, Pontifex miſſo ad Carolum Conſentino epiſcopo, inde id tolli: & ut execrationibus ſuis obnoxium & extorre, extra regni limites in confinibus Campaniæ in ripa Verdæ fluminis ſepeliri, eiusque tumulo hoc epitaphium mortuo inſultans, inſcribi curavit: *Manfredi corpus: & epitaphium*

Hic jaceo Caroli Manfredus Marte ſubactus:
Cæſaris hæredi non fuit Urbe locus.
Sum patris ex odijs auſus confligere Petro:
Mors dedit hic mortem, mors mihi cuncta tulit.

Cæſaris hæredem nominat; quia filius fuit naturalis Friderici: eamq; ob cauſam regna illa obtinuit. Per urbem, intelligit Benventum: quia illic ei eſt negata ſepultura.

Poſthæc Carolus totum regnum Neapolitanum & Siciliæ, cum omni gaza regia, extra Nuceriam Saracenorum, in ſuam poteſtatem redegit. Eundem propter hoc bellum bene feliciterque geſtum, Pontifex quaſi id in ſuo arbitrio & poteſtate eſſet, imperij (ut Colonucius) in Italia; ut alij tradunt, in Hetruria, vicarium conſtituit. *Papa de tuo largitor*

Dum hæc in Italia geruntur, *Conradus* in Boiaria à matre apud avunculos ſuos, *Ludovicũ & Henricum* Boiariæ Duces, & Comites Palatinos Rheni educatus, pubertatis annos exceſſit. Is cùm à qui- *Conradus hæres Siciliæ legitimus vocatur ad regnum.*

 buſ-

buſdam Italiæ civitatibus, tùm ab *Henrico Hiſpano*, Ferdinandi Caſtulonenſis Regis filio, principe ſenatus Romani, ſibi ſanguine juncto ſollicitatur, ut ad recuperanda avita & paterna regna, Neapolitanum & Siculum, profectionem paret. Etſi enim Henricus, ipſius quoque Caroli ex Blanca, Alphonſi Caſtulonenſis regis filia, amita ſua prognati cognatione tenebatur: tamen ob ingratem in ſe Caroli animum, quod cum eius viſendi gratia in Italiam iviſſet, magnamque ei pecuniam mutuam dediſſet, hanc ſtatuto die Carolus ei non reddidiſſet, alieno erat in eum animo. Quæ autem cognatio Henrico cum *Conrado* fuerit, pleroſque ſcriptores ignoraſſe video. Blondus (quamvis in hoc genere à ſe ipſo diſſentiat) Pandolphus Colonucius, Paulus Æmilius, Conſtantiam primam Friderici II. coniugem; huius Henrici ſororem fuiſſe referunt: atque idcirco Conrado tum aviam Conſtantiam, non Iolen: tùm patrem Henricum, Friderici maximum natu filium, non Conradum attribuunt. Itaq; rectè hanc opinionem Wolffgangus Ungarus, in annotationib. ſuis ad Cuſpinianum refellit. Horum enim errorem, ſi ulla alia autoritas redargueret, ipſius certè Conradi diplomata convincunt: quorum duo apud Ioannem Aventinum lib. VII. annalium Boiorũ extant. Cum enim in utroq; *Conradus Hieroſolymæ & Sicilæ Regem* ſe ſcribat: & in altero, quæ oppida Sueviæ Cõradus pater *Othoni Palatino* Rheni & Boiorum Duci, avo ſuo materno, pignori dederat, ea ſe *Ludovico Boio* avunculo ſuo vendere teſtetur: ex iis hinc inde ſatis perſpicuum eſt, huic Cõrado

Henricus Hiſpanus.

tadoaviam paternam Iolen Brennam, hæredem regni Hieroſolymitani, non Conſtantiam: patremq; *Conradum*, quem & ipſe Fridericus in epiſtola quadam, cuius initium, *Levate*, hæredem regni Hieroſolymitani vocat, non Henricum fuiſſe. Nec verò Conſtantiam illam Caſtulonenſem (ut authores illi falsò ſcriptum reliquerũt) ſed Tarraconenſem fuiſſe, ex inſcriptione laminæ æneæ, in ſepulchro marmoreo Panormi inventæ, quando id à Ferdinando Acuneo, Ferdinandi eius nominis poſtremi, Hiſpaniæ & Tarraconenſis Regis, cognomento Catholici, in Sicilia prorege apertũ eſt, manifeſtè cognoſci poteſt: in quã, Conſtantia illa Friderici II. Imp. coniunx, filia Regis Arragonum appellatur. Fuit autem, Fazello Siculo teſte, huiuſmodi inſcriptio: *Hoc eſt corpus D. Conſtantiæ, III. Romanorum Imperatricis, ſemper Auguſtæ, & Reginæ Siciliæ, uxoris D. Imperatoris Friderici, & Siciliæ Regis, & filiæ Regis Arragonum* Henrico autem Conradus (ut probè idem Ungarius tradit) non ratione Conſtantiæ, ſed Beatricis, Philippi Cæſaris propatrui ſui filiæ, Ferdinãdo IV. Caſtulonenſi Regi in matrimonium collocatæ, cognatus fuit: ex ea enim natus eſt Henricus.

Conſtantia Arragonia.

Huius perſuaſu & pollicitationibus, Conradus cum magno pedeſtrium equeſtriumque copiarum apparatu, *Ludovico* avunculo Palatino Rheni, & Friderico filio Hermanni Auſtriæ ac Stiriæ ducis, eum comitantibus, in Italiam proficiſcitur. Exceptus eſt adventus eius à Veronenſibus, incredibili honore atque amore. Ibi dum copias ſuas expectat, Clemens pontifex *Ludovicum Palatinum*,

Conradi profectioni Italiam.

Lud. Palat. aſtu Papa allegatur.

Digitized by Google

num, ſpecie comitiorũ Imperatoriorum, in Germaniam reverti juſſit. Facilius enim adoleſcentem Conradum circumventum iri ſperabat, ſi ab eo Lodovicus, ſumma & prudentia & animi magnitudine princeps, abeſſet. Verona Conradus cum exercitu Ticinum ivit, hinc deducentibus eum Veronenſibus & Ticinenſibus, in Genuenſium ditionem, ad Liguſtici maris littus, quod Carretenſes incolebant, venit: conſcenſisq; iſthic triremibus, Piſas eſt delatus. Ibi cum alij multi Gibellinæ factionis, & imperij ſtudioſi, tum Guido Monfeltrius, Urbini regulus, ſe illi conjunxerunt. Inde Senas petens, cum ei in itinere magiſter equitum Caroli regis cum Guelphis, qui ad eum ex Hetruria convenerant, ad Aretium obviam veniſſet, cum copijs à Conrado cæſus eſt. Senis legati Pontificis, eum à bello contra Carolum ſunt dehortati: ni pareat, Eccleſiæ hoſtem, & à Pontifice diris devotum declarant. At ille, ſpretis his Pontificiæ execrationis minis, exercitum ſuum rectà Romam verſus ducens Viterbienſes agros tranſivit. Pontifex tum Viterbij commorabatur, qui Conrado, eiuſque exercitu viſo, dixiſſe fertur: *Conradum, tanquam victimam, ad ſacrificium mactandum duci.* Sunt, qui hoc Pontificis dictũ vaticinio aſcribant, alij verò hanc vocem Clemẽti, ut proditionis Conradi conſcio, excidiſſe exiſtimant. Ut Romam venit, ſumma cum magnificentia à ſenatu populoq; Romano in Capitolium deductus: nec alius ei atq; Imperatori, Henrici primi Senatoris cognati ſui opera, honos eſt habitus, Comite Monfeltrio, in capitolio ab Henrico præſidio

Conradus Carolum vadit.

Romæ honeratur.

ſidio relicto, & ab eodem Conrado firma Hiſpanorum manu adiuncta, Conradus & Henricus cum exercitu in regnum Neapolitanum movent. Horum adventu audito, multæ in Apulia & Lucania civitates, partim quòd à præſidio Caroli dura ſervitute premerentur, partim quòd legitimum regni hæredem expeterent, partim quòd mobilitate animi novis imperijs ſtuderent, à Carolo ad Conradum deſciverunt. *Neapolim venit.*

Iam Fridericus Caſtulonenſis, Henrici frater, & Conradus Caputus, Friderici Antiocheni principis filius, Friderici II. Imperatoris nepos, cum Piſanorum & Saracenorum claſſibus, multa in ora maritima regni Neapolitani oppida, Caroli triremibus in fugam coniectis, & Ænariam inſulam, totamque ferè Siciliam (Panormo, Meſſana, & Syracuſis exceptis) Caroli imperio ſubtractam in fidem poteſtatemq; Conradi traduxerant. Quibus rebus Carolus vehementer commotus, ijs difficultatib. quàm maturimè occurrendum; Conradiq; in interiora regni adventum, ſuo & corpore & milite intercludendum ratus, ipſemet cuſtodias in montis Caſſini anguſtijs, oportuniſque locis, quà proximum erat in regnum iter, diſpoſuerat, ut in ijs recto itinere contendentem Conradum exciperet. Qua de re ubi ab exploratoribus *Conradus* certior factus eſt, loci iniquitatem timens, Romanis quibuſdam eius regionis peritis præeuntibus, Tyburtina via per Æquicolorum montes, in Marſorum planiciem ad Fucinum lacum iter faciens, cum Carolum exercitu ſuo appropinquare, nec jam lõgè abeſſe intellexiſſet, copias ſuas inſtruit, & *Initia læta*

Acies utrinque inſtructa.

expeditas quadrato agmine ducere incipit. Vix millia paſſuum quatuor in patentes campos, à dextra lacu Fucino, ſiniſtra altiſſimis montibus cinctos, (quos Palêtinos Blondus appellat) proceſſerat: cum conſpecto procul Carolo, qui in adverſo colle pla aciem illam claudente ſe oſtenderat, ſuos iter differre, & de prælio cogitare jubet. Quo animadverſo, ipſe quoque Carolus ſe ad dimicandum parat. Erat Conradus numero & viribus Carolo multò ſuperior. Itaque conſilio Alardi veterani ordinum ductoris, qui ſub Germanis multos annos ſtipendia meruerat, copijs ſuis in tres partes diviſis, duabus in aciem contra Conradum eductis, quibus magiſtrum equitum Philippum Monfortium, regiis armis & inſignibus ornatum, præfecit: ipſe verò gregarij militis veſtitu, cum Alardo tertiam partem, quam ex iis delegerat quibus maximè confidebat, ex altera parte collis in vallem ſubducit, iſthic prælij eventum expectaturus: ut cum commodum videretur, inopinantes & feſſos integris viribus aggrederetur.

Pugna Conradi cum Carolo.

Conradus quoq; duas acies inſtituerat. In prima Italos & Hiſpanos collocaverat: in ſecunda ſubſidiaria, ipſe cum Germanis ſtabat. Ac primo impetu prior Conradi acies, in Caroli militem tantum impetum fecit, ut eum propelleret. Quo viſo, magiſter equitum Caroli ſe hoſti obiecit: ſuoſque ita confirmavit, ut tres horas dubio Marte ſit pugnatum. Tandem cum acrius Conradi acies inſtaret, & ſe globo facto in eum inferret, equo excuſſus & exanimatus eſt. Iam fama percrebuerat, occiſum eſſe Carolum: unde eius copię prælio exceſſerunt, & per-

& perturbatis ordinibus protinus ſeſe fugæ mandarunt. Tum non ij ſolùm qui pugnaverant, ſed & qui hactenus in ſubſidijs ſubſliterant Conradi milites, nullo ordine procurrentes, quaſi certam jam victoriam nacti, vagi, tum eos qui terga verterant inſequendo, tum prædam agendo, huc atq; illuc feruntur. Hæc ſpeculanti in colle Alardo, accidere viſa eſt facultas bene rei gerendæ. Itaque ſigno ab eo dato, Carolus ſubitò ſe ex valle proripiens, incitato curſu repentinus in hoſtes palantes, partim præda onuſtos, partim labore confectos, partim inermes irruit: iiſque hac re nova perterritis, pleriſque interfectis, nonnullis captis, paucis fuga elapſis, victor evaſit: & in perpetuum victoriæ monumentum, templo & monaſterio in campo eo loco ædificato, Victoriæ nomen tribuit, quod pòſt (teſte Leandro Alberto Bononienſi) terræ motu corruit. In captivos Carolus magnam rurſus crudelitatem exercuit. Nam alios ſtrangulavit, alios trucidavit, alios perpetuo carceri mancipavit. Henricus princeps Senatus, cùm Rietam in monachorum collegium confugiſſet, ab abbate Pontifici eſt traditus: qui eum, & Gerardum comitem Piſanum, Romæ captum, vinctos ad Carolum duci curavit.

Caroli victoria.

Victoria.

Immanitas.

Conradus & Fridericus ut ætate pares, ſic fortunæ acerbitate inter ſe ſimiles, agaſonum veſtimento tecti, poſtquam triduum Galvano Lancea, Giloitto ejus filio, & quodam miniſtro comitibus, ignari locorum & itinerum, ſylvas devias errabundi pervagati eſſent: ſiniſtro fato in ſylvam Aſturanã Romanæ ditionis, ad littus maritimum

Conradi fuga.

Digitized by Google

pervenerunt. Conſpecto ibi piſcatore cum lintre, eum magna promiſſa mercede rogarunt, ut ſe inde ad fines Senenſium vel Piſanorum navicula deferret. His operam ſuam piſcator locavit. Verùm panis indigentes, cum nullam ſecum pecuniam haberent, piſcatori aureum annulum dederunt: ut eo pro certa pecunia pignori oppoſito, victum neceſſarium Aſturæ emeret. Inde ad Conradum, cæteroſq; comites reverſus, iiſque navicula receptis, quò propoſuerant, navigare contendit. At cum Aſturæ piſcator de annuli æſtimatione quærens, ſciſcitantibus ſibi ab adoleſcentibus liberali facie, ſed vili ſordidoque veſtitu, operam ſuam conducentibus, datum indicaſſet: & de annulo hoc oppignorato Joannes, ex patricia Frangepanum familia ortus, ejus oppidi dominus accepiſſet, ac fortè in his Conradum eſſe, quem tanta cura & diligentia Carolus Rex conquiri juſſerat, ſuſpicatus eſſet: confeſtim triremem parari, & ſcapham piſcatoriam ſubſequi jubet: qua miſeri adoleſcentes excepti, Aſturam ſunt adducti. Hac fama ad Carolum perlata, ne tantam prædam è manibus dimitteret, Aſtura milite ſuo terra marique obſeſſa & circundata, votique ſui compos factus, Conrado comitibuſq; ejus inde captivis abductis, Ginazzani ut magiſtro equitum ſuo, qui in prælio occubuerat, parentaret, Galvanum Lanciam, ejuſq; filium Giloittū capite truncari juſſit. Conradum & Fridericū Neapolim duxit, & in carcerem conjecit: in quo annum aſſervātur, donec quid de iis fieri placeret, decernatur.

Aſtura.

Conradus captus.

Sævitia Gallica.

Interea in eos, qui Carolo in regno rebellarant, vehe-

vehementer eſt ſævitum. Averſa in Campania, funditùs deleta. In Apulia & Lucania civitatum, oppidorum, caſtellorum, pagorum, hominum, qui contra Carolum in armis fuerant, vaſtationibus, direptionibus, cædibus, ſanguine omnia redundabant. Cornetum Apuliæ eſt caſtellum: cujus incolæ, cum eos, qui Caroli nomine Apuliam circumcurſabant, ut eos, qui defecerant, ſubigerent & mulctarent, à ſe quoque pœnam repetituros intellexiſſent; eorum Baronum, quibus autoribus Conradi partes ſecuti erant, ope implorata, ut caſtellum ab illorum vi & injuria defenderent: ubi hi ſubſidio venerant, & quæ ad præſidium defenſionemq; caſtelli neceſſaria erant, compararant, ſubitò Cornetani armata, ut antè inter ſe convenerant, hos cœnantes nec opinantes opprimunt: & ex iis centum & ſex, paucis fuga elapſis, comprehendunt: vinctosq; Caroli miniſtris tradunt, ut eorum in ſe iram mitigarent. Quorum centum & tribus, gula laqueo fracta eſt; reliqui apud Amelphitanos, de rupe ſunt præcipitati.

Sed ut ad principes captivos oratio mea revertatur, Carolum, quid de his ſtatuendum placeret, tum præcipuarum regni civitatum adminiſtratoribus & ſyndicis convocatis, ad eos retuliſſe: tum Pontificem, alioſque principes conſuluiſſe reperio. Illi, quos ſibi in conſilium ex civitatibus ſui imperij & ditionis adhibuerat, ad voluntatem Caroli ſententiam ſuam dixiſſe referuntur. *Atrox judicium in Conrad.*

Pontifex Carolo, quod ſibi videretur, his verbis ſignificaſſe traditur: *Vita Conradini, mors Caroli: mors Conradini, vita Caroli.* *Papæ verbis.*

Otto-

Bohemus crudelis. Ottocarus quoque Rex Bohemiæ, ſuæ utilitatis gratia, ne Auſtriam Friderico reſtituere cogeretur (quam, quòd Margaretam Friderici Auſtrii, qui nullam poſt ſe prolem reliquerat, ſororem in matrimonio haberet, poſt mortem Hermanni hujus patris occuparat) *de medio principes illos adoleſcentes tollendos eſſe*, ſuaſiſſe dicitur.

Cæterùm cum plerique procerum & nobilium Gallorum, qui animum ab aſſentatione vacuum habebant, tum inprimis *Robertus Flandrus*, gener Caroli, alti atque generoſi vir animi, non modò nobiliſſimos hos, & optimæ indolis adoleſcentes morte plectendos non eſſe, verumetiam impunè dimittendos, & affinitate conjungendos, ac Conrado Caroli filiam, Friderico neptem ex ſorore nuptum dandas ſtatuebat. *Flander clemens.* Sed atrocior ſententia vicit meliorem. Nam cùm Robertus in Flandriam rediiſſet, adoleſcentes illi capitali ſententia ſunt condemnati. Quod ubi ille accepit, ex Flandria Neapolim, quàm maximis itineribus, ut pro ijs apud Carolum intercederet, contendit. Sed antequam eò pervenit, IV. Calend. Decemb. anno Salutis MCCLXVIII. captivis, *Conrado* Hieroſolymæ & Siciliæ rege, Sueviæ duce; *Friderico*, Auſtriæ & Stiriæ duce; Gerardo, comite Piſano; Hurnaſemo, Suevo, equite aurato; Henrico Caſtulonenſi, unà cum quatuor regni Baronibus, in forum quà id purpura ſerici villoſi ſtratum erat, productis, Robertus Barenſis, primicerius ſcribarum Caroli, conſcenſo ſuggeſto ad id extructo, ſententia de ſcripto recitata, omnes morti adjudicavit: præter unum Henricum Caſtulonenſem, *Conrad. & ſocij damnati capitis.*

quem

quem in perpetua vincula damnavit. Neci autem idcirco addictus non eſt, quòd Abbati, qui eum (ut ſuprà notavi) Pontifici prodiderat, fidem ille dediſſet, extremum de eo ſupplicium ſumptum non iri.

Crimina quorum nomine capitis condemnabantur, hæc commemorabantur: *quòd pacem Ecclesiæ turbaſſent, quòd falsò ſibi nomen regium ſumpſiſſent, quòd vi regnum invaſiſſent quòd Regem in diſcrimen mortis adduxiſſent.* *Falſa crimina.*

Memoriæ eſt proditum, hac ſententia promulgata, *Conradum* linguâ Latinâ in hunc notarium ita invectum eſſe: *Tune, impure leno, ſcelerate furcifer, auſus es morti condemnare filium Regis? an neſcis, pari in parem imperium juriſdictionemq́, non eſſe?* Deinde negavit, unquam ſe de injuria Eccleſiæ inferenda cogitaſſe: id ſibi propoſitum fuiſſe, ut regnum paternum atque avitum, optimo ſibi jure debitum, repeteret: quo per nefas excluſus eſſet. Cæterùm ſe ſperare, propinquos maternæ proſapiæ, *Bojorum duces & Palatinos Rheni*, reliquosq; Germaniæ principes, hanc mortem ſuam non inultam dimiſſuros. Tum vindice ſceleris Deo invocato, ad Chriſtum judicem provocat. Poſtremò detracta de manu altera Chirotheca, & in populum abjecta, ceu tranſlatæ poſſeſſionis jurisque ſui ſigno, Petro Tarraconenſium regi (ut Germanorum Annales tradunt) Conſtantiæ Manfredi filiæ, patruelis ſuæ marito illam legat: eamque chirothecam à quodam equite aurato exceptam; & ad Petrum Tarraconenſem allatam referunt. Germani quoque ſcriptores literis prodide- *Conradus ſe defendit animoſè.*

diderunt, Conradum iam moriturum, annulum ſuum ſignatorium Henrico Baroni Waldpurgenſi (cujus poſteri hodie ſunt hæreditarii Imperij dapiferi) tradidiſſe, ut eum ſuo nomine, Petro Tarraconenſi daret. Quo facto, Petrum, hunc dapiferum aliqua Sueviæ, quæ ſub imperio Conradi fuerat, particula, & nobiliſſimæ illius gentis inſignibus donaſſe.

VValdpurg. truchſeſſij.

His à Conrado dictis actiſque, Friderico Auſtrio primò caput amputatur. Id ſublatum *Conradus* exoſculatus, inſontis adoleſcentis & amici, quem ex complexu chariſſimæ matris ſuæ abſtractum, ad indignam hanc necem & tetrum ſupplicium abduxerit, caſum lachrymans deplorat. Mox in genua procumbens, à Deo porrectis in cœlum manibus, peccatorum ſuorum veniam ardenter precatus, magno fortique animo cervicem immotam carniſici præbens, capite truncatur.

Periit. A. C. 1268.

O gravem atque miſeram, *Conrade*, fortunam tuam! te nec adoleſcentiā tuam, nec nobilitatem, nec exempla cæterorum id ætatis principum, in captivis ſervandis, à tam indigna nece vindicare potuiſſe? te in bello captum, hoc ætatis flore, hac amplitudine, hac generis excellentia; cum patrem, cum avum, cum proavum, cum abavum, Cæſares & Imperatores haberes; non ſecus ac ſceleratum quendam infimæ fæcis maleficum, acerbum capitis ſupplicium ſubiiſſe:

Eodē necis genere Gerardus, Piſanus & Hurnaſemus Suevus, ſunt affecti. Qui verò ſimul ex carcere in forum producti erant, quatuor Barones regni, furca figuntur. O horridum ſpectaculum! ad quod

Horrenda

ad quod licet maxima hominum multitudo conſluxerat, nemo tamen tam durus & ferreus, nemo tam inhumanus fuit, qui non, præſertim duorum adoleſcentum principum ætate, nobilitate, calamitate, commoveretur, qui non lachrymas profunderet: præter immaniſſimum illum tyrannum, qui ea, quæ tanta ſævitia peragebantur, truculentis oculis ex turri ſpectabat. Ne tamen iſte nullum tantæ nobilitati honorem exhibuiſſe videretur, & ex crudelitate voluptatem caperet: alium carnificem ſubornavit, qui huic rei capitalis executori, qui generoſum illum & regium ſanguinem effuderat, caput præcidit. Interea ut ejus crudelitas ulterius progrederetur, corpora capite truncata, quæ cruenta nemo ſine gemitu & lachrymis intueri potuit, vetuit, ne quiſquam antè tolleret, néve ſepeliret, quàm ipſe mandaſſet, *Conrado* hoc eſt poſitum Epitaphium: *ſævitia belli*

Aſturis Ungue Leo pullum rapuit Aquilinum: *(vel, rapiens.)*
Hic deplumavit, acephalonq; dedit.

Digni ſanè verſiculi tam barbaro & immani facinore.

Tam triſtis vitæ exitus fuit innocentium principum, ſummo loco natorum: quorum *Fridericus Auſtrius*, nobiliſſimæ matri ſuæ, Babenbergenſis proſapiæ, ex Carolo Magno oriundæ, unicus filius, & hæres maſculus ducatus Auſtriæ extitit. *Conradus* autem præſtantiſſimæ illius & nobilitate & virtute, Suevicæ gentis ultimus fuit: quæ origine (ut & hic Pandolphus Colonucius teſtatur) à Francis regibus, Clodoveo & Carolo Magno *Nobilitas Conradi & Frid.*

traxit.

traxit: ex qua multi & Imperatores & Reges præclari prodierunt. Ab iiſdem etiam maternum Conradi genus, Bojariæ ducum familia deſcendit: quæ ipſa quoque inſignes Cæſares tulit. Ex eadem & pater tuus, *dux Chriſtophore*, omnesq; agnati tui, ejuſdem cognominis principes, illuſtrem ſuam ſtirpem deducunt.

Rem ● geſta eſt, ſimplici narratione in medium poſui: quæ tantum habet gravitatis, tantum indignitatis, ut nullius etiam eloquentiſſimi, nedum mea, quæ nulla eſt, dicendi vis, ſatis eam explicare poſſe videatur. Verùm ut ego hunc miſerabilem Principum adoleſcentum caſum, ſine inteſtino animi motu commemorare non potui: ſic vos pari ſenſu doloris affici, vultus lachrymæq; veſtræ declarant. Et quidem non ſecus vobis atq; mihi, ante oculos verſari ſentio, & calamitatis indignitatem, & facinoris atrocitatem. Nam quid acerbius, quid calamitoſius, quàm adoleſcentes regia familia ortos, Auguſtorum ſanguine procreatos, magni nominis, eximiæ potentiæ, multarum ditionum Principes, à vi Martis ad crudele ſupplicium, ad funeſtum lictoris gladium eſſe ſervatos? Quid indignius, quid luctuoſius, quid horribilius, quàm in eo ipſo *Conrado*, tam ignominioſa nece perempto, illorum gentem nomenque interiiſſe? qui ante patriæ utiles & ſalutares fuerunt; quàm ad faſtigium imperij pervenerunt: & poſteaquam rerum ſummam obtinuerunt, imperium propagarunt, rempublicam amplificarunt: & pro communi utilitate ac ſalute, res maximas pace belloq; geſſerunt. Ut enim de alijs taceam,

ceam, utriuſq; profectò, *Friderici I. & II.* cum omni laude cumulatorum, tum bello clariſſimorum Imperatorum memoria, pectus meum effodit: cum nobiliſſimam eorum familiam, ad unum Conradum redactam, ejus ſupplicio exciſam cogito. Hos enim commemorabili virtute, in priſtina imperij majeſtate aſſerenda laboraſſe, illi etiam ipſi ſcriptis ſuis conſignarunt, qui alioquin Germanis principibus ſunt iniquiores.

Ecquæ verò hæc eſt inhumanitas? ecquæ crudelitas? ecquæ immanitas? nobiliſſimos principes adoleſcentes, quorum alter ad regna ſua hæreditaria acquirenda, ad juſta arma deſcenderat; alter amicitiæ cauſa ſe illi conjunxerat, adverſa belli fortuna, in poteſtatem ſuam delatos, carnifici dedere? ut quod in maleficij reos conſtitutum eſt ſupplicium, id ille in maximo hominum conventu, in hos exprómeret. Sæpè facinoroſis, quòd mortem commeruerant, vel ob ætatem, vel ob nobilitatem, extremum ſupplicium remiſſum eſt. Non rarò etiam, in quos verè juſtaque de cauſa capitis pœna ſtatui potuiſſet, eorum maleficia hi, qui necis in eos poteſtatem habuerunt, amicis deprecantibus condonarunt. Jam humanus, & quaſi jure gentium uſitatus mos eſt, ob rerum humanarum imbecillitatem, & fortunę varietatem, captorum in bello, cujuſcunque hi ſint loci, conditionis & ætatis, vitæ parcere, non morte mulctare. Hæc licet ſæpenumerò ſingula multis, vel ad levationem, vel ad remiſſionem pœnæ profuerint; tamen omnia ſimul, nihil opis *Conrado & Friderico* apud Carolum attulerunt, quin ad ſuppli-

cium progredi neceſſe haberent. Tantus iſtius animum occupavit furor, tanta amentia. Quòd ſi aliquis in eo humanitatis ſenſus extitiſſet, non ita in victoria inſolens, ſuperbus, effrenatus. & in captivos crudelis fuiſſet: ſed ad clementiam aliquam, inconſtantiæ rerum humanarum, & fortuitorum caſuum, ſimiliumq; periculorum, in quæ ipſe ſui é liberi aliquando incidere poſſent, cogitatio eum traduxiſſet. An quiſquam eſt tam ignavus qui ignoret, quàm ſit varia vitæ, commutabiliſq; ratio, quàm vaga atque volubilis fortuna? quæ quos ad cœlum uſque extulerit, eoſdem ad imum rurſus deprimat. Ac ſi non humanæ conditionis, lubricæ fortunæ, ancipitium variorumq; caſuum, eum conſideratio moviſſet: at ætatis, adoleſcentiæque aliquam miſericordiam cepiſſet. Si non ætatis, at Principum & vetuſtate & claritate generis, ſe non inferiorum, rationem habuiſſet: cum præſertim ex iis prognati fuerint, qui regnum Francorum in Gallia excitarunt, qui in eandem Chriſtianam religionem invexerunt, qui idem regnum etiam imperii dignitate decorarunt: quorum deniq; majoribus, ſummum ſemper honorem & reverentiam, hujus parentes, Reges Galliæ detulerunt. Si deniq; nec nobilitati ſanguinis Imperatorii conceſſiſſet, at interceſſioni Roberti generi ſui, cæterorumq; procerum Francorum: quorum cùm aliàs ſummum in ſe ſtudium, eximiam voluntatem, egregiam fidem perſpexerat: tum ad hanc victoriam præclara opera uſus fuerat, locum dediſſet. Nunc verò çùm nec humanæ conditionis cogitatio,

nec

nec recepta ab aliis principibus de bello captis conſuetudo, nec ætatis ratio, nec nobilitatis ſplendor, iſtum à crudelitate ad aliquam partem humanitatis revocare potuerunt: hominem ne eum, an feram belluam, in humana ſpecie atque figura hominis ſtatuemus? Atque eò magis hominem eum exuiſſe, atque immanitatem beluæ induiſſe dicemus, quòd nec Saracenorum clementiæ, quam ipſemet expertus erat, recordatio eum à ſupplicio inhibebat. Cùm enim *Ludovicus* rex Francorum, non (ut eſt apud Blondum) Philippus, cum fratribus ſuis Roberto Atrebatiũ comite, & hoc Carolo, in Ægyptum expeditionem feciſſet: eosq; anno pòſt Alphonſus frater, Pictonũ dux, retardatus obitu ſoceri ſui Raimũdi Tholoſatis comitis, ſubſecutus eſſet: atq; primò Robertus in pugna contra Ægyptios, ut alij tradunt, cæſus; ut Blondus, ad Feramniam captus, reliqui autem fratres poſtea in reditu ad Damiatam, à Saracenis capti eſſent; ab ijſdem data pecunia dimiſſi, liberiq; Ptolemaidem ſunt perducti. Quid agam? quid dicam? laudemne Saracenos, religione Machometanos? an incuſem regem hunc Carolum, nomine Chriſtianum? Quo animo Saracenorum humanitatem, cum hujus ab illis ipſis conſervati inhumanitate componam? Indignum video vobis videri omnibus, iſtum pietate & miſericordia à Saracenis victum: indignius Saracenorum victorum in ſe victum clemẽtiam, hunc victorem crudelitate in principes Chriſtianos victos compenſaſſe. Sed majori & dolore, & in iſtum odio concitabimini, ſi quantũ inter illos, & hunc inter-

Collatio clementiæ Saracenorum & ſævitiæ Caroli.

Digitized by Google

ceſſit, vel obiter perpenderitis. Illi hunc, fratresq; ſuos, publicos religionis ſuæ hoſtes, vi devictos captosq;, honorificè habuerunt: hic noſtros principes, civitatis Chriſtianæ conſortes, religionisq; ſocietate ſecum junctos, dolo inſidijsq; in poteſtatem ſuam redactos, non ſecus ac in manifeſto ſcelere comprehenſos, in fœdum ſqualidumque carcerem contruſit. Illi hunc, fratresq; ſuos, nullo pro iis deprecante, à ſe liberatos, ut ab omni injuria tuti eſſent, extra fines imperij ſui ſalvos deduxerunt: hic noſtros Principes, ex reditu in patriam retractos, intercedente pro eorum ſalute genero, proceribusq; ſuis, ad necem ſuppliciumq; rapuit. Itàne verò, *Carole*, cùm vobis à Saracenis victoribus, contra quos arma tuliſtis, & vita conceſſa, & libertas reddita fuit: à te captivis tuis, Chriſtianis principibus, mortem & cruciatum eſſe conſtitutum? Nunquam ne tibi Saracenorum manſuetudinis, nunquamne benignitatis in mentem venit? nunquamne Saracenorum clementia tibi ipſi in ſalute tua oſtenſa, in oculis atq; animo tuo verſata eſt? Sin eorum in te exempli meminiſti; téne id ad odium potius & immanitatem exagitabat, quàm ad charitatem & pietatem invitabat? Huccine tandem res recidit, ut illam in te Saracenorum lenitatem moderationemq;, tu adverſus captivos tuos, in tantam ſęvitiam atrocitatemque converteres? ut id apud te ſive iuris, ſive beneficii, principes Chriſtiani non obtinerent, quo ſua ſponte in te illi ſunt uſi. Et adhuc tamen propugnator religionis, patronus Eccleſiæ Chriſtianæ videri volebas: ut & is in eadem ſibi

ſummam

ſummam autoritatem & poteſtatem arrogabat *Pontifex*, qui ferocem iſtam naturam tuam, ad crudelitatem inflammabat: qui immerentes hos Principes, capite plectendos ſuadebat. Hoc ſcilicet erat officium ejus, qui ſe Chriſti vicarium venditabat, qui ſe religioni Chriſtianæ præeſſe jactabat, qui Clementis nomen uſurpabat. Chriſtus convictam adulterii fœminam, cui capitis pœna lege divina erat irrogata, ſentẽtia ſua non damnavit: hic verò tyrannum inſtigat, ut innocentiſſimos adoleſcentes Principes, bello captos ſupplicio afficiat. Sed quid ego Chriſti exemplum, Romanis pontificibus propono? quid ab his ejuſdem, Apoſtolorumq; imitationem requiro? quaſi verò illi Chriſti, Petrique veſtigiis inſiſtere cogitent: quaſi Chriſti nomine ad veram religionem tuendam, ad eccleſiam Chriſtianam provehendam, ad gloriam Dei cohoneſtandam utantur: & non potiùs ſplendidos illos titulos ad opum, ad potentiæ, ad tyrannidis ſuæ præſidium, amplificationem, propagationemque prætexant. Itaque ut in pleriſq; aliis, ſic in hoc quoque non ineptè fecerimus, ſi ſpecioſa illa nomina in contrariam partem interpretemur, & pro Clemente, inclementem: pro Chriſti vicario, Chriſto contrarium: pro præſide Eccleſiæ, hoſtem populi Chriſtiani accipiamus.

Clemens Papa non clemens, ſed ſævus. Bellè vicarius Chriſti.

Pontificis autem conſilium, non parum apud truculentum Caroli animum habuiſſe momenti, ut de Conrado ſupplicium ſumeret, non modò Germani Annalium ſcriptores notarunt, cùm in eum modum (ut ſuprà oſtẽdi) à Pontifice, Carolo

reſponſum narrant: ſed & juris noſtri interpretes, ut Angelus * Peruſinus, ut Jaſon Maynus * teſtatum reliquerunt. Inſpexerunt autem, quod ab aliquibus traditum eſt, Pontificem Carolo, quid de Conrado fieri placeret, à ſe conſilium petenti, reſpondiſſe, *ſe non intercedere, quò minus Conradus ſupplicio mulctetur.* Fieri autem potuit, ut aut hæc verba, ſententiam illam à me ſuprà recitatam præceſſerint: aut aliud publicè, aliud privatim, ad Carolum reſcripſerit.

** l Generaliter. C. eod. de ſec. nupt.*
** l Si duo patroni. §. Marcellus. ff. de jurejurand.*

Papa cur ſanguinolentiſſit.

At quæ erat cauſa, & Pontifici, ut contra Chriſti inſtitutum, contra Eccleſiaſtici miniſtri officium, tam atrox & crudele conſilium [illegible]aret? & Carolo, ut contra ſanctorum Patrum doctrinam, qui in vindicando crudelitatē culpant; contra ſapientiſſimorum hominum præcepta, qui victoriam moderandam monent; contra communem plerorumq; populorum, imperatorum, regum, principum, militumq; morem, qui vitam in bello captis ſervare ſolent; contra Saracenorū in ſe ipſum poſitum exemplum, qui à ſe captum certis quibuſdam pactionibus libertati reddiderunt, tanta atrocitate in ſummę nobilitatis Principes adoleſcentes animadverteret? nulla niſi ut libidinis & avaritiæ ſuæ vulnera, crudelitatis remediis ſanarent. Cùm enim Pontifices, per injuriā regna illa hæreditaria *Conrado* adempta, Carolo conceſſiſſent, & cùm hic eadem per vim occupaſſet: ea ſe tenere & conſervare non poſſe exiſtimabant, niſi veros eorum hæredes ſuſtuliſſent. Huc accedebat, quòd Clemens hic eorum Imperatorum ſobolem, qui cupiditati & avaritiæ Pontificiæ obſtiterāt, ſummo odio perſequeretur,

retur. Ita his innocentum ſanguis, & voluptati ad libidinem, & quæſtui ad avaritiam fuit.

Pandolphus Colonucius, ex ſententia Joannis Lignanenſis, nonnullam quoque culpam necis ſupplicijque *Conradi*, in Iuriſconſultis, aut Sophiſtis potius illorum temporum ponit. Cum enim pars quædam epiſtolæ primæ D. Auguſtini ad Bonifacium, in Decretum à compilatore Gratiano relata ſit, * quod in extremis ſcriptum erat his verbis: *Sicut bellanti & reſiſtenti, violentia redditur: ita victoriis capto, miſericordia jam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur.* Illi in interpretatione poſtremæ hujus ſententiæ, fortaſſe ut Carolo aſſentarentur (ut ſæpe fieri ſolet) fœdè aberrarunt. Nam particulam, *maximè*, Hugolinus Decreti interpres, pro ſolùm aut duntaxat, accepit: quaſi tum demum victori in victos atque captos miſericordia ſit utendum, cùm periculum non fuerit, pacem ab eis perturbatum iri. *Sophiſma IC.* ** 23. quæſt. 1. can. 3.*

Sed non modò hanc interpretationem à Grammaticorum regulis, à linguæ Latinæ uſu, ab ipſius particulę propria vi, à mente D. *Auguſtini*, alienam eſſe, nemo eſt à literis plus paulùm inſtitutus, quin intelligat: ſed & in diſciplina Chriſtiana contineri, ut bella non ſine benevolentia gerantur, ut nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, & implacabilis iracundia, præſertim à victore abſit, ut alios veteres rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores mittam, ex eodem illo Auguſtino, * abundè perſpici poteſt. *Bella quomodo gerenda.* ** 24. quæſt. 1. can. 2. 4. 6.*

At verò *Pontifici, Caroloq;*, multò fuit prius atq; antiquius, libidini avaritiæque indulgere, quàm

Digitized by Google

doctrinam Chriſtianam colere, præceptiones ſapientum obſervare, exempla clariſſimorum Imperatorum & regum imitari. O effrenatam animi impotentiam! ô incredibilem ſtulticiam! ô perdita conſilia! Tantæne veſtræ cupiditates erant, ut eas principum adoleſcentum ſanguine exſaturandas exiſtimaretis? Errabatis, & vehementer errabatis: cum vos, iis perditis, tyrannidem dominatumque veſtrum ſtabilivisse, confirmaſſeq; putabatis. Etenim quanquam hæres ille regni erat ſublatus, & nomen Suevicæ familiæ interierat; tamen num propterea vos Dei judicium evaſuros, & ejus poteſtatem, ſub quam omnia conſilia humana, & acta cadunt, ſubterfugituros putaſtis?

Sed quorſum me aliò curſum meum dirigentem, æſtus animi in hanc querimoniam de iſtorum crudelitate, & de innocentum principum indigniſſima morte abripuit: Videtis dolorem me non deficere, etiamſi cæteris, quæ ad dicendum requiruntur ſubſidijs, & à natura & ab arte deſtituar. Quòd ſi verò cui & vis vocis, & verborum copia, & ſententiarum gravitas, dicendi deniq; facultas, digna hac re, digna dolore ſuppetet: eum ego credo non modò barbaros, efferos, & in extremis atq; ultimis gentibus poſitos homines, verùm ipſas etiam beſtias, & omnia muta atque inanima eſſe commoturum. Eò uſque animi dolore & perturbatione provectus ſum, vix ut inde receptui canere, & animum ad inſtitutam narrationem revocare poſſim.

Pandolphus Colonucius autor eſt, id ætatis ſcriptores hoc inhumanum & crudele *Caroli* facinus de-

nus deteſtatos eſſe: non ſolùm quòd nihil tàm deceat magnos principes, atque partâ victoriâ clementer, manſuetè & moderatè in eos quos devicerunt, uti: verum etiam quòd cùm multa illuſtria exempla conſervatorum principum captivorum, eo ſeculo haberet: tum quod quales in ſimili caſu erga ſe fratresque ſuos Saraceni fuiſſent, talis ipſe quoq; erga alios eſſe debuiſſet. Quòd igitur Saracenorum in ſe fratresq; ſuos facto, ipſe ad ſimilem humanitatem erga noſtros hoſce principes adoleſcentes excitatus non fuerit, neque ab ijs beneficentiæ ſibi præſtitæ exemplum petierit: hoc ei acerba quadam epiſtola, *Petrus* rex Arragoniæ exprobrans, ut Saracenis peiorem, & Nerone immaniorem inſectatur, Nimirum avaritia & cupiditate de mentis ſtatu præceps raptus, magis ad ſe inſtitutumq; ſuum, Cyclopum, Leſtrygonum, Phalaridis, Dionyſiorum, reliquorumque nefariorum, tyrannorum, quibus ille in ditione & dominatu longo pòſt intervallo ſucceſſit, ſævitiam & crudelitatem, quam Saracenorum manſuetudinem & lenitatem pertinere putavit. Ipſe quoque gener Caroli, *Robertus* Flandrus, poſt ſumptum de principibus adoleſcentibus ſupplicium, Neapolim ad ſocerum reverſus, ita indignitate, atrocitateq; huius facinoris exarſiſſe traditur, ut ſcribam illum, qui capitalem ſententiam publicarat, ſua manu confoderit.

Carolus audit Phalaris & Nero.

Hac tanta crudelitate in Principes adoleſcentes perpetrata, quin reliquias belli atrociter perſecuturus eſſet, facilè erat conijcere. Nam gnaviter crudelis eſſe voluit. Cum enim dura obſidione

Nuceriam Saracenorum preſſiſſet, adactis ad deditionem Saracenis, viduam & liberos Manfredi, qui Nuceriam cōfugerant, inde abductos Neapoli carceri incluſit. Legatus quoq; Caroli, Guido Monſortius, Sicilia quam totam ferè ſub imperium Conradi ſubiunctam, ſupra diximus, in poteſtatem ſuam redacta, expugnataq; Centuripe Cōradum Antiochiæ principem, cæterosq; proceres ibi deprehenſos, oculis privatos ſuſpendit.

Nemeſis divina in Gallos.

Ecce autem juſtum, & in Carolum, aliosq; qui oleum camino addiderunt, & importunam Caroli naturam ad Conradi necem incitarunt, ut in Pontificem, Bohemiæq; regem, Dei judicium. Siculis à Caroli fide, ob Gallorum regiorum præfectorum & miniſtrorum in ſe, uxores, liberos, fortunasq; ſuas avaritiam, libidinem & tyrannidē diſcedentibus; factaq; cōſpiratione, Ioannis Prochytæ opera, omnes ferè Gallos, nullo nec ordinis, nec ſexus, nec ætatis ratione habita, uno eodemq; tempore in tota Sicilia, tertio cal. April. anno domini MCCLXXXII. ſigno æreæ campanæ ad veſpertinas preces audito, tanto furore contrucidantibus, ut prægnantibus fœminis exenteratis, exectos ex utero fœtus ſaxis illiſerint (ex quo *Siculus veſper* factus eſt, jam tritum ſermone proverbium:)

Veſpera Siciliana.

Regemq; ſibi *Petrum* Tarraconenſem, Conſtantiæ uxoris ſuæ nomine, quæ Manfredi filia erat poſcentibus. Ille ipſe *Petrus*, quem Conradus hæredem ſibi nuncuparat, à Siculis ad regnum evocatus, Siciliam in ſuam fidem ac poteſtatem accepit: & Panormi Rex, more maiorum, maximo omnium applauſu eſt coronatus.

Petrus Rex Siciliæ fit.

Etſi

Etſi verò Carolus, ad recuperandam Siciliam, omnib. virib. atq; nervis contendebat; tamen cõmutata fortuna, nihil omnino perficiebat. Nam & ab obſidione Meſſanæ, Petrus eius exercitum amovit: & aliquoties eiuſdem claſſem, multis magnisq; detrimentis affectam, ex Sicilia profligavit: Melitãq; inſulã, quæ ſub ditione Caroli erat, claſſe eius ſuperata, ſubegit. Quinetiã cum Petri claſſis, Rogerio Laurea duce, omni Sicilia tuta pacataq; reddita, regni Neapolitani littora circumcurſaret & ad ipſam accederet Neapolim, portuſq; ei proximos penetraret, atque omnia infeſtaret: Carolus Claudus, unicus Caroli regis filius, princeps (ut Pandolph. Colonucius tradit) Salernitanus; ut Fazellus, Tarentinus, patre Carolo in claſſe Maſſiliæ adornanda occupato, cum triremibus, quas in regno inſtructas habebat, hoſtilem claſſem adortus, ab ea victus & captus, Meſſanamq; in cuſtodiã ductus eſt. Itaq; Siculis & nece Conradi, & ſævitia Pontificis, & odio Caroli inflammatis, eiuſdem filium Carolum, reliquis captivis partim ferro, partim igne, ijs locis quibus aſſervabantur iniecto, de medio ſublatis, capitis arceſſentibus licet ad exemplum judicij à Carolo in Conradum conſtituti, ad idem genus mortis condemnatus eſſet, quo Conradus erat necatus: tamen pietate coniugis Petri Conſtantiæ Reginæ, ſupplicio eſt ereptus, & Tarraconẽ ad Petrum maritũ miſſus. Quod quẽadmodum factum ſit, exponit pluribus Pãdolph. Colonucius, lib. V. hiſtor. Neapolit. Quocirca idẽ præclare ſcribit, hanc clementiam non tantum laudis præſtantiſſimæ feminæ attuliſſe, quantũ in famiæ

Carolum eijcit.

Ius talionis non reddit.

famiæ Carolo regi irrogarit: qui maluerit cupiditati ſuæ obtemperando, ſempiternam ſibi crudelitatis notam & maculam inurere, quàm modum poteſtati libidinique ſuæ ſtatuendo, immortalem ex virtute gloriam conſequi.

Et ſanè, ſi hac in re reginam Conſtantiam cum rege Carolo contulerimus, eo & laudabilior nobis hæc illius animi moderatio videbitur; quod cùm fœmina eſſet (quæ naturà tum inimicis hoſtibusque ſuis ſunt iracũdiores, tum in ulciſcendis injuriis acerbiores, tum in rebus proſperis atq; ad ſuam voluntatem fluentibus inſolentiores) cùm conſobrini ſui à Carolo necati mortem, etiam atque etiam ut id faceret, Siculis inſtantibus, vindicandi egregiam facultatem haberet; cùm deniq; patris exemplo in filium, communi Siculorum conſenſu condemnatum animadvertere poſſet: tamen ob pietatis ſtudium, cupiditatem ſuam refrenârit, iracundiam cohibuerit, victoriam temperârit, capitisque ſupplicium, vehementer à Siculis expetitum, Caroli filio remiſerit. Contraq; eo deteſtabilius huius patris facinus apparebit: quod conſtituendo ſupplicium, & necando principes adoleſcentes quorum mortem & ſanguinem plerique ſuorum procerum deprecabantur, ea virtute ſe à fœmina ſuperari cõmiſerit, qua vel maximè mulieribus viros, reliquis viris Reges præſtare oportebat. Ita n. hæc honeſtatis ſpecies, cuius eſt, animi perturbationi nõ ſuccũbere, à dignitate ſapientiæ nõ diſcedere in reb. ſecũdis nõ efferri, iracũdię cupiditatiq; morẽ non gerere, virorũ propria eſt, ut apud Græcos, à viri appellatione nomẽ acceperit.

ἀνδρεία. ἀνδρότης.

Neque

Neque verò ipſe ſolùm *Petrus* nequicquam eum Siculosque non modò Carolo oppugnante, ſed & Romanis pontificibus, tum ante, tum poſt Nicolaum III. præcipuè Martino Honorioque IV. ſummo conatu perſequentibus, ac in numero impiorum proſcriptorumq; habentib. imò verò adverſus eum non ſecus atque publicum Eccleſiæ Chriſtianæ hoſtẽ (regno Tarraconẽſi, Carolo Valeſio, Philippi Francorũ Regis filio aſſignato) non exiguum hominũ Chriſtianæ profeſſionis numerũ ad arma, ab emiſſarijs ſuis cõcitatorũ, crucis inſigni notantibus: quoad vixit, Siciliam retinuit, & in Pontificum ludibrium, qui abrogato nomine regio etiam regnis eum exuere conobantur, duorum regnorum, Tarraconẽſis & Siciliæ pater, marisq; dominus appellari voluit: verùm etiam qui ex eo ſunt oriundi, ad hodiernum uſq; diem eam, continuata ſerie ſervant. Iidem ipſum etiam regnum Neapolitanum, omnib. Caroli poſteris ſe mutuò conficientibus, extinctis, jam obinent. Nã *Ferdinandus*, cognomento Catholicus, non Tarraconenſis tantum ſed totius quoq; citerioris Hiſpaniæ & Siciliæ & Neapolis rex inclytorum Imperatorum, *Caroli* V. & *Ferdinandi* avus maternus, Petri Regis ex Elonora (quam Fazellus Violantã nominat) Ioannis Caſtulonẽſis Regis uxore, pronepos fuit. Ac quidem Caroli proſapia, in Ioannã eius nominis ſecunda, deficiente; magnus ille Alphonſus, omniq; tam belli quam pacis laude celebris, regnum Neapolitanum, Pontificibus fruſtra ad eius poſſeſſionem alios vocantibus, occupavit. Etſi vero id familiæ eius, & *Carolus* VIII. & *Ludo-*

Paparum furor.

Petr. R. Arrag. & Sicil. & poſteri retinent regna.

Ferdinand. Catholicus

Alphonſus Rex.

vicus XII. Francorum Reges ademerunt: tamen eo tandem, omnino ieiectis Gallis, *Ferdinandus* eſt potitus, qui id in Auſtrios principes, poſteros ſuos tranſmiſit: ex quibus, noſtris temporibus *Philippus*, potentiſſimus Hiſpaniarum aliorumque populorum Rex, & multarum regionum atq; ditionum dominus, & id unà cum Siciliæ regno poſſidet. Sic quem finem quoq; Caroli familia, & quos ſucceſſores habuerit, intelligitis.

Nemeſis divina. At nec Pontifici, nec Bohemię Regi ad hoc facinus Carolum inſtigaſſe, impune fuit. Nam eodem menſe, quo miſerum illud & crudele ſupplicium Conradus & Fridericus pertulerunt, Clemens IV. periit: A quo decumas vini frugumque à Germanis, contra maiorum inſtituta, veteremque conſuetudinem, ſibi dari poſtulanti, Ioannes Teutonicus, præpoſitus Halberſtatenſis, unus ex primis Pontificalium decretorum interpretibus, ad communem Chriſtianorum conventum provocavit *Othocarus* autem, Rex Bohemiæ, quod cum Rudolpho Cæſare bellum ſibi ob Auſtriæ cauſam inferente, quia armis ei par non eſſet, pacem arbitrio *Ludovici*, Palatini Rheni (cuius ſuprà memini) factam, contra fidem datam reſcidiſſet: reparatiſque ingentibus copijs, cum Rudolpho propter flumen Marum, in Auſtria congreſſus eſſet: ab eodem in prælio illo interfectus, exitum vita factiſq; ſuis dignum habuit. Ita tandem aliquando Iuſtitia victrix obtinuit.

NICO-

NICOLAI CISNERI

DE

HENRICI VII. Luzenburgenſis.

ET

LUDOVICI BAVARI, Cæſarum geſtis & certaminibus cum Papis Romanis.

ARGUMENTUM

IN hac eruditiſſima diſſertatione, quam Autor Operibus Cyni Jureconſulti veteris, à ſe Francofurti Anno M.D.LXXVIII. *editis, præfixit, agitur primùm de Cyno, eiuſq; ſcriptis & æqualibus: tum de ſententia ab illo pro Imperatore contra Papam animosè dicta. Deinde hac occaſione diſſerit de Henrico Luzenburgico Cæſare, & Ludovico Bavaro Imperatore fortiſſimo: quanto ſtudio Maieſtatem Imperij contra molitiones Pontificum Romanenſium ſint tutati: & propterea varijs artibus ac modis violentis pariter & doloſis ab his, eorumque paraſitis, præcipuè Canoniſtis, oppugnati. Recenſet item, eo ſeculo à doctiſſimis quibuſque & optimis viris,*

Digitized by Google

viris, ac Jureconſultis præſtantiſſimis, Pontificiæ dominationi vel potius tyrannidi graviter eſſe contradictum; argumenta pro Papæ primatu jam tum ſufficienter & ſolidè reſutata: nec defuiſſe teſtes veritatis, & aſſertores Imperatoriæ Maieſtatis, qui Papas coercendos, & jus Pontificium è lacunis putidis petitum explodendum cenſuerint. Plurima denique lectu jucundiſſima pariter & utiliſſima Lector hîc inveniet, quæ cognoſſe juvabit.

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM,

Dn. VVILHELMUM

Landgrav. Haſſiæ, Comit. Cattorum Melibocorum, Diezenſium, Zigenheimenſium ac Niddenſium &c.

Colligenti mihi animo, & jam inde ab eo tempore, quo legiſlationem Iuſtinianeam, præſertim Pandectas, eius mandato collectas & compoſitas, *Lotharius* III. Imperator ex tenebris in lucem revocavit, ſcholiſque reddidit, Doctorum juris varietatem, & diverſa interpretandi genera, quibus hucusque uſi ſunt, memoria repetenti; quadringentorum annorum ſpatio diſtinctæ ætates quinque ad minimum occurrunt, quibus illi à ſuperiorum more deflectentes, aliam atq; aliam interpretãdi rationem inierunt. Quod ſi quis omnibus attributis, quæ in illorum interpretum comparatione ſpectanda ſunt, diligenter conſideratis, ad certos veluti ordines, ſingulos aggregare voluerit, non incommode *Cynum* in ter-

Doctorum Iuris ætates quinque.

Cynus in tertia.

tia claſſe collocaverit. Eſt enim in eorum numero, qui non ſolum ius Iuſtinianeum fuſius ſunt interpretati, atque illi, qui in ſecundo gradu conſtiterunt, & maius lumen deſiderantibus auditoribus, à Iuſtiniani præſcripto aliquantum in titulorum argumentis & legum capitibus exponendis reflectunt; cum primi id diligenter obſervarent: verùm etiam ætate priorum gloſſas explicarunt. Ac ſi omnes veluti gradus & ætates Doctorum juris, uſque ad hanc noſtram memoriam inter ſe contulerimus, hoc tertium interpretum genus, quaſi mediam quandam viam in docendo jure tenuiſſe deprehendemus. Siquidem & illorum ſuperiorum interpretationibus uberiores, & ætate minorum commentarijs preſſiores fuerunt. Sed cum ſatis ſuperq; in Commentario meo his de rebus diſſeruerim, quem ſecundo operum Franciſci Duareni Tomo præpoſui, ſupervacaneũ fuerit, eadem hîc pluribus perſequi. Itaq; propius ad Cynum accedam, in cujus opera præfari inſtitutum eſt.

Cyni genus. Natus autem eſt ex nobili Sinibaldorum familia a. Piſtoriæ: quam civitatem Florentini, anno à Chriſto nato M. CC. L. ſub ſuum imperium ſubjunxerunt; & etiamnum hodie Principi Florentiæ & Senarum ſubeſt. At cum acerrimo juris diſcendi ſtudio teneretur: cum alios juris profeſſores, tum *Dynum* Mugellanum ſtudioſè audivit. *Diſcipulus Dyni.* Cum enim Princeps eſſet illius ætatis Iuris interpretum, ei plurimum præ cæteris operæ Cynus dedit. Ac quidem primas Dyno inter coætaneos partes Matthæus Gribaldus b. hoc diſticho tribuit.

a. *Leonhard. Aretinus. Albertus Leander.*
b. *In catalog. interpretum Iuris civil.*

Primi ex antiquis Dyno debentur honores,
Interpres legum maximus Hercle fuit.

Sic eundem ſummum ac admirabilem Iuriſconſultum Veronenſes *a.* appellant: alterum verò Papinianum Cynus *b.* noſter vocat. Eundem etiam commendant Iohannes Villanus *c.* & Albertus Leander *d.* Lambertus Ramponius & Martinus Sylimannus *Cyni* quoq; Doctores fuerunt. Ac illius quidem patrocinium Cynus delegerat, cum ei antequam Doctoris titulo inſigniretur, ex collegij præſcripto L.ult. C.de uſufruct. pro more recepto diſputanda, & diſcutienda commiſſa eſſet: *Doctor juris fit.* qui ad quæſtionem illam difficilem ſibi à quodam eorundem collega propoſitam, uſufructu filiofamilias relicto, an pater eum perciperet, & utrius is morte finiretur, Cyni reſponſionem, qua ejus diſſolutionem declinabat, collaudavit. *e.* Hic verò Cynum cautè & callidè reſpondiſſe ſubjecit, quòd non modò de Hypotheſi iſtius legis ultimæ, ſed & ſententia ac interpretatione magna eſſet dubitatio, & inter juris interpretes diſſenſio.

His ætate par aut paulò grandior fuit *Iacobus Arena Parmenſis*, cujus opiniones ferè ſemper cum juris ſententia, & legum mente congruiſſe *Bartolus* teſtatur. *f.* Eundem ſæpè citat *Cynus*, ut ipſe Iacobus Dynum. Arenæ auditor fuit *Richardus Malumbra*, quem ſe præceptorem habuiſſe *Albericus Roſatus g.* narrat. Malum-

a. *Conſ. 34. num. 19. cauſ. crimin. Mantua. in Epito. Iuriſconſ.* b. *ad l. 1. num. 18. ad fi. C. de ſervis fugit.* c. *in annalibus quos de rebus Florentinis ſcripſit. lib. 8. c. 64.* d. *In Thuſcia.* e. *Cyn. ad l. ult. in fin. C. de uſufruct.* f. *Fichardus in Iuriſconſ.* g *In proœ. digeſt.*

bram ſuâ ætate jus docuiſſe Cynus *a.* ſcribit. Hunc ſummis laudibus extulerunt Petrus Anchoranus *b.* & Andreas *c.* Siculus, vulgo *Barbatia* dictus. Cyno quoque æquales fuerunt *Oldradus* Pontanus, Claudenſis, Raynerius Forojulienſis, Ioannes Andreas, qui Cynum ſibi amicum fuiſſe commemorat. Perperam autem hunc Mugello agri Florentini oppidi oriundum Cattelianus *d.* Cotta prodit Sicut enim plerique alij, qui Patriæ eius meminerunt: ita & Albertus Leander eum in Bononienſibus Iuriſconſultis numerat, ſed addit à S. Hieronymo.

Cyni æquales.

Fuit autem *Dyno Cynus* amore, Conſuetudine, ſtudijs, ſententijs, voluntate coniunctiſſimus. Neque tota modo vita ei conſociatus fuit: ſed & commune cũ eo ſepulchrum habere voluit. His acceſſit poſtea tertius *Florianus Sempetreius.* Nam hos tres ſub eodem tumulo, in porticu S. Dominici Bononiæ conditos eſſe idem Leander *d.* narrat. Sunt tamen qui diverſa illis ſepulchra aſſignent. Ac magnam inter Præceptorem & diſcipulum Dynum & Cynum non ſolum nominum & patriæ affinitatem, ſed & naturæ & ſtudiorum & morum ſimilitudinem fuiſſe, multis ex partibus perſpici poteſt. Hac enim in viris bonis firmiſſima amicitia coniugatur. Uterque cum ingenio præſtaret, veritatis amans in illa quæſtione, de poteſtate Civili & Eccleſiaſtica Iuris *Impe-*

Dynus & Cynus amicißi.

a. L. *Pen. C. de bon. mater. Conſ. 148. incip. ad prædicta col.* 3. b. *In repeti ad c. Raynald. extra de teſta.* c *In memoral.* d. *In deſcriptione Thuſciæ.*

ratorie

ratorij, & perſtudioſus, alienior ab ijs fuit, qui ſtabiliendæ potentiæ, amplificandarumque opum ſuarum cauſa, illi detrahebant. Uterque ius civile potiſſimum conſectatus, id excoluit, & commentarijs poſteritati relictis illuſtravit: quibus ferè in rebus ipſi convenerunt, licet propter diverſa auditorum progreſſu temporis ſtudia non eodem interpretandi genere ſint uſi. Cynus enim magis ſuorum temporum morem, quo plenior & uberior juris interpretatio, exili, conciſæ & planæ ante ponebatur, ſectatus, quàm præceptorem ſuum Dynum eſt imitatus. Is enim, licet in titulo de regul. jur. lib. 6. Decretalium explicando copioſus fuerit, ut & Bartolus *a.* notat tamen in jure civili exponendo brevis, concinnus & perſpicuus eſt. At *Cynus* non contentus ſimplici legum interpretatione & gloſſarum diſquiſitione, etiam diſcrepantes ſuperiorum ſententias & opiniones excuſſit, & omnis generis implicatis reconditæ materiæ quæſtionibus evoluendis elaboravit. Itaque non obſcurè præ ſe tulit, ſe illis ſcribere, qui jam nonnullos in jure progreſſus feciſſent. Unde qui Cyni ætati ſuccreverunt, & poſteriores, qui fœcundis, & uberibus commentarijs ſunt delectati, pluris Cynum, quàm Dynum fecerunt. Quod autem Cynus ſe magis applicarit ad eam juris interpretandi rationem, quam nuper coætanei ſui amplexi fuerant, in proœmio ſuorum commentariorum in codicem oſtendit, ubi quod omnia nova placeant, præſertim quæ utilitatem in ſe contineant, ſibi quoque viſum ait, ſecundum re-

Iuris Imperatorii ſtudioſi.

a. *In l. edita c. de edendo.*

tentionem modum, breves & utiles commentarios in Codicem facere, ea adhibita temperatione, ut multa ſuperflua reſecaret. Scripſit autẽ in novẽ primos Codicis libros, à quibus trium poſtremorum interpretationes ſeparabantur. Commentatus etiam eſt in librum 1. & 2. ff. uſque ad Tit. Si ex noxal cauſa &c. & in primum titulum, De rebus creditis, & ſi certum petatur lib. 12. Eſt ille in his, quos inſequens ætas præ cæteris delegit, in quem ſolennes, ut vocant, commentarios ſcriberet.

Cyni ſcripta.

Porrò *Cyno Bartolus* acceptum tulit quòd ſuum informarit ingenium. Ab illo etiam hunc multos locos accurata & elaborata commentatione tractatos & explicatos accepiſſe, Matthæus Gribaldus tradit. *a.* Eundem etiam Barbatia *b.* juris cognitione mirum in modum excelluiſſe ſcribit. Nec juris ſtudio tantùm, ſed & Poeticæ deditus fuit; in qua etiam ut præſtaret, conſecutus eſt. Elegantes eum verſus ſcripſiſſe, nemini obſcurum eſſe. Gribaldus refert, qui & hoc Cynum ornat elogio:

Poetica.

Iuriſconſultum celebrem, celebremq; Poëtam,
Noſſe cupis, Cyni ſcripta diſerta legas.

Cynum quoq; ut præſtantem Iuris interpretem, & egregium Poëtam, celebrat *Franciſcus Petrarcha*, qui ei ætati æqualis fuit. Huic cum ob alias eximias ingenij dotes, & plurimarum doctrinarum cultum, tum ob præclara ejus poëmata,

Petrarcha εὐχάριστος.

a. *lib. 3. de ratione ſtudendi in princip. ubi ait Bartolum à Cyno plerumq; ſolidas & perfectas theorias hauſiſſe, &c.*
b. *in l. cum acutiſſimi. C. de fidei commiſſis, & ad cap. Raynal. de teſta.*

mata, præſertim Rhythmis Italicis elegantiſſimè compoſita, quæ jam tum per ora, perque manus hominum, ſua cum laude & admiratione volitabant, *a*. ab Urſo Anguilatiæ Comite, Senatoria dignitate & magiſtratu, unà cum Stephano Columna Romæ fungente, Benedicto XII. Avinione degẽnte, in Capitolio, Anno à partu virginis 1338. in conſpectu populi, totiusque nobilitatis Romanę laurea corona eſt impoſita. Idem Petrarcha mortem Cyni duabus luculentiſſimis odis deflevit. *

Sed & in ſacris literis Cynus multum eſt verſatus. Itaque quòd intelligeret, multa à Pontificibus potentiæ cupidis ſtatuta, præſertim quæ haudquaquam cum ijs convenirent, quibus ſibi in civilibus poteſtatem & juriſdictionem cum imperij damno & detrimento vindicabant: idcirco non ſolùm illa Pontificia decreta improbavit; verùm etiam eorundem interpretes, eò quod cupiditati Pontificum inſervirent, & leges vel conſultò, vel ex ignorantia detorquerent, pro animi ſui rectitudine & judicij ſinceritate, eſt inſectatus. Nam veritus non eſt apertè eos inſimulare, *b*. quòd jura ſibi pro libitu condiderint; quòd inflãmati cupiditate imperij, juriſdictioniſq; ſibi uſurpandæ, jus civile non niſi ſuo inſtituto & cõmodis ſit conſentaneũ, obſervent; aliâs verò deſpiciant & ſpernant. Sed & quæ Pontifices, propter principatum, quem ſibi finxerunt, conſtituerunt, illa Cynus pro nihilo

Cynus inſectatur Pontificum decreta.

a. *Platina in Benedicto XII.* *. *Principium unius eſt Piangete Donne, &c. alterius, la dolce viſta, &c.*
b. *Fornaram de Iureconſultis in Cyno.*

P iiij. duxit,

duxit, & cum aliis eorundem erroribus aſpernanda exiſtimavit, Quocirca ſæpe in poſteriorum juriſconſultorum repræhenſionem incurrit: cuius rei unum atque alterum exemplum ſubijcere non alienum abs re eſſe putavi.

Bartolus tradit *a.* *Cynum* cum in diſputatione quadam Senis habita hac quæſtione propoſita, an reus extra territorium degens, à judice, cuius juriſdictioni regulariter non ſubeſt, propter delictum vel ſimilem cauſam, per nuncium, literas vel edictum citari poſſit; ex ſententia Petri *b.* Iacobi Arenæ *c.* autoritate illius dictæ legis omnes, dicto §. executor aliorumq; eiusdem generis affirmaſſet, poſſe; obiecto ex adverſa parte Clementis V. Decreto *d.* quo Imperatoris *Henrici Luzelburgij* ſententiam in Robertum Neapolitanum Regem, ut læſæ maieſtatis reum latam, cum ex aliis cauſis, tum quòd eum in regno illo, quod Eccleſiæ Romanæ, non imperio ſit ſubiectum, cõmorantem citaſſet, reſcidit, & irritam fecit; Cynum publicè dixiſſe, id quia cum illa *e.* aliisq; ei congruentibus legib. conciliari non poſſet, accurata reſponſione indignum eſſe; ſed ad aliorum Pontificiorum erratorum numerum aggregandum *f.* Hoc Cyni reſponſum *Abbas Panormitanus g.* exagitans, ut temerarium & quaſi iniurioſum in tantum principem, id eſt, Pontificem Romanum

Papa ſententiam reprobat.

A Panormitano temere arguitur.

[a] *ad l. 1. n. 3. ff. de requi. reis* [b] *De bella Pertic.* [c] *ad l. omnes §. executoribus verſ. verum ſi appar.* [d] *clem. Paſtoral. de ſent. & re iud.* [e] *d. l. omnes §. verum ſi.* [f] *verba apud Bar. hac ſunt, non poſſe dare reſponſum in pace, Sed pertranſeat cum aliis erroribus Canoniſtarum.* [g] *ad c. licet, n. 6. verſ. ſed contra de foro Competenti.*

qui

qui poteſtatem habeat, ea declarandi, quæ in jure obſcura ſint & explicatu difficilia; *Bartolum a.* collaudat, quod d. c. *b.* diſtinctione quadam, quam tamen ipſe non omninò probat, iſti conſtitutioni *c.* aliisq; ejuſdem ſententiæ legibus componere ſit conatus. Idem illa Cyni libertate adverſus ſui generis interpretes offenſus, majori acerbitate eum criminatur. *d.* diſertè ei exprobrans, quòd cum ea, quæ contra ſe ex placitis Pontificijs proponebantur, commodè diluere non poſſit, errores coarguere ſoleat, qua de re ſuo loco diſſerui. *e.* Verùm ut ad diſputationem Panormitani *f.* redeam, inſcitè is contra Cynum pro argumento id ſumit, *g.* quod ipſum in diſquiſitione poſitum erat. Neq; enim ille id juris Pontificibus eſſe faſſus eſt, quòd ſibi ipſis decretis ſuis aſcripſerunt. Quòd autem inſulsè locum illum Deuteronomij ad Pontificem Romanum accommodet *Innocentius III. h.* (ut alios, præſertim noſtræ memoriæ viros doctiſſimos, prætercam) Wilhelmus Occamenſis *i.* docet. Sic eundem in explicatione teſtimonij ex Divi Pauli epiſtola ad Corinthios ad inſtitutum ſuum detorti longè à ſcopo aberrare, idem Occamenſis oſtendit. *k.*

Contra Papæ poteſtatem.

Occam.

a. *c. per univerſalem, Qui filij ſint legitimi.* b. *cap. Paſtoralis.* c. *d. l. omnes.* d. *ad c. ſuper litteris, num. 3. de reſcript.* e. *In meis annotationibus ad Cyn. comment. in l. 2. nu. 5. c. ſi contra jus.* f. *in d. c. licet. dicto nu. 6.* g. *Ex d. c. cum venerabilem.* h. *In d. c. per venerabilem, verſ. ſed quia, ſicut in Deutronomio.* i. *Dialog. 9. & in tract. de poteſt. ſummi Pont. quæſt. 1. c 8 & ſeq.* k. *Eodem dialog. 9.*

Fuit autem Cyni coætaneus, aut certè non multò inferioris ætatis. Idem alia quoque ambitioſa Pontificum dominationis cupiditate flagrantium acta & decreta in libris ſuis, conquiſitis rationibus, oppugnavit. Multi etiam Occamo æquales, aut paulo natu grandiores, & excellentium Theologorum, & clarorum juris civilis Doctorum, & præſtantium in omni diſciplinarum genere virorum plurimi, eandem in rem ſummo ſtudio, ſummaque cura incubuere. Quare cum id *Innocentij III.* decretum, quo ſacroſanctæ ſcripturæ autoritate pro Pontificia poteſtate ſtabilienda, abuſus eſt, æquè Cynus atq; ætatis ſuæ plurimi in dubium revocaverit, ineptè eo Panormitanus Cyni ſententiam refellere inſtituit. Præterea in diſceptatione illa uterque [a] ponit: quod eis Cynus nullo pacto dat: Statuunt enim, *Imperij dignitatem ab Eccleſia deferri*; in qua ſententia haudquaquam Cynus fuit. Etſi verò idem Abbas ait, [b] id communi ſententia comprobatum; tamen hoc eum, tum de ſuæ ſortis Jureconſultis, tum de ſua & aliquanto ſuperiori ætate intellexiſſe arbitror, quâ labefactata Imperatorum potentia & convulſa imperii dignitate, Pontifices omnes ferè ejus populos dicto ſibi audientes eſſe coegerant. Nam & illi Pontificijs ſcitis juris autoritatem tribuerunt: & temporum commutatione à diverſis quaſi Iuriſconſultorum familijs, aliæ atque aliæ opiniones receptæ fuerunt. Aliæ enim ſententiæ pleriſq; ſecundi & tertij or-

Imperij majeſtatem olim Iuriſconſulti defenderunt.

[a]. *Et Bart. & Panormitanus ad d. l. 1. num. 3. & 4. & d. num. 6.* [b]. *d. num. 6.*

dinis

dinis interpretibus,ut Azoni, ut Accurſio, ut Dyno,ut Cyno, ejusq; æqualibus; alia majori parti, tertij & quarti ordinis Doctorum, alia hac noſtra memoria ijs, qui jus ipſum Iuſtinianeum potius, quàm ſuperiorum interpretum grãdes commentarios amplexati ſunt, placuerunt. Hinc tanta communium opinionum inter ſe diſcrepantia & pugna,quam niſi accuratè diſtinctis Iuriſconſultorum ætatibus haud quiſquam facilè diremerit. Certè viri docti & boni, qui Panormitani ſeculo anteriores fuerunt,maximè Cyni temporibus qui *Henrico Lutzelburgico & Ludovico IV. Bojo* rerum potiuntibus vixit, contrariam potius, quàm hanc Panormitani opinionem ſunt ſecuti. Nec verò ſatis ſibi ipſe Panormitanus conſtitit, quem nunc Pontificis, nunc contrarias partes,præſertim in Concilio Baſilienſi, propugnaſſe, *Aeneas Sylvius* in narrat. de concil. Baſilienſi, & Guilhelmus Paradinus in Chronico Sabaudiæ lib. 3. c. 26. literis conſignarunt.

Iam verò non ea ſolùm de cauſa, cujus Bartolus & Panormitanus meminerunt, iſtud capitulum *a*. Cynus improbavit, ſed quòd in eodem alia quoque, quæ ad jus ſummæ poteſtatis pertinent, ſibi Pontifex affinxerit. Nec hanc modò, ſed & generaliter alias Pontificias conſtitutiones notavit; quibus pro libitu ſuo ſibi jus in Imperatores uſurparunt, & ampliſſimum dominatum civilem, contra Chriſti mandatum, contra Petri, aliorumq; Apoſtolorum doctrinam & morem, contra primorũ antiſtitum Romanorũ

[a]. *d. cap. Paſtoral.*

inſti-

inſtituta & doctrinam conſtituerunt. Ut igitur, utrius ſententia, *Cyni ne, an Panormitani* amplectenda ſit, quorum ille id *a.* capitulum unà cum alijs fœdis Pontificum erroribus rejecit: hic verò, ut cum juris divini ac humani præſcripto conveniens tuetur, ac ut tum hypotheſis, factiq; ſpecies; tum quæ in eo multiplicis variiq; generis, *Clemens V.* Papa tractavit, fiant illuſtriora: cum & cauſas recenſeat, quibus *Cæſar Henricus* adductus, quæſtionem Majeſtatis de Roberto Rege habuerit, & rationes commemoret, quamobrem tum ſibi ſententiæ principalis dijudicandæ n[illegible]o facultasq; ſit, tum eandem irritam eſſe jubeat: viſum eſt, repetito paulò altius principio, & ipſam facti ſpeciem, & ad hanc *Clementis V.* ſpectantem Hiſtoriam, ex illorum temporum actis & ſcriptorum fide dignorum monumentis explicare.

Hiſtoria de Pap. Clem. V. molitionib. in Imper.

Clemens V. de nece *Alberti Cæſaris* certior factus, *b.* cum jam ſibi Pontifices in comitia imperatoria jus poteſtatemq; ſumerent, literis *ad Rodulphum Palatinum* Electorem & Bojariæ Ducem, 14. Calend. Iunij, Anno 1308. ex urbe Pictonum datis, (jam curia Pontificia à ſe in Gallorum gratiam Avinionem translata) *c.* mandat, operam det, ut imperio idoneus ac adminiſtrandi Rempublicam peritus Rex præficiatur. Quare

Henricus Luzenb. Italiam petat.

Henricus Lutzelburgicus à Septemviris Cæſar renunciatus, (quem perperam vulgò ſeptimum dicunt, cum, ſi electionem Principum Germaniæ reſpexerimus, octavus, quia ſeptimum ſe Henri-

a. *d. cap. Paſtoral.* b. *Avent. libro 7. pag. 749.* c. *Platin. in Clem.*

cus

cus filius Friderici II. nominavit, ut ex aliquot ejus diplomatis videre licet; ſin autem conſecrationem Pontificiam, VI. ſit nominandus) impulſu Pontificis, tum ut Romæ coronaretur, tum ut Italiam pacaret, tum ut civitates pleraſq; ad obſequium imperij, à quo ſe ſubtraxerant, revocaret, magno cum exercitu, deducentibus eum *Rudolpho Palatino* & *Luitpuldo* Auſtriaco, in Italiam proficiſcitur, in quam nullus Cæſarum jam inde ab annis ferè quinquaginta tranſgreſſus fuerat. *a.* Iampridem enim Italiæ Civitates, quæ Imperio ſuberant libertate luxuriantes, à fide & obedientia Imperatorum ſe removerant. Itaq; iis defectionem eorum non vindicantibus, cum controverſias, quæ antè à Cæſare dijudicabantur, non amplius jure diſceptarent, ſed armis decernerent; multa inter ſe bella ac tumultus contraxerunt. His nova factione *Gibellinorum & Guelphorum*, ex concertationibus Imperatorum & Pontificum de dignitatis jure orta, adauctis: quæ eò uſque proruperat, ut non ſolùm regiones ac civitates inter ſe diris contentionibus disjungerentur, ſed etiam ipſæ familiæ inteſtina diſſenſione diſtraherentur; ædibus & ſtragibus omnia complebantur. Dum igitur *Henricus* & ad motus ſeditionesque ſedandas, civitates quæ ab Imperio deſciverant, in ſuam redigendas poteſtatem, & res Imperij in Italia componendas, curas & cogitationes convertit; *Robertus*, qui nuper *Carolo* Patri in Regno ſucceſſerat, licet ſe palam ejus amicum & fautorem ſimularet, tamen tum Imperatori in hoc ſuo inſtituto

Gibellini. *Guelfi.*

a. *Avent. dict. loco. Plat. in Clem. 5.*

maxi-

maximopere adverſabatur. a. Nam Guelphes, quorum ſe ducem & principem profitebatur, cum alieno eſſent ab Imperatore animo, in Hetruria & Longobardia cohortabatur, ut conjunctis viribus Cæſari reſiſterent: & cum intellexiſſet, ab eo Brixianos oppugnari, cum firmo equitatu in Hetruriam, Flaminiam & Aemyliam, (quas hodie modò Romaniolam, modò Romandiolam vocant) contendere juſſerat, ubi ſi opus eſſet, Ferrarienſibus, Bononienſibus, Lucenſibus & Florentinis ſubvenirent. Ita non modò civitates illas in contumacia & pertinacia ſua confirmabat: ſed & cum iis contra imperatorem conſpirabat. Hæc dum occultè gereret, nihilominus ſimulata fide & amicitia, legatos ad Imperatorem, qui ei gratularentur, Genuam miſit. Deinde cum *Henricus* Romam, ut à legatis Pontificis conſecraretur, perveniſſet; illuc Robertus fratrem ſuum Ioannem legavit, ſpecie quidem, ut honoris cauſa illi adeſſet. a. revera autem, ut in magnum eum periculum ac diſcrimen adduceret.

Henricus Cæſar magnanimus renuit Papæ jurare. Cardinalibus qui Cæſarem inaugurabant, ab Henrico petentibus, ut ſe Pontifici jurejurando obſtringeret, non ſolùm majeſtate imperatoria indignum, verùm etiam contra morem majorum libertatemq; religionis Chriſtianæ eſſe reſpondit; *Principem Principum, orbisq; terrarum Dominum, ſervo ſervorum ſacramentum dicere.* Ita quidem ad verba Aventinus. Sleidanus paucis, Henricum dixiſſe, rem eſſe novi exempli, nec uſurpatam ætate ſuperiori. Ipſe verò Pontifex Clemens V. in alio

a. *Avent. lib. 7. p. 746.*

ſuo

ſuo decreto. *a.* à ſe poſt obitum Cæſaris propter hanc contentionem in rem ſuam conſcripto, narrat; cum ad Cardinales ſcripſiſſet, Reges Romanorum ad ſe Eccleſiamque defendendam, ſibi jurejurando fidelitatis devinctos; atque hi Imperatori, accepto jam imperatorio diademate, ſententiam earum literarum expoſuiſſent, talemq; ab eo fidem per Sacramentum exigerent; Henricum indignatum, ritu ſolenni, accitis tabellionibus, qui in acta, quæcunq; gererentur, referrent, præſente magna populi multitudine publicè reſpondiſſe, *nolle ſe ad hunc modum eſſe obligatum, nec ſe ejuſmodi jusjurandum unquam antea præſtitiſſe, & haud ſcire, an ita anteceſſores ſui fidem ſuam Pontificibus obſtrinxerint.* At contra Pontifex, tum ipſum Henricum per legatos ſibi promiſiſſe, contendit, quantumvis poſtea diſſimularit, ſe Eccleſiæ obnoxium fore: tum priores Cæſares, ut tali fide ſe prædeceſſoribus ſuis aſtringerent, jurejurando adactos eſſe. Quare Clemens, ut inpoſterum caveret, & dominatum Pontificium confirmaret, formulam jurisjurandi generalem, quam recitat, copiosè explicat. Capita quæ eo continentur, breviter Sleidanus commemorat. Ea re cognita *Ludovicus IV.* proximus *Henrici* ſucceſſor, quòd perſpiceret, decretum hoc imperio fraudi eſſe, contrariis id conſtitutionibus (de quibus mox pluribus) ex principũ & ordinum ſententia antiquavit. Inde de vi hujus Sacramenti, magna inter doctiſſimos illius ætatis viros orta eſt

a. *in clem. Romani, de jurejurando,*

diſputatio. Ac multi *a.* exiſtimarunt, id jusjurandum, quod Imperatores potentiam & opes non à Pontificibus acceperint, ſed hi ab illis ad ſe, traduxerint, à Cæſare Pontifici, non fidei obedientiævé, ſed patrocinij ac tuitionis, piæq; affectionis causâ præſtari.

Hac de cauſa *Clemens Henrico* infenſus, in ejus exitium cum alios hoſtes, tum *Robertum* Regem, ejusq; fratres concitavit; quorum conſilio Cæſaris necandi cauſa, ſæpè venenum paratum fuiſſe, Aventinus memoriæ tradit. *b.* Is igitur cum Roma abiiſſet, Aretij (ut Platina) *c.* Piſis (ut pleriq; alij, quorum verior eſt ſententia) *Robertum* ob læſæ majeſtatis crimen ad Imperatorium Tribunal, peracto edictorum ordine citavit; & cum is ad judicium non veniret, nec reſponderet; acta in contumaciam cauſa, de concilij ſententiâ, teſtibus Alberico & Aventino, criminis majeſtatis condemnavit. Formulam ejus ſententiæ ad verbum refert Albericus *d.* Lata autem fuit VII. Calend. Maji. Anno 1312. non, ut vitioſè apud Albericum ſcriptum extat, Anno 1311. quod & Carolus Molinæus notavit, qui de die quoque dubitat. *e.* Cùm verò Imperator non multò poſt fraude & perfidia Guelphorum hoſtiumve, ut nonnulli *f.* Florentinorum, ut Platina, Legati

Imp. veneнata hoſtia necatus.

a. *Leopold. Pabeburgenſ. de jure regni & imperij. Albertus Crantzius in Saxonia libr. 9. c. 15. Iacobus Almaynus in tractat. de poteſt. Eccl. ſ. Fontinus in additione ad principium d. Clem. Roma. illyr. in appendice ad dictum Lupol. tract. quem adjunxit lib. ſuo de translat. Imp. Rom. ad Germanos & alij recentiores.* b. *d. fol. 746.* c. *In Clemente.* d. *ad l. quiſquis. C. ad l. Iul. majeſtat.* e. *Ita conſuet. Pariſ. in rubr. num. 44.* f. *Aventi. & Balaus.*

Ponti-

Pontificij, ut pleriq; *a.* tradiderunt, 18. Calend. Septembris, id temporis celeberrimo die feſto in æde ſacra Bonconventi ditionis Senenſium, præbita à nefario & ſcelerato monacho Dominicano Bernhardo Politiano, venenata hoſtia & ſacra potione ſacroſanctæ Euchariſtiæ, inaudito & infando exemplo ſublatus fuit *b.* Ecce autem præclaram & incredibilem in hoc optimo principe pietatem & patientiam. Cùm enim vim veneni ſibi dati ſtatim ſenſiſſet, ſceleſtiſſimum tamen proditorem, qui ſe Henrico amicum diu ſimulaverat, cohortatus eſt ad fugam, cui *c.* niſi confeſtim ſe daret, præſentem à Germanis & clientibus ſuis imminere necem. Ac quidem licet hic perfidus evaſerit Senas, tamen milites *Henrici* Dominicanos, eorumq; cœnobia acerrimè ferro & igne ſunt perſecuti. Hunc Imperatorem, ut acerrimum dignitatis imperialis vindicem commendat Leopoldus Babenbergenſis, *d.* in quo laudabili inſtituto præclaram ei operam navavit *Rudolphus Palatinus* Septemvir. Ac ſe totum convertiſſet in Robertum à ſe condemnatum; niſi mors eum anticipaſſet. Nam Fridericum Siciliæ Regem, quo cum fœdus inierat, ut contra Robertum arma caperet, incitavit, qui cum copiis progreſſus eſt in

a. *Ita Pandolphus Colonucius teſtatur. d. lib. 5. in vita Clem. 5.* b. *Ita Platina ex quorundam ſententia, Pandolphus Colonucius, qui maximam partem ſcriptorum, excepto uno Muſatto Patavino id memoria prodidiſſe, Germanici Anna. & Aventin. d. fol. 746.* c. *Baleus in Clemen. ad finem. Henrici imperatoris verba hæc fuiſſe, memoratur: Domine recedatis. Nam ſi perciperent Theutonici & noſtri devoti, morte moriemini.* d. *In proœmio tractatus ſui.*

Calabriam; ipſe ex alia parte regnum aggredi conſtituerat.

Papa vana argumenta pro ſuo primatu.

Sed Clemens V. Papa, qui Cæſari infeſtus, Roberto autem mirum in modum faveret, hoc capite pro ea poteſtate, quam ſibi aſſumſit, ſententiam *Henrici* revocavit, ac pro nihilo duxit. Inter argumenta, quibus motus hoc ſtatuerit, hæc ſunt præcipua; quòd Robertus, cum in regno Neapolitano verſaretur, ex aliena juriſdictione non ritè fuerit ab Imperatore evocatus. Id enim regnum Pontificij non imperatorij juris ditionisque eſſe. Quocirca jus ſe habere de imperatoris ſententia cognoſcendi & judicandi; tum ex ea eminentia, quam in Imperium habeat; tum ex privilegio, quo Imperatori in interregno ſuccedat; tum ex poteſtate, quam Chriſtus Rex Regum & Dominus Dominantium Pontificibus Romanis per Petrum *a.* conceſſerit.

Pij & docti pro Imperatoribus contra Papas ſteterunt.

Quàm autem & cœleſti doctrinæ & priſcorum Eccleſiæ Doctorum interpretationi, curationiq; ſuæ convenienter, tum in hac, *b.* tum in illa. jam ante à me relata conſtitutione, *c.* huiuſmodi ſibi poteſtatem Clemens V. uſurparit, ut & qui eum biennio minus in Pontificatu anteceſſerat, Bonifacius VIII. etiam in caligine temporum illorum viri pii, prudentes & docti ſatis animadverterunt. Ex horum numero ſunt Petrus Ioannis. *d.* Guilhelmus Occamus, Bonagratia Bergomenſis, Franciſcani, ejusque ordinis primus Michael Cæ-

a. *Clement. verba ſunt in perſonam Beati Petri.*

b. *d. clem. Paſtoralis.*

c. *d. clem. Roma.*

d. *Nicolaus Emmeric. in lib. inquiſit. Baleus in Laurentio Anglico.*

ſenas. *a*. Præterea Ioannes Caſtilioneus, Franciſcus Arcatara, Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, Ioannes Pariſius. *b*. *c*. Iohannes Polliacenſ. *d*. Conradus Hagerus, Iohannes Monachus. *e*. Gerardus Saggarelus Pargemenſis, & Dulcinus Navarenſis. *f*. Marſilius Patavinus. *g*. Lupoldus Papenburgenſis, Petrus Cognorius de Cogno, Equeſtris ordinis, Philippi Pulchri Franciæ Regis conſiliarius: *h*. Andreas Laudenſis. *i*. Iacobus Arena, *k*. Cynus & aliquot eius æquales, Profeſſores juris in Gymnaſio Bononienſi, eique ætate proximus Albericus Roſates. *l*. Ulricus Hangenorus Auguſtanus. *m*. Iohannes Gandunus, ſive Gandunenſis. *n*. Præterea omni cultu humaniorum ſtudiorum ea memoria longè præſtantes *Franciſcus Petrarcha*. *o*. & *Dantes Alige-*

a. *Aventinus annalium Bojor. lib. 7 pag. 761.*

b. *De Pariſiis in tract. de poteſt. regia & papali. Doct. Pariſ.*

c. *Tota Academia Pariſienſ.*

d. *De Polliaco Mag. Pariſ.*

e. *De rupe ſciſſa.*

f. *ex catalog. teſt.*

g. *In tract. de translat. imp. & in defenſore pacis Iohan. 22. in decreto incip. licet inter doctrinam Avent. d. pag. 761.*

h. *De iure reg. & imp. Avent. eodem loco, fuit autem Canonicus Moguntinus Pabenburgenſ. & VVirtzenburgicus, deinde Epiſc. Pabenburgicus.*

i. *hunc Myſtam Friſingenſ. fuiſſe Aventin. tradit dict. pag. 761.*

k. *in l. pœna à Zenone, & multas alias, & de quad. præſcrip.*

l. *ad d. l. à Zenone, & multas alias.*

m. *Ludovici IV. Cancellarius. Avent. d. p. 761.*

n. *Avent. dict. pag. 761.* o. *in oper ſuis.*

Digitized by Google

rius a. Ac quidem contentione illa de jure dignitatis inter Imp. *Henricum Lutzelburgicum* & Pontificem Clementem V. renovata, & poſtea tum propter hæc ipſa imperioſa in eundem Henricum decreta, quæ demum mortuo eo exierunt, tũ propter acerbiora & iniquióra Johannis XXII. contra *Ludovicum IV*. edicta (quorum ille Clementi, hic Henrico ſucceſſerat) vehementius agitata; plerorumque de poteſtate imperatorum atque Pontificum diſputationes, tractatus & ſcripta etiamnum hodie extant, quibus Cæſarum partes contra Pontifices aſſeruerunt. Qua re hi offenſi multos eorum impiæ falſæq; religionis damnarunt, dirisq; devoverunt, ut & de Dãte Bartolus tradit. *b*. & ex Decretis *c*. Pontificijs apertè cognoſci poteſt: nonnulli etiam capitis ſupplicio affecti fuerunt. Inde qui inferioris ætatis fuerunt, *Bartolus d*. & alij deterriti, Pontificibus ſunt aſſenſi. Nec repugno, quin rebus imperij indies magis magisq; labentibus, contraq; Pontificijs creſcentibus, & augeſcentibus, pleriq; ſcriptorum & Juriſconſultorum à Pontificibus ſteterint, quod & *Panormitanum* in illo capite *e*. *an imperium pendeat ab Eccleſia*, affirmare, ſupra indicavi.

Pontificum furor in Orthodoxos.

Semper tamen illis ipſis quoq; temporibus fuerunt; qui veritatem gratiæ Pontificum anteferrẽt:

Teſtes veritatis.

a. *De Monarchia Avent. d. p. 761*. b. *in d. l. 1. nu. 3. & 4. ff. de requir. reis*. c. *ut Iohan. 22. incip. licet inter doctrin. & ine. p. dudum à nobis, &c. al. usq; ſimilibus*. d. *d. l. 1. nu. 3. & 4*. e. *d. c. licet. nu. 6*.

quos

quos omnes recenſere nec loci huius nec temporis eſt, ſatis igitur fuerit aliquos commemorare. Ac quidem, cum ſæpe ante ſchola Pariſienſis, Pontificum ambitioni adverſata eſt, tum eadē anno 1380. ut & Academia Pragenſis & Oxonienſis, oborto deterrimo ex Comitijs Pontificijs diſſidio, Reges & Principes ac ordines Imperij literis ſuis admonuerunt, ut ſervitute oppreſſam à Pontificibus Eccleſiam in libertatem vindicarent. Eodem adhortationis genere tum *Wenceslaus* Cæſar ad Germanos uſus eſt. *a*. Sed & *Theodoricus Niemus*, qui aliquot Pontificibus à ſecretis fuit, & poſtea Antiſtes Verdonenſis factus eſt: *b*. & Franciſcus Zabarella Cardinalis Florentinus. *c*. & Iohannes Petrus Ferrarius, *d*. & *Petrus Aliacenſis*, qui *Sigiſmundi* Imperatoris juſſu formulam emendationis concilio Conſtantienſi obtulerat, & ipſemet librum, quo modo reformanda Eccleſia eſſet, *e* compoſuerat: & Nicolaus Clemangius. *f*. & Cardinalis Arelatenſis, & Segovius Hiſpanus, & Thomas Corſellius in Conventu Baſilienſi. *g*. & *Gregorius Heinburgen-*

Pariſ. Academ. Prag. & Oxonienſ.

a. *l. Has ſcholarum & VVenceslai Cæſaris epiſtolas, & adhortationes adidit Huttenus, anno 1520.*

b. *in tract. ſuis, de ſchiſmate & in nemore unionis.*

c. *in tract. de ſchiſmate & concilio.*

d. *Cognomento Papienſis, in practica ſua multis in locis.*

e. *Ex libello qui unà cum Aeneæ Sylvij libello de concilio Conſtantienſi excuſus eſt.*

f. *Magiſter Pariſienſis, &c. in libro de corrupto Eccleſiæ ſtatu.*

g. *Aeneas Sylv. in tract. de Concil. Baſil.*

Digitized by Google

ſis a. & Martinus Mayerus Cancellarius Archiepiſcopi Moguntini. *b.* & Antonius Roſellus. *c.* & Iacob. Almaynus, & Stephanus Aufrerius, vehementer Pontifices criminati ſunt, quòd rebus maximis atque neceſſarijs ad curationem eorum ſpectantibus, quæ illis præcipuè curæ eſſe deberēt, præteritis, cupiditatibus ſuis indulgeant, potentiæ & opibus ſtudeant, ſummumq́, principatum Cæſaribus injuſtè ademptum, per vim tueantur & propugnent.

Ipſi Pontificij contradixere.

Quin & illi ipſi, qui Pontificias partes ſunt ſecuti, nonnunquam in contrariam ſententiam vi veritatis adducti, à ſe ipſis diſſenſerunt. Horum accurata enumeratio, & ab hoc inſtituto aliena & ſupervacanea foret. Itaque Iohanne Andrea * Iohanne Monacho. *d.* Guilhelmo Durando. *e.* Ioanne Gadernio. *f.* Andrea Siculo. *g.* prætermiſſis, Gerſone. *h.* etiam & Dominico Epiſcopo Brixenſi *i.* relictis, tantùm de præcipuis, ut Bartolo, Baldo, Panormitano, Nicolao Cuſano,

a. *is librum ſcripſit contra primatum Papæ, & pro Sigiſmundo & Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ nomine à ſententia Pontificis provocavit, unde & à Pontifice à communione Eccleſiæ eiectus fuit.*

b. *ex lib. epiſt. Æneæ Sylv. præſertim 101.*

c. *in lib. de monarchia.*

* *in Novell. de ſtatu religioſorum. lib. 6.*

d. *c. fundamento de Elect. lib. 6.*

e. *Speculat. in lib. de concilio cēl. b quem juſſu Clem. V. ſcripſit. Et in ſpecu de reſcrip. præſenti. §. ulti. verſ. Item, quod eſt obtentum, &c.*

f. *in rep. cap. 1. quæſt. 9. de raptoribus.*

g. *ad clem. Romani & alias.* h. *in tract. de poteſt. Eccleſ. & in epiſtolis.* i. *in lib de refor. Eccleſ.*

Ænea

Ænea Sylvio tractabo. *Bartolus* enim, licet Clementis decretum *a.* cum legibus civilibus conciliare & defendere conatus ſit, ut ſupra oſtendi, tamen idem duas *Henrici* Lutzelburgenſis conſtitutiones. *b.* quas eodem loco *c.* Anno *d.* 1312. Aprili menſe *e.* vigeſimo, vel circiter, ante latam ſententiam die edidit, *f.* ex earumq; præſertim prioris formula contra Robertum proceſſit & judicavit, & tanti fecit, ut dignas eſſe exiſtimaret, quas interpretatione ſua illuſtraret. Idem in prioris illius conſtitutionis expoſitione. *g.* parum ſibi conſtat. Sic *h.* Baldus ſecum non convenit. Maximè verò ad quæſtionem illam de citatione à Cyno, à Bartolo *i.* & Panormitano *k.* relatis antea locis tractatam quod attinet, Cyni ſententiæ *l.* accedit. Idem *Baldus* in illuſtri illa controverſia, quæ tum extincto Carolo Rege Neapolitano, inter nepotem ejus Carolopertum *m.* ex maximo natu filio Carolo Martello procreatum, & Robertum tertio loco genitum, ex facto conſultanda proponebatur, uter alteri

Bartolus pro Cæſare.

Baldus inconſtans.

a. *d. clem. paſtoral.* b. *vulgò Extravagant. vocant, titu. Quomodo in crimi. læſa majeſt. procedatur, & titu. qui ſint rebelles.* c. *Piſis.* d. 1312. e. *Aprili.* f. *ut ex fine earundem, ſi inter ſe conferantur, patet.* g. *ad verb. totius orbis in d. ext. vag. ad reprimendum, &c.* h. *in comment. ſuis ad d. bene à Zenone. C. de quad. præſcrip. & ad tit. De pace conſtant. in verbo, Rex, cum aliis ejuſdem ſcriptis collatis.* i. *ad d. l. 1. nu. 3.* k. *d. c. licet. num. 6.* l. *ad l. ultim. num. 5. & ff. de juriſdictione.* m. *Pandolphus Colonut. lib. 5. Hiſt. Neapol.*

in regni ſucceſſione præponendus eſſet, relatis contrarijs Iuriſconſultorum ſententijs ſubjicit, ſe haud ſcire, an Papa Bonifacius, (illi enim id caput, *a* vitio ut puto memoriæ aſſignat, cum ſit Clementis V. quo Pontifice demùm Carolus obiit) *b.* juſtam tulerit ſententiam. *c.* Nam cauſa ad Pontificis notionem delata pro Roberto pronunciavit: unde Baldus colligit, plus eum affectioni quàm veritati largitum eſſe, propterea quòd Roberto addictior fuiſſet; ideò quædam in illo capite *d.* contineri, quæ à juſtitia & jure diſſideant. *e.* Idem Baldus *f.* longa diſputatione ex eadem conſtitut. *g.* inſtituta, an ex illa ſententia *Henrici Lutzelburgij* Rex Robertus ijs beneficijs exciderit, quæ ab imperio clientelæ nomine acceperat, ita ut *Henrici Cæſaris* ſucceſſores *Ludovicus & Carolus IV.* & alij, fidei obſequiiq; cauſa dare poſſint. Primo plurimis argumentis contra rationes à Clemente commemoratas, quibus illam ſententiam irritam facere nititur, oppoſitis, quod tantùm ea momenti & ponderis haberent, ut vix refutari poſſint; tandem eò dilabitur,

a. *d. c. paſtorale.*
b. *Idem Colonut. lib. 5.*
c. *Hanc quæſt. pluribus ex Nicol. de Matorel. deducit Bald. ad l. cum antiquioribus num. 11. C. de jure delib.*
d. *d. clem. paſtor.*
e. *Verba Bal. ſunt, quædam eſſe quæ ſapiant, & quædam quæ non ſapiant veritatem juris.*
f. *ad l. pen. num. 39. C. de exec. rei jud.*
g. *d. clem. Paſtoralis.*

Decre-

Decretis *a.* Pontificum in Interregno penes Pontificem ſummam rerum, tam in imperio quã in Eccleſia eſſe, eoque ab *b.* illis non eſſe recedendum, præſertim cum *Henricus* Imperator eo animo in Italiam tranſcendiſſet, ut ingentem calamitatem Eccleſiæ eiusque fautoribus, & maximum detrimentum regno Neapolitano inferret. *c.* Itaque Clementem V. tanquam vicarium Dei, neceſſaria de cauſa hanc conſtitutionem feciſſe, ne barbara ferocitate Italia vaſtaretur. His ſubdit, *Henricum* capitalem fuiſſe inimicum Roberti, & idcirco judicis partes obire non potuiſſe; unde Pontificem ab omnibus excuſari *d.* Egregia verò *Baldi* & ratiocinatio & deciſio, qui ea pro certis & probatis ſumit, de quibus ſciebat illis ipſis temporibus vehementer fuiſſe dubitatum. Nam cum alij recto judicio præditi homines, tum verò principes imperij nullo modo Pontifici in interregno imperij adminiſtrationem, ut ſucceſſori, conceſſerunt, qua de re pluribus infra. Quod verò inimico Eccleſiam & regnum Neapolitanum animo Imperatorem in Italiam traieciſſe ait, ipſis etiam Pontificijs Hiſtorijs repugnat; cum diſertè Platina *e.* ſcriptum reliquerit, inſtinctu Pontificis in Italiam Henricum veniſſe. Imò idem ſignificat, culpæ datum eſſe Clementi ab Italis, quòd Cæſarem in Italiam evocarit. Quapropter quo-

Refutatio Baldi.

a. *verba Bald. ſunt. Decretales dicunt, quod imperio vacante Papa poßideat utramque Monarchiam.* b. *d. Clem. Paſtoralis.* c. *verba Baldi ad æmulationem Eccleſiæ, & eius complicium & deſolationem regni.* d. *verba Bald. excuſat mundus Papam.* e. *in vita Clem. 5.*

modo Baldū hac in re vel excuſent vel defendant, illi viderint, quia deò eum ſuſpiciunt atq; admirantur, ac ſi nihil eorum ignorarit, quæ in hominis cognitionem cadere poſſunt.

Panormitanum quoq; inconſtantiæ & levitatis incuſari à bonis authoribus, *a* ſupra indicavi.

Nam cum primo in ſacro cœtu Baſilienſi principatum Eugenij Pontificis magno conatu ſtudioque propugnaſſet: tandem alio illi à conſcriptis patribus pontifice ſuffecto, in contrariam eorum ſententiam tranſivit, qui Pontificiam dominationem ambitionemq; à concilio reprimendam eſſe exiſtimarunt. A ſe ipſo etiam deſcivit

Cuſanus. *Nicolaus Cuſanus*. Nam in diſputatione illa de jure dignitatis, pro Imperio Cæſaribusq; contra Pontifices, cum aliis multis in locis, tum in libris *b.* illis, qui hujus argumenti proprij ſunt, pugnavit: in quibus *c.* non modò donationem Conſtantini, commentitiam eſſe, quam & multi alij *b.* everterunt, ſed & Epiſtolas Clementis, & Anacleti fictas eſſe docet. At poſtquam in Collegium Cardinalium cooptatus fuit, commutata ſententia Pontificias partes aſſeruit.

Pius II. Sed & Aeneas Sylvius, varius, ſuique diſſimilis fuit. Primò enim Germanos laudavit, quòd cupiditati Pontificis obſiſtant, & Colonienſem

a. *Aenea Sylvio, & Guilhelmo Paradino* b. *libris 3. De concordantia Catholica.* c. *lib. 3. c. 2.* d. *Otto Friſingenſis, Azo ad l. bene. Ioan. Pariſ. in tract. De poteſt. regia. Pap. Dantes Florent. Marſilij Patavinus Alber. ad d. l. bene à Zenone. ubi nu. 29. ait, multos magnæ exiſtimationis viros in ſententiam Azonis iviſſe. Laurent. Valla, Anton. Florentin. Raphael Volateranus. vide confutat. iſtius ementitæ donationis adjunctas Concilio commentariis. Aen. Sylv. de conc. Baſ. coloniæ. Anno 35. impreſſas.*

Academiam collaudavit, quòd Pontificem ſacro concilio ſubjectum eſſe, libello in publicum edito oſtendiſſet, eamq; ſententiam ipſe quoq; probavit, ac in libello de ortu & autoritate imperij Romani, quem ad *Fridericum III.* Imperatorem miſit, affirmavit, à Deo neminem in Rep. civili ſuperiorem majoremq; eſſe Cæſare; ſiquidem in ejus concluſione *a.* ita eum ferè alloquitur: Tanta tamque admirabilis tua eſt autoritas, ut nemo tibi in civilibus præſit, & tu omnes præcellas: ut nemo ſit, qui tuum in iis detrectare poſſit imperium, & tuum ſit omnibus imperare, ut nemo ex tuo judicio ſit exemptus, & tu omnes cives poſſis judicare: ut nemo à te provocare queat, & ab omnibus civilibus magiſtratibus ad te liceat appellare, ut privilegia legesq; poſſis interpretari atque corrigere, ut ad tuendam imperij majeſtatem, Reipublicæque ſtatum conſervandum, omnes populi, nationes, Principes, Reges, tuis debeant obedire mandatis, &c. At ubi ad Pontificatum evectus eſt, quaſi converſis rebus, mutatus mente & voluntate, toto animo omniq; ſtudio in Pontificij principatus propugnationem incubuit. *b.* Extremo loco his addere *Platinam* placuit, qui quam addictus Pontificibus ſit, *Platina.* adeò ex ejus hiſtoriis perſpicuum eſt, ut nullum aliud deſideret teſtimonium. At is identidem inculcat, omnem pietatem & ſanctitatem præſertim poſt annum à Chriſto nato milleſimum, à Pontificibus ſe removiſſe, & ad Cæſares confugiſſe.

a. *cap. ultimo.* b. *vide epiſt. 301. ad Martinum Megerum Cancellar. Mogunt. epiſt. 343. ad Legat. Pont. epiſt. 315. ad Norinberg. Senat.*

Sed

Sed ab his, quorum ſeculis in immenſum potentia pontificum accreverat, iterum ad Cyni ætatem regrediendi, (quibus, ut Bonifacium VIII. & anteriores mittam, Clemens. V. Ioannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Pontifices de jure dignitatis acerrimè cum Cęſaribus concertarunt) & quæ tum eximiorum in omni diſciplinarum genere virorum de illa controverſia ſententiæ fuerint, ex vetuſtis literarum monumentis inquirenti; illi non modo de tota illa contentione, ſed & de iſtis Pontificum conſtitutionibus, quibus potentiam ſuam abduxerunt, & principatum ſtabiliverunt, probè, ſincerè, & præclare iudicaſſe videntur. Non committam, ut quos ſigillatim antea memoravi illa ætate floruiſſe, & pro Cæſaribus contra Pontifices ſtetiſſe, iterum hic repetam: ſed ut oſtendam, communi quaſi conſenſu illos partes Cæſaris propugnaſſe; ijs adiungam, quæ & generatim & ſpeciatim de his literis conſignata inveni. Ac quidem Aventinus *a.* diligentiſſimus inveſtigator antiquitatis tradit, *Ludovicum* IV. Sacrarum literarum, divini humaniq; juris ſcientiſſimos ac peritiſſimos quoſque in Italia, Germania, Gallia, præcipuè Bononiæ atque Lutetiæ, hac de cauſa conſuluiſſe: omnes hos reſcripſiſſe, acta & placita id temporis pontificis adverſus Cæſarem doctrinæ veteris Eccleſiæ, ac ſimplicitati Chriſtianæ repugnare. Hæc reſponſa in membranis ſcripta ait in Bibliothecis conſervari. Deinde *Guilelmus Occamenſis*, quem Cyno æqua-

Aventinus

Guil. Occamenſis.

a. lib. 7. annal. pag. 761.

lem

lem fuiſſe ſupra memini, huiuscemodo conſtitutiones Pontificias, præcipuè Ioannis XXII. à multis, ut à ſacroſanctis ſcriptis & Eccleſiaſticis legibus alienas & falſas reprehendi, & homines ſanos mirari *a.* ſcribit, tantam illis fidem haberi, quibus & Chriſti oracula, Apoſtolorum inſtituta, ſacrorum concilorum autoritas, & imperij dignitas violentur. Itaque audivit male *Oldradus*, qui eodem tempore contra congruentes plerorumq; doctiſſimorum virorum Senſus, cauſam Imperatoris in gratiam Pontificis perſequeretur *b.* Divulgatus *c.* quoque fuit illa ipſa ætate Dialogus, cuius autorem nonnulli Occamenſem ſtatuũt, in quo de *poteſtate Eccleſiaſtica & civili*, miles & clericus colloquentes introducuntur: ubi ille conſtitutiones illas, quibus ſibi Pontifices ſummam in omnes principatus & regna poteſtatem arrogant, ridens facetè ſubiicit: Si quod Pontifices in illis decretis ſibi aſcribunt, ius ratumque eſſe debeat; hac ratione eos in omnes omnium hominum res ius adquiſituros, cum nihil eis ſit facilius, quàm talia decreta conſcribere, quæ ſimulatque de bonis alicuius fecerint, confeſtim ſibi vendicare queant: nihil igitur aliud reliquum eſſe, ſi quod ius in alicuius facultates habere velint, quam ut id ſtatuant, ubi ſcripſerint ſibi, in quam rem ius poteſtatemq; eſſe, iam protinus illam eos nanciſci, atq; ita ſtatuendo & ſcribendo omnibus omnia ſua bona eripere, ſibique addicere poſſe.

a *in libro de ſummi Pontif. poteſtate, & in Dialogis:* b *Conſil: 69 & conſil. 183.* c *Fontan. in fin. dict: addicionis, in princip. Clement. Rom: diſputat, inter clericum & militem ſuper poteſtate poteſtatis Eccleſi: atque principibus terrarum commiſſa:*

Albericus. Iam qui non multò poſterior fuit, *Albericus* teſtatur, ſeipſum cum Romæ in curia Pontificis de illa contentione poteſtatis & dignitatis ſermo injectus eſſet, multos magnæ autoritatis tam *a.* Eccleſiaſticos quàm Politicos, & utriuſque juris conſultiſſimos, in Imperatoris partes propendiſſe.

Alberico ætate par aut paulò minor fuit *Eudo,* Dux Burgundiæ. is cum perinde, ut Cynus animadvertiſſet ac intellexiſſet, quid Pontificibus in conſtitutionibus ſuis propoſitum eſſet, Regi Galliæ ſuaſit, ne illas pro jure in ſuo regno coli ac recipi permitteret. Hanc cautionem in archivo Regis Franciæ extare Carolus Molinæus prodidit.

Zabarella. A Cyno etiam facit *Franc. Zabarella. b.* qui interpretes decretorum Pontificiorum vituperat, ut ad nutum & voluntatem Pontificum factos, cupiditatumq; eorundem miniſtros, qui ita poteſtatem ſuam extulerint, ut eos cum Deo adæquarint, illis omnia ſubjecerint, eoq; dementiæ progreſſi ſint, ut quicquid illis liberet, etiã licere arbitrarentur. Opus igitur eſſe legitimo concilio, quo Pontifices in ordinem cogantur, & ambitio eorum refrænetur.

Ferrarius. His quoq; ſuffragatur *Petrus Iohannes Ferrarius c.* vehementis vir ingenij & ardentis in rempublicam ſtudij, cui ridiculum & abſurdum videtur, pontifices ſibi in rebus civilibus jus in Imperatores aſſumere: eos decretis ſuis dominatum ſuum in

a. *Alber. Prælatos & Laicos.*
b. *in lib. de Schiſmate & Concil.*
c. *in pract. ſua multis in locis.*

infi-

infinitum propagaſſe, ditiones & civitates imperij occupaſſe. Itaq; hanc eorum dominandi libidinem cohibendam eſſe. Nec hac libertate contentus ipſos etiam Imperatores & principes objurgat, quod peſtiferis his Eccleſiæ malis nulla adhuc remedia adhibuerint.

Verùm in commemoratione hac longior eſſe nolo. Ex multis autem, quos ante à Cyni temporibus uſq; ad hanc noſtram memoriam recenſui, illos præcipuè delegi, quorum præ cæteris, & de his Pontificum decretis & interpretationibus, ad cupiditatem & lubitum eorum aggregatis, cum Cyno conſentiens fuit opinio.

Hæc pleriſq; etiam noſtra ætate comprobantur, quæ ex ſuperiorum temporum caligine & tenebris lucem veritatis reſpicere cœperunt. Itaque probè *Fontanus*, *a.* hodie reſipiſcente mundo de utroque gladio non eſſe amplius digladiandum, cùm & ſententia loci illius, & tota hæc quæſtio ita ſit explicata & illuſtrata, ut de ea vix amplius laborandum eſſe videatur. Sed ut ad ea tempora revertar, quibus Clemens V. illa decreta *b.* ædidit, non illi ſolùm, quos retuli, viri pietate, eruditione & prudentia inſignes, Theologi, Iuriſconſulti, Philoſophi, tam Rempublicā gerentes quàm quieti, Poëtæ, aliiq; interioribus literis eruditi viri, has, aliasq; ejuſdē generis conſtitutiones improbarunt, verùm etiam ipſimet Cæſares & ordines imperij eas averſati, contrariis cōſtitutionibus ut tollerēt,

a. *in dict. addat, ad Clem. Rom.*
b. *d. clem. Paſtoral. d. clem. Romani.*

& debi-

& debilitatam iam ac propè iacentem imperii dignitatem ut inſtaurarent & erigerent, etiam atque etiam elaborarunt. Quapropter licet Clemens. *a.* Sententiam condemnationis ab *Henrico Lutzelburgico* in Robertum Regem promulgatam irritam eſſe juſſerit; nihilominus tamen ratam eam non modo *Ludovicus IV.* quem Henricus ſucceſſorem habuit, imperiiq; principes, ſed & Italiæ proceres ac primates, qui imperatorem ſectabantur, ratam ducentes, infeſtis armis eam exequi, Robertumq; regno dejicere enixi ſunt. Nam Gibellini, majori ob atrociſſimum hoc ſcelus in occidendo Henrico commiſſum odio in Guelphos inflammati, tandem cum ijs non longè à monte Catino; menſe *b.* Auguſto, Anno 1311. conflixerunt, in quo prælio, Hugutione Fagiolano & Caſtrutio ducibus, Guelphos, Philippo principe Tarentino fratre Roberti capto, alteroq; ejuſdem fratre natu minimo Petro, & Carolo filio Philippi Tarentini interfectis, qui his à Roberto ſubſidio venerant, fuderunt, profligaruntq;. Caſtrutius ipſe redintegrato cum Guelphis bello, *Roberti* Regis, ut imperij hoſtis ab Henrico Imp. declarati, vel interficiendi, vel opprimendi conſilium cæpit. Quare cum anno 1318. Robertus laborantibus Genuæ Guelphis opem tuliſſet, indeq; Avinionem ad Pontificem contendiſſet, *c.* referunt detectas eſſe inſidias, quas & Roberti vitæ & claſſi ejus Caſtrutius ſtruxerat.

Gibellinorum prælium cum Guelfis.

a. *d. clem. Paſtoral.*
b. *Pandolph. Colonuc. liq. 5. Platina in Ioann. 22.*
c. *Pandolph. Colon. lib. 5.*

Interea

Interea Electoribus in Comitiis Cæſaris diverſis inter ſe ſuffragiis concertantibus, atq; inde imperij ſumma ad duos, *Ludovicum* Palatinum Rheni & Bavariæ Ducem, & *Fridericum* Auſtriacum delata; Ludovicus hoc à ſe in acie devicto, comprehenſo & cuſtodiæ mandato, rebusq; in Germania conſtitutis, frequentibus Italorum imperij fautorum legationibus auxilio ſui accitus, magnis delectibus habitis, ad vindicanda imperij jura, ad hoſtes à conatu ſuo repellendos, domandosq;, ad anteceſſoris ſui ſententiam in Robertum exequendam, in Italiam caſtra movit. Has expeditionis hujus cauſas Aventinus memorat, *a.* poſtremæ nominatim quoque *b.* Pandolphus Colonucius meminit. *Ludovicus Bavarus in Italiam it.*

Itaq; omnibus in citeriori Italia motibus ac tumultibus ſedatis, ditionibus & civitatibus, quæ ab obſequio & fide Imperij receſſerant, in deditionem acceptis, *Ludovicus* ſuperato Apenino, & adjuncto ſibi in Hetruria Caſtrutio, Romam cum veniſſet, ſolenni Epiphaniorum Anno 1328. pro more conſecratus, & Imperator ſalutatus; Ioanne XXII. pontificatu ex concilij decreto abdicato, in ejus locum Nicolaum IV. ſurrogavit. Id quamobrem factum ſit, licet ex ijs, quæ jam diximus, de controverſia Cæſaribus à Pontificibus, de jure dignitatis poteſtatisq; illata, ſatis intelligi poſſit; tamen longè apertius clariusq; perſpicitur ex publico edicto à *Ludovico* Reginoburgi, in principum ac Ordinum Imperij ſententiam edito: quo decretum Iohannis XXII. ante annum contra *Ludov. IV. Romæ conſecratus Papam dejicit.*

a. *d. lib. 7. P.* b. *d. lib. 5.*

Google

ſe publicatum refutat & abrogat. Utrumq; & a. Pontificis & b. Imperatoris, cum apud alios, tum Aventinum extat, quę in tabularijs & Bibliothecis

Papa decreta contra Imperium Germanicum.

Bojariæ cuſtodiri, idem narrat. Nā Ioannes XXII. in illo diplomate non priorum modò Pontificum decreta, quibus, jure Imperij imminuto, dominatum ſuum propagabant, renovavit: ſed aliis etiam novis, magis adhuc deteſtandis, & Reip. Germaniæ exitioſis, & ad cupiditatem ſuam accommodatis, cumulavit. Affirmat enim; *Germaniæ Regibus Imperium Romanum Pontificum beneficio datum; electos à Septemviris Principibus, non ante Cæſares habendos, quam à Pontificibus idonei fuerint judicati; nec ante eis vel regij tituli, vel Rempubl. adminiſtrandi jus eſſe, quàm id ratum habuerint, approbarintq; Pontifices; Electoribus jus eſſe deſignandi Imperatores, at confirmandi poteſtatem Pontificum propriam eſſe: in interregno ſummam rerum eſſe penes Pontificem: Duobus, à diſſidentibus in comitijs Imperatorijs Electoribus, deſignatis, neutrum vel regem Cæſaremq; eſſe, vel appellari debere; ſed arbitrium poteſtatemq; regendi ad Pontifices, tanquam Dei vicarios derivari.*

Itaque quòd *Ludovicus* his decretis ſpretis, non ſolùm Regium nomen uſurpaſſet, ſed etiam non ſecus, ac ſi plenum jus moderandi Remp. ſibi ab

Ludov. IV. cur excommunicatus

eo commiſſum fuiſſet, ſe pro Cæſare geſſiſſet; eum ex piorum conſociatione exterminavit. Hæc præcipua capita reliquis præteritis, hîc commemorare placuit. At contra *Ludovicus* in conſtitutione ſua, ſe ritè lectū, ac à majori parte principum inaugura-

a. *lib.7.p.760.* b. *eodem libro p.762.*

tum probat & quæ à Pontifice poſita ſunt axiomata, ea falſa, abſurda, ementita, & à curatione Pontificia protinus aliena eſſe, certis teſtimoniis & conquiſitis rationibus oſtendit: quibus pleroſq; eius ætatis clariſſimos viros, ut ante indicavi, Theologos, Juriſconſultos, Philoſophos, aliarumq; diſciplinarum ſtudioſos ſibi conjunxit.

Erant aliæ quoq; cauſæ Joanni, quòd *Ludovicum* in hoſtium numero haberet, & ſacrorũ commercio excluderet, quas in decreto ſuo diſſimulavit. Harum aliquas Aventinus *a.* & Platina *b.* referunt; plures tamen Aventinus; ex quibus etiam hæc commemoratur, quòd *Ludovicus* proceribus & civitatibus in fide manentibus, & Gibellinis opitulatus eſſet, quos ille everſos totamq́; Italiam imperij poteſtati exemptam, ſui principatus amplificandi cauſa cupiebat. At Ioanne de pervicacia ſua omninò non cedente, & in ipſum Imperatorem majorem ſibi indies poteſtatem arrogante, Ludovicus poſt ſuſceptum Imperatorium diadema coacto Antiſtitum ac Principum tam Italiæ quàm Germaniæ, Romæ ſenatu; & in Pontificum ambitionem & dominandi libidinem graviſſimis ſententijs dictis, Ioanni XXII. Pontificatũ ex concilij ſententia abrogavit; eoq́; nomine aliud edictum, in quo, quorſum inſolentia Romanorum Pontificum proruperit, commemoratur, univerſo populo Romano, omniq́; ſacerdotum ordine, ejus rei gratia convocato, pro concione 18. April. promulgat: quod ipſũ quoq; integrũ Aventinus recitat. *c.*

a. *d. lib. 7. p. 759. & 760.* b. *in vita Ioan. 22.* c. *Avent. lib. 7. fol. 770.*

His rebus confectis Robertum adoriri conſtituit. Ac ſi omni vi *a.* belli in eum converſa, nullam moram interpoſuiſſet, regnum ejus facilè ſubigere potuiſſet. At re conſultationibus opinione diutius tracta, interea hoſti ſe confirmandi locum dedit; Ita, ut ſæpè fieri ſolet, nimirum deliberando, diſputandoq; rei benè gerendæ facultatem amiſit.

Principes Cæſareani, non Papani.

Priorem etiam conſtitutionem, quadriennio ante Ratiſbonæ, ingenti omnium procerum ac ordinum conſenſu, ſancitam modò indicavi. Frequentes enim principes convenerunt, ex quibus Aventinus *b.* Matthiam Moguntinum, Henricum Colonienſem, Iohannem Regem Bohemiæ recenſet. Hi Iohan. XXII. decreta contra Imperij majeſtatem & Cæſaris dignitatem, non ferenda cenſuerunt, eoq; graviſſima illi pœna irrogata, qui ea tueretur, irrita eſſe juſſerunt.

Benedict. Papa maleficus.

Ioanne è vivis ſublato, Benedictum X, qui communiter XII. appellatur, ſubſtitutum, ſtatim acta & decreta illius in Ludovicum IV. probaſſe, *c.* Platina tradit. Marius quoque ſcribit, Benedictum pontificatu ſuſcepto, nihilo erga Ludovicum benigniorem, execrationes Ioannis XXII. in eum renovaſſe, nec Ludovicum Bav. regio ſolùm honore, ſed & ducatu Bavariæ, ſententia ſua privaſſe: eundem tamen Cæſarem in ſocietatem Ecclesiæ recepiſſe, & publicè magnanimum, egregium, & Chriſtianum Imperatorem prædicaſſe; quamvis ſubjungat, Benedictum hoc non ex ani-

a. *Avent. lib. 7. pag. 772.* b. *lib. 7. p. 762.* c. *in Benedicto 12.*

mo, ſed

rro, ſed ficto officio feciſſe; ut ſibi eò melius à re- "
ge Franciæ, quo cum ei ſimultas erat, cavere poſ- "
ſet. Aventinus verò refert, cum *Ludovicus* ad Benedictum, *Rupertum* Palatinum Rheni, Rudolphi fratris ſui filium, & *a.* Wilhelmum Iuliacenſem, generum ſuum, miſiſſet, eum cum Cæſare in gratiam redire conſtituiſſe, & propterea acta Iohannis contra eum reſcidiſſe, & pro nihilo duxiſſe. At legatos, tracta triennium amplius apud Pontificem mora, tandem re infecta reverſos, renunciaſſe, ipſum quidem Benedictum à pace & concordia non abhorruiſſe, verum ad Regis & Cardinalium, non ſuum arbitrium, vivere, quorum conſiliis ſit in Imperatorem exacerbatus, qui maluerint, res imperij afflictas quam florentes, & Germanos ſtolidos, quàm circumſpectos eſſe. Atque hæc Aventini narratio mihi probabilior, quàm Platinæ & Marij eſſe videtur. His rebus à legatis expoſitis, Electores *b.* omnes & pleriq; Germaniæ Principes, Antiſtites, Optimates, & imperij ordines atq; Clientes in pomario vici Rhenoſeji, Anno Ch. 1338. frequentes conveniſſe, ubi ſexta die Iulij concione vocata, ſacramento prius rogati ſciverunt; Cæſari *c.* ut primùm electus ſit à Septemviris, more majorum, liberum & plenum adminiſtrandæ Reip. jus poteſtatemq; eſſe, nec ei vel Pontificis Romani, vel ullius alius aut approbatione aut confirmatione opus eſſe. Itaq; qui vel omnium Electorum, vel majoris partis ſuffragijs ſummæ imperij præfectus ſit, ei ut vero & legitimo "

Germani contra Papam decernunt.

a. *lib.* 11. *p.* 777. b. *Idem Avent. d. p.* 777. c. *Aventin. d. pag. Albert. Crantzius lib.* 9. *c.* 15. *Saxonia.*

„ Imperatori, ab omnibus, qui imperio ſubjecti ſint,
„ parendum, nec ullam vel conſenſus vel autoritatis
„ Pontificię rationem habendam. Quod ſi quis con-
„ tradixerit, feceritve; omnibus eum clientelis & be-
„ neficijs, quæ ab imperio tenet, ipſo jure privatum
& crimini læſæ majeſtatis obnoxium.

Porrò cum ſententia hujus conſtitutionis, quam Aventinus ſuis verbis expoſuit, congruat cum illa, quam Coloniæ datam Albericus Roſates commentariis ſuis, *a.* nullo tamen die, menſe vel anno appoſito, inſeruit, aut eandem eſſe, aut illam per hanc renovatam exiſtimo.

Sic cum eodem anno Eduardus Angliæ Rex, ad *Ludovicum* Imp. affinem in Germaniam trajeciſſet, is proceribus, ac ordinibus imperij Francofurtum convocatis, præſentibus Angliæ *b.* & Boemiæ Regibus, & Italiæ proceribus, recognitis iis, quæ in conventu Rhenoſejo decreta ſcita eſſent, non modò ſe ſumma vi illa juraturos omnes ſacramenti religionę confirmarunt, ſed & alia plura capita pro dignitate & autoritate imperij ſanciverunt. Nam iterum Acta Iohannis XXII. reſciſſa & pro nihilo facta ſunt. Conſtitutum eſt, ſi quis Pontificia illa decreta, quibus Cæſarem exautoravit, & ditionibus imperioque abdicavit, abſque Concilij decreto approbarit, Imperatoremq; ex piorum ſocietate exterminatum, & poteſtate ſua privatum dicat; eum contra Rempublicam feciſſe videri. Huius generis duæ extant *c.* conſtitutiones, quarum altera ſexta, altera octava die Auguſti Anno 1338,

a. *ad l. Benè à Zenone.* b. *Avent. lib. 7. p. 778. Crantzius d. c. 15.* c. *Avent. lib. 7. p. 779.*

no 1338,

no 1538. Francofurti edita eſt. Illa acerba in Pontifices, quod & doctrinâ & vitâ à ſacroſanctis ſcriptis, divinis legum ſcitis, & religione Chriſtiana alieniſſimi ſint, invehitur, & ſuas ac imperij injurias pro poteſtate imperatoria perſequitur. Has criminationes Pontificias confutat, falsò ſibi ſummam poteſtatẽ affingere, & Imperatoribus eripere, & autoritatibus & argumentis demonſtrat.

Harum conſtitutionum, huiusq; celeberrimi conventus meminit Albertus Crantzius, *a*. & in iis multa à republic. de utilitate imperii ſancita ait, ac capita aliquot exponit, quorum quædam modò commemoravi.

Eundem hunc Eduardum fuiſſe puto, qui in ſententiam procerum regni Anglici, ad poſtulata ſubditorum literas ad Pontificem, Clementem VI. ut exiſtimo, dedit, quibus ab eo petiit, ne ſacerdotia, Eccleſiarumq; functiones, pro arbitratu ſuo quibuslibet in ſuo regno cõferat, ſed ſibi Eccleſiarum munera ſuis ordinibus diſpẽſandi & diſtribuendi ius liberum relinquat, quod & olim ex inveterata conſuetudine habuerit: Maiores ſuos & regni primores, & templa extruxiſſe, & idoneos conſtituiſſe Antiſtites, & divinarum curationũ miniſtros: nũc verò ſibi à Pontifice eo munere indignos obtrudi. Ac quidẽ cum in illis ſanctionibus apertè negetur talem poteſtatem, qualem Põtifices in ſuis decretis, & in his etiam Clemens V. *b*. & à Chriſto conceſſam Petro, & ab hoc ad ſe, ut eiuſdem Petri ſucceſſores derivatam magnificè jactant, iis un- *Eduard. Anglus.*

a. *lib. 9. cap. 15. Saxoniæ.*
b. *in d. Clem. Paſtor.*

In primatum Papæ. quam datam eſſe: ſed ex ſacroſanctis ſcriptis probetur, Dominum ipſum non ſolum diſcrimen inter Eccleſiaſticam & civilem poteſtatem feciſſe, verùm etiam diſertè Reges gentium & populorum, à Petro, aliisq; diſcipulis ſuis ſegregaſſe, cum ad illos dominatus & principatus civiles, non ad hos eorumq; poſteros pertinere dixit, quibus Eccleſiaſticas curationes commiſerit; oſtendatur etiã Romanis imperatoribus, Chriſtum & divos Apoſtolos honorem & obſequia & obedientiæ officia præſtitiſſe, & mandaſſe, ut Cæſari, quæ ſui juris ſunt, omnes homines reddant, ac in civilibus ei morem gerant, ut à Deo conſtituto magiſtratui; perſpicuè inde colligitur, Clementis V. interpretationi de pleno jure poteſtatis pontificibus in ejuſmodi rebus commiſſo, præſertim in ipſum met principem nullo pacto locum eſſe poſſe. Admonentur etiam in iiſdem, quia ſe ſpeciatim Petro ſucceſſiſſe glorientur, ut ejus inſiſtant veſtigiis, ejusq; conſectentur exemplum, qui in Republ: nullam utiq; ſibi juriſdictionem, nullam poteſtatem, nullum imperium ſumſerit. Unde infertur, nihil abſurdius, nihilq; inſulſius eſſe, quàm quod & à Clemente V. & aliis Pontificibus illud dictum Chriſti. *a.* quo Petro & omnibus Apoſtolis miniſterium Evangelij commendat, detorqueatur ad dominatus ſui, in rebus civilibus, maximè in Imperatores, comprobationem & confirmationem. Eodem etiam teſtimonio illos abuti, cum inde oſtendere conantur, Chriſtum vicem ſuam Petro, & per eum ſibi commiſiſſe. Et ſanè id ita eſſe, vel

a. Matth. 16. c. Tu es Petrus, &c.

medio-

mediocriter in ſacroſanctis ſcriptis eruditus nullo negotio intelliget, ſi locum illum rectè ponderaverit. Inde Fontanus annotat, *a.* Ioannem Walkirchium, Lutheranæ, ut ipſe ait, factionis, aſſuiſſe hæc, *quæ inde ſibi Pontifices affinxerunt, ex nullo loco minus probari.*

Iam quod idem Clemens V. *b.* & Ioannes XXII. *c.* in prima ſua bulla contra *Ludovicum IV.* aſſerunt, cum ad interregnum ventum eſt, imperij adminiſtrationem ad ſe pertinere, id Pontifices arroganter & impudenter confinxiſſe, & commentos eſſe; ut quod juris eſt *Palatino Electori*, id in ſe transferrent, idem *Ludovicus Cæſar*, & Imperij Principes ac ordines in *d.* comitijs Ratiſponenſibus cenſuerunt, & in edicto ſuo ibidem in publico Anno 1324. propoſito confutarunt. Sed & in magnis illis comitijs Francofortanis Anno 1338. habitis, futile hoc vanumque commentum, irritum factum eſt. Nam *e.* Crantzius inter cætera hoc quoq; decreto confirmatum ait, quòd nulla autoritate ſcripturæ, nulla ratione, ſed ſola uſurpatione, vacantis imperij adminiſtrationem ſibi Pontifices uſurparint. Itaq; cum id ſit contra *f.* majeſtatem imperij, libertatem Germaniæ, receptam conſuetudinem, quia more majorum ab infinita memoria *Elector Palatinus* in interregno vicem Cæſaris teneat, ejus juriſdictionem exerceat, Imperij negotia tractet, ejuſdem beneficia clien-

Papa non eſt vicarius Imperij.

Elect. Palat. vicarius Imp.

[a]. *in marg. additione ad verbum vicarium, ad dict. Clem. Romani.* [b]. *d. Clem. Paſtoral.* [c]. *in prima ſua bulla adverſus Ludovicum 4.* [d]. *Aventin. lib. 7. p. 765.* [e]. *d. lib. 9. d. c. 13. Saxoniæ.* [f]. *Baleus in Benedicto 12.*

tibus conferat; decreta illa Pontificia pro nihilo habenda, & inveteratum morem ſervandum eſſe placuit. Nec verò Principes ſatis ita ſe dignitati imperii honoriq́; ſuo feciſſe exiſtimarunt: ſed peracto conventu, Cæſare Francofurti commorante, inde diſcedentes, cum iterum in *a*. Pomario illo ad Rhenoſcium coiiſſent, ſacramento ſe mutuo obſtringunt, ſe Maieſtati imperii non defuturos, operamq́ue daturos, ne quid detrimenti capiat. Defuncto Benedicto & Clemente VI. Pontifice creato, *Ludovicus b*. amore Reipub. Chriſtianæ ad eum de pace legatos magni nominis miſit. At Pontifex & Cardinales ea re elati, quod exiſtimarent, ad quos legati mitterentur, iis autoritatem attribui; cum per triennium legatos detinuiſſent, quarto demum anno à ſe cum mandatis dimittunt, quorum ſumma erat: non ante in ſocietatem Eccleſiæ *Ludovicum* reſtitui poſſe, quàm ſi quæ ab ipſo acta & decreta adverſus Ioannem XXII. eſſent, reſcinderet, & edicto publico ſanciret, *Cæſares Imperium beneficio Pontificis obtinere, nec ante quem Cæſarem exiſtimandum, quam Pontifex autor fiat*. Hæc igitur ubi Imperator accepit, coactis Francofurti comitiis, *c*. decreto procerum & ordinum hæc Pontificis poſtulata, ut iniuſta, arrogantiæ & ſuperbiæ plena, Chriſtianæ religioni, & maieſtati imperii contraria, irrita eſſe iubentur. Pontifici & Cardinalibus Avinionenſibus exprobratur; quòd cupiditatibus

Faſtus Pōtificum.

Repreſſus.

a. *Aventin. lib. 7. pag. 781.*
b. *Avent. lib. 7. pag. 783.*
c. *Avent. lib. 7. pag. 784.*

ſuis

ſuis nullum nec modum nec finem ſtatuant: quod " quicquid eis libeat, licitum putent. Rogati Theologi Pariſienſes, & Iuriſconſulti Bononienſes reſponderunt, Decreta Pontificis non ſolùm iniuſta & improba eſſe, ſed & cum doctrina Chriſti & Apoſtolorum pugnare.

Biennio poſt Imperator certior factus, per Pontificē à Cæſare abalienatos & depravatos tres Electores, privatis interim inter ſe conſiliis initis ad alterum Regem ſubrogandum in agro Treverenſi coiiſſe, *Carolum* Iohannis Bohemiæ Regis filium, Cæſarem legiſſe, Spiræ concilio principum indicto; relatione facta de Pontificum in ſe inſolentia, fraudibus & iniuriis, de defectione quorundam Septemvirorum, de *Caroli* Ioannis Regis Boemiæ filii regnum appetentis ambitione; eorum permittit arbitrio, ſene, cuius clementiam, fidem, conſtantiam hactenus perſpexerint, rebus præeſſe, an *Carolum* regnare malint. *a.* At hi & Pontificem, & ab eo inductos Principes res novas molientes, & *Carolum* imperii cupidum execrati, *Ludovico* à Deo imperii ſummæ præpoſito, iterum ſacramentum dicunt. His rebus denuò Doctorum ingenia excitata, ut acrius dominatum Pontificum inſectarentur, & diligentius de diſcrimine Eccleſiaſticæ & civilis poteſtatis diſputarent, Aventinus *b.* tradit. Ex his nominatim meminit Lupoldi Epiſcopi Bambergenſis ex antiqua equeſtris ordinis familia. *c.* in Francia Orientali nati, & Wilhelmi Occamenſis, quem ait, *d.* non modò in Clementem, ſed in *Carolum* librum ſcripſiſſe.

Archiepiſcopi El. defi sunt à Ludov. B.

a. *Avent. p. 785.* b. *lib. 7. pag. 787.* c. *ab* Egloffſtein. d. *pag. 785.*

Digitized by Google

Sed quorſum, dicat quis, tam multa? ut intelligatur, meritò Cynum illa pontificia decreta aſpernatum eſſe, quæ non modò Cæſar qui res tenebat, ſed etiam plerique Principum & ordinum Germaniæ conſentientibus animis, ut à Chriſti, Apoſtolorum & veteris Eccleſiæ doctrina, & à functione religioſa diſcrepantia averſati, aliis ſuis conſtitutionibus irrita fecerunt.

Lud. Bavari laus. Erat Ludovicus IV. & excellentis ingenij, & ingentis animi; Itaq; majeſtatis, dignitatis juriſq; imperij ſummus propugnator & vindex; in quam curam & cogitationem, ſi eadem alacritate & conſtantia, qui eum inſecuti ſunt, Cæſares, incubuiſſent, non ea detrimenta Imperium à principatu Pontificio accepiſſet, quæ jam inde ab Herois hujus obitu uſq; ad patrum noſtrorum memoriam ei illata fuerunt.

Sed quo me rei indignitas abripuit? Itaq; ad rem redeo. Ex his non eſt difficile intelligere, utrum Cynus cum Ius civile profiteretur, & Pontificia decreta à Cæſarum conſtitutionibus directè diſſidere intelligeret, pluris illa, quàm has legeſq; aliorum Chriſtianorum Imperatorum Iuſtinianeo codice comprehenſas facere debuerit. *Ius Pap. putidum.*

Verùm dum Cynum à criminatione Panormitani liberare conſtitui, longius diſputando provectus ſum, quàm vel ipſe ab initio propoſueram, vel inſtituta ſcriptio patitur. Eadem etiam vel defenſione vel depulſione ad Cynum è culpa eximendum utor adverſus præpoſitum Alexan. qui idem in *a.* Cyno culpat. Quod ſi Stephanus Federi-

a. in c. per venerabilem. §. 1. n. 135. qui filij ſint legitimi &c.

ſus a.

cus *a.* diligentius antea & illa ipſa pontificia decreta *b.* quibus & imperii juri detrahere, & poteſtatem ſuam amplificare Pontifices conati ſunt, momento ſuo ponderaſſet, & rationes quibus Cynus permotus eas deſpexerit, accuratè perpendiſſet, non tam facile atque temerè Cyni reprehenſoribus aſtipulatus fuiſſet, dum ſcribit ſæpe, meritò Cynum reprehendi, quòd in conſtitutionibus obſcuris & difficilibus explicandis non ſecutus ſit juris Pontificij diſſolutiones & interpretationes, & quòd ius Iuſtinianeum ab illo diſcriminarit, ſtatueritq́;, illud ab huius erroribus non proceſſiſſe. Animadvertit enim, illud ex puris Philoſophiæ & naturalis rationis fontibus manare; hoc autem ex lacunis ſæpe cupiditate potentiæ & opum infectis profluere. Unde indignum ratus eſt, quibus fontes præſtò ſunt, eos fecibus delectari. Idem Cynus *c.* eos irriſit, qui cum autoritate legum niti poſſent, teſtimonia ex jure Pontificio conquirerent; cum eos illis ſimiles eſſe dixit, qui neglectis theſauris, quibus potiri poſſint, ab inopibus & tenuibus ſtipem exigant. Nam jus civile cum theſauro, Pontificium verò cum ſtipe mendicorum contulit. Idem *d.* Cynus mota hac quæſtione, an matrimonium inter perſonas eas initum, quibus legibus & conſtitutionibus uſque ad certum

Ius Pontificium lacuna.

a. *De Federicis in tract. de jur. interpretat. in ult. parte. nu.* 106. b. *veluti d. c. paſtoralis. d. c. Ran. de jurejur. & Bonifacij. 8. Ioannis 22. aliorum his ſimilia.* c. *verba Cyni ſunt, manus habentes extra Gazophylacium Theſauri Iuſtinianei, apud mendicantes meritò vadunt mendicatum.* d. *ad finem l. ult. Cod. de interdicto matrim.*

tempus,

pus,

tempus, id eſt, *a.* interdictum, vel contra mandata principum contractum. *b.* jure Pontificio valeat, commemorata Goffredi * & Ioannis Andreę ſententia, qui ſenſerunt id iſto iure ſubſiſtere, niſi eodem ſit diſertè prohibitum. *c.* ea deſpecta concludit, ad ſucceſſiones quod attinet, ſequendum eſſe jus civile, etiamſi contrarium ſtatutum ſit jure Pontificio, quia eo, quod in iſto articulo jure civili prohibetur, tolli non poſſit. Quapropter contra idem jus Pontificium cenſet, ex damnato coitu ſuſceptos, matrimonio quod ſubſecutum eſt, inſpectione juris ſuccedendi legitimos non fieri, quod in diſceptationibus ſucceſſionum jus Civile, non Pontificium ſit ſpectandum: id quod autoritate Iacobi Ravennatis confirmat. *d.* Baldus hac Cyni ſententia relata, quod cum diſputatur de liberis, legitimine facti ſint, an non, reſpectu ſucceſſionis in ditionibus imperij, ſemper jus civile ſit obſervandum, diſtinctione quadam ſubjuncta, ei locum eſſe poſſe exiſtimat, ſi de effectu matrimonij, veluti ſucceſſione eorum liberorum, qui legitimi facti ſunt, tractetur: ſubdit tamen, Pontificij juris interpretes id non eſſe admiſſuros.

Baldi criminationes vana.

Cum enim eorum ſit judicium de principali, etiam quæ inde conſequuntur, ſive Eccleſiaſtica ſint ſive civilia, notioni eorum ſubeſſe. At idem *e.*

a. *titu. Cod. de interdict. matrim. inter pupill. & tutor. liberosq́ eorum, &c.* b. *l. ſi quis officium. l. eos qui ff. de ritu nuptiarum. l. & ſi contra. Cod. eodem.* *. *alij Gaufredum vocant.* c. *cap. penult. & ult. extra de ſecundis nuptiis.* d. *ad d. l. Et ſi contra. num. 3.* e. *ad l. Paulus. nu. 3. & in additione ad d. l. nu. 1. ff. de ſtatu hom.*

Baldus

Baldus de eadem ſucceſſione liberorum, qui legitimi facti ſunt, differens, vitio vertit Cyno, quòd ſtatuerit, eum articulum ex jure civili definiendum eſſe. Et eadem allata ratione, quòd acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, infert, ſicut ſequẽdum eſſet jus Pontificium, ſi de principali quæreretur, id eſt, de matrimonio ipſo, ſic & cum de effectu ejus, id eſt ſucceſſione liberorum, qui vi matrimonij legitimi facti ſunt, agitur, idem jus Pontificium attendendum eſſe. Itaq; in priori expoſitione *a.* ei objicit, quòd ſomniarit in Parnaſſo, (eum quoq; poëti vacare, notans) in poſteriori *b.* verò apertè eum erroris coarguit. Siquidem jus civile à Pontificio eſſe correctum; itaq; huius non illius rationem habendam eſſe, tam in quæſtionibus, quæ ex effectu matrimonij ſuboriuntur, quam in quibus de ipſomet matrimonio agitur.

Verùm ſi hanc controverſiam diſceptare voluerimus, redeundum foret ad diſputationem de jure dignitatis inter Cæſarem & Pontificem, *utrum Pontifici licuerit earum rerum notionem ſibi ſumere*, de quibus imperatores cognoviſſe & iudicaſſe, ex codice tam Theodoſiano quàm Iuſtinianeo conſtat: utrum Pontifici derogandi legibus Imperatorum Chriſtianorum, qui à Conſtantino Magno uſque ad Iuſtinianum, ut poſteriores mittam, rerum potiti ſunt, ius ſit & poteſtas. At hæc modo diſquirere nimis longum foret. Ac, ut detur Baldo, iuris eſſe Pontificii, iuſtum ne ſit an iniuſtum matrimonium, decernere: tamen non idcirco eius etiam erit de iure ſucceſſionis, cum id merè ſit civile, cognoſcere & diſceptare; quoniam

a. ad d. l. Paulus. b. ad eandem leg. Paulus.

ratio aperta diſſimilitudinis reddi poteſt. Itaq; in meis annotationibus oſtendi, veriorem eſſe Cyni quàm Baldi ſententiam, qui cum modo Cyni ſententiam defendat, modò rejiciat, à ſe ipſo diſcrepare videtur. In judiciis quoque & tribunalibus imperij, receptior eſt Cyni opinio.

Faciliorem autem Baldum in notando & criminando Cyno, quàm par erat, deprehendi. Nam ejus de concurſu actionum, quæ legatariis adverſus hæredes pro conſequendis legatis tribuuntur, opinionem improbat. Etenim Cynus *a.* ex ſententia Alberti Sal. ſtatuit, electa à legatario actione perſonali, nihilominus adhuc eum rei vindicationem inſtituere poſſe, quando dominium ex jure ſpeciali ei competit. At Baldus id negat: contendit enim rei vindicationem, qua quis experitur pro legato, eſſe regularem, propterea quod ex vero Dominio naſcatur. Iure igitur communi, non ſpeciali dari. Sed Caſtrenſis ſententiam Cyni probat, quam etiam Petrus Philippus *b.* Cornerus tuetur. Ac tametſi Bartolus & Salicetus quam in partem eant, expreſsè non declarent, tamen quia hanc Cyni opinionem ultimo loco recitant, eam illis non diſplicere inde Cornerus colligit. Sed & alijs pluribus exemplis oſtendere poſſem, Cyno Baldum non ſatis æquum fuiſſe: verùm cum jam modum præfationis exceſſerim, ijs ſuperſedere viſum eſt, præſertim quòd de illis pluribus in meis quæſtionibus diſputaverim.

a. ad l. 1. num. 7. Cod. communia. de legatis. *b. ad d. l. 1 Cod. communia de legatis.*

Quod

Quod autem Wilhelme Princeps Illuſtriſſime, ad T. C. Cynum mitto, & ſub tuo nomine Typis, vt vocant, impreſſum, & à me emendatum edo ac divulgo: animi mei erga te inductio & obſervantia facit. Nam quòd ea, quæ tibi & fortuna & natura dederunt, ampliſſima commoda, vt illuſtre à majoribus tuis inclytis Germaniæ Principibus jam per multas ætates propagatum genus, vt magnam potentiam, vt ingentes opes ſingularibus ingenij dotibus & præclaris animi virtutibus cumulaſti atq; exornaſti: proborum & literatorum virorum animos atq; voluntates mirum in modum tibi devinxiſti. Nam licet laudatiſſimus Princeps pater tuus tribus tuis fratribus certas aſſignarit ditiones: tu tamen quaſi moderator eorum ab eodem conſtitutus principatum adhuc feliciter fortunateq; adminiſtras, ita vt pacem ſubditis tuis retineas, cum vicinis amicitiam geras, niſi ad illorum propulſandas injurias arma tibi ſint capienda. Inprimis verò tria illa ſumma Reipubl. firmamenta & ornamenta, Eccleſiam, Curiam & Academiam ità tueris, ita colis, vt & Eccleſia pijs idoneisq; ſacrarum curationum adminiſtris, & Curia prudentibus Senatoribus, ac lectis judicibus: Academia doctiſſimis in omni genere diſciplinarum viris floreat. Quare quamdiu hæc tibi curæ ſunt (ea autem es conſtantia præditus, vt tibi cordi ſemper fore non dubitem) metuendum non erit, ne in ditionibus tuis vera de Deo doctrina obſcuretur, & in his religionis diſſidiis animi & doctorum & auditorum pernicioſis diſſenſionibus & concertationibus disjungantur: boni à malis, tenuiores à potentioribus vel dolo circumveniantur, vel vi premantur, literarum ſtudia ineptorum & imperitorum barbariè deformentur. Hæc ſummarum

marum virtutum, pietatis, juſtitiæ, prudentiæ, liberalitatis, præcipua ſunt officia, quæ fructus longè ubertimos proferunt. His enim & eorum qui rebus præſunt dignitas, & Reipubl. ſalus, & civium atq; ſubditorum incolumitas continetur. Ex his & vera gloria & ſolida felicitas proficiſcitur. At hæc omnia fiunt illuſtriora, ſi ad ea & amor erga literas, & propenſio in viros ſtudioſos & eruditos acceſſerit. Sed hæ laudes licet magnæ ſint; tamen tibi non ſolùm cum fratribus tuis, ſed & cum aliis benè moratis principibus ſunt communes, qui eadem mente, eodemq; ſtudio erga religionem, juſtitiam & liberalium doctrinarum ſtudia tenentur. Verum hæc propria tua laus eſt, quòd non modò literas amas, doctosq; homines complecteris, ſed & ea ſis eruditione ac doctrina, qualis non facile in aliis tui ordinis invenitur. Quo enim plures tui loci, vel ab optimarum artium ſtudiis ſunt alieni, vel earum cognitione deſtituti, eò in excelſiori gradu eorum gloria poſita eſt, qui & literas propagant, & ſtudioſos earum fovent, & ipſi doctrina ſunt politi. Hi ſummi homines, vereq; Principes nobilitatis & habentur, & à doctis, qui omnium graviſſimè propter rerum cognitionem his de rebus judicant, coluntur. In his tu hodie primas obtines: cum quod in aliis laudandarum doctrinarum ſtudiis præclarè ſis inſtitutus: tum quod in Mathematicis diſciplinis ita excellas, ut pauci etiam ex iis, qui humili fortuna illis penitus ſe dederunt, tecum ſint conferendi. Quare hæc tua ſplendidiſſima, hæc tua maxima laus, quod illi ſpe vel facultatum acquirẽdarum, vel dignitatis conſequendæ adducti in iis elaborarunt: Tu verò non niſi admirabili earum amore excitatus, quarum præſtantem formam animo cernebas, ita iis es dele-

delectatus: vt omnem iſtarum reconditarum artium vim ſcientia & cognitione comprehenderis. Digna ſanè ſunt, tum propter multiplicem rerum varietatem & ſubtilitatem, tum propter illorum excellentiam, qui in perveſtigatione earum verſati ſunt, quibus ſummo loco nati ſtudeant. Itaq; olim etiam omni genere laudis cumulati Principes ac Reges tantum illis operæ dederunt, vt perfecti quodammodo in iis extiterint. Ac in ſummo eas honore quondam apud Græcos fuiſſe, Cicero a. teſtatur, itaq; nihil Mathematicis fuiſſe illuſtrius. Neq; verò ſolum iſta dignitate in pulcherrimis illis diſciplinis id es conſecutus, vt unus ſis ex ſummis: verùm etiam quod jam multò minus ſtudij in iis ponatur, atq; patrum noſtrorum memoria, quæ plus eis honoris fuit: ne neglectæ jaceant, ſtudioſos eorum & exemplo tuo confirmas, & benignitate tua ſuffulcis & ope ſublevas. Quocirca non hi modo quos opibus tuis foves, ſed omnes ingenuarum artium, liberaliorumq; ſtudiorum amantes te admirãtur & obſervãt. Cum enim hujuſmodi virtutes in principibus viris elucent, qui tanquam in ſpecula quadam in omnium ſunt conſpectu ſibi omnium bonorũ & doctrina præditorum virorum amorem & obſervantiam conciliant: ita vt nomen & memoriam eorum ſcriptis ſuis monumẽtisq; literarum celebrare & illuſtrare ſtudeant. Hoc ego quoq; ſtudio inflamatus, hæc te ſcripto affari, & laudes tuas attingere, & meam erga te obſervantiã declarare volui: Non quòd ignorẽ, tibi in Marpurgenſi Academia doctiſſimos viros eſſe, qui in hoc genere ſive ingenij, ſive exercitationis me longè ſuperẽt, & virtutes tuas multò melius exornare poſſint: ſed quod ſperẽ, hanc meã tum virtutũ tuarũ commemorationẽ, tũ animi erga te mei teſtificationẽ lõgiùs ab adulationis

a. *lib. 1. Tuſcul. quaeſt.*

aliave ejus generis ſuſpicione abſuturam, quòd tibi non modo nulla fide alióve ejus generis vinculo ſim obſtrictus, ſed & omninò, vt puto, ignotus. Nam ſi aſſentari conſtituiſſem, iis blandiri vellem, quibus & multum debeo, & quorum erga me ſingularem animi propenſionem perſpexi.

Cynum verò quem in tuo nomine apparere volui, his de cauſis iterum excudendum curavi, quod cum valdè & Juris ſtudioſi eum deſiderarent, & jam dudum Typographi excudere cuperent, tum vt a mendis, quibus priores æditiones plenæ fuerũt, vindicarem, tum vt obſcurioribus locis lumen aliquod expoſitione mea præferrẽ. Itaq; eum, quoad ejus à me fieri potuit, emendavi, errata & vitia quæ Typopraphorum negligentia irrepſerant, ſuſtuli, ſummaria quæ infinitis in locis deerant, adjeci, & amplius tertia parte auxi, multa inconſideratè annotata immutavi, multa alienum in locum temerè conjecta diſtinxi, & ordine diſpoſui. Quem cum invaletudine impeditus, tum occupationibus diſtentus totum de integro relegere non poſſem, rogatu meo D. Joannis Wogeſſerus egregiè & in literis & in Jure eruditus, patria Giſſenſis, quod eſt ditionis veſtræ oppidum, mihiq; magna neceſſitudine conjunctus eum iterum recognovit. Adhæc cum intelligerem difficiles eum nonnullis in locis habere explicatus: in eundem annotationes ſcripſi. Multas quoq; involutas quæſtiones explanavi, & in iis Cyni ſententiam vel in hanc vel in illam, aliquando etiam in utranq; partem rationibus & teſtimoniis expoſitis, nunc comprobavi, nunc improbavi; & diſcrepantibus inter ſe Interpretum opinionibus, quid mihi videretur ſubjeci. Ac tametſi hæc libenter huic editioni adjunxiſſem, tamen vt ab-

vt abſolverem, in his forenſibus judiciorum diſceptationibus, & affecta valetudine, planè fieri non potuit. Sed vt id opus tandem aliquando perficiam, & ſeparatim edam, ſumma cura & ſtudio incumbam, vt primum plus mihi ocij & temporis fuerit. Dignus autem eſt Cynus, in quem & ſtudioſi juris multum operæ & ſtudij conferant, & cujus tu patrocinium ſuſcipias. Nam & veritatis amans, & juris Imperatorij aſſertor, & ſuæ ætatis ſummus Juris interpres fuit. Cujus rei teſtes advoco juriſconſultos tuos, inſigni doctrina, prudentia & virtute viros, tam quos in conſilium adhibes, quàm quos Iuris Scholæ præfeciſti. Nam eos mihi conſentientibus ſenſibus Cynum tibi commendaturos non dubito. Reliquum eſt, vt tuam Celſitudinem orem, vt pro ſua in omnis generis doctrina ſtudioſos benevolentia, hanc meam operam atq; ſtudium ex amore & obſervantia erga ſe mea profectum, bonam in partem accipiat.

ORATIO PROBI FRANCISCANI, EPISCOPI TULLENSIS, Herbipoli in cœtu Eccleſiaſtico, tumultu, ob poſtulata Ioannis, Epiſcopi Tuſculani, Cardinalis, Honorij IV. Pontificis legati oborto, habita; ex Ioannis Aventini Lib. VII. Annalium Bojorum, ad verbum deſcripta.

QUOUSQUE, *Collegæ chariſſimi, Romulei illi vultures patientia noſtra, ne dicam ſtulticia abutentur? quouſq; eorum flagitia avaritiam, ſuperbiam, luxum tolerabimus? Non ceſſabit hoc genus Archiſynagogon peſſimum, niſi omnes ad egeſtatem, & ſervitutem duriſſimam redegerit. Diſcordia noſtra, hocce malum crevit: diſcordia noſtra, illi nebulones tuti ſunt. Nec unquam, quamdiu illi ſalvi fuerint; Chriſtianis feſtam pacem ſervare, ab armis feriari, pietatem inter ſe colere licebit. Nuper Saxones atq; Suevos inter ſe commiſerunt. Deinde divum* Fridericum II. *reipubl. Chriſtianæ utiliſſimum*, Conradum IV. *Suevos, atq; optimos Principes, imperio ſimul atq; vita privarunt.* ,, *In Germania diſcordiæ mala, Satanæ &* ,, *Antichriſti ſatrapæ ſeminarunt.* Conradum *poſtea in-* ,, *ſontiſſimum, immeritiſſimum, & optimæ indolis adoleſcentulum, prolem Divorum, jure gentium hæreditatem majorum repetentem, fraude, dolo interceperunt, ac crudeliſſimè necarunt. Suevos atque Francos Weſtriacos, inter ſe armis, veluti ſpectaculum ſibi, ac paria componentes commiſerunt. Deinde adverſus hos, Hi-*

ſpanos

ſpanos concitarunt. Nunc nos adverſus Galliæ atq; Hiſpaniæ proceres, cognatos noſtros, ex Germania quondam profectos, concitare nituntur. In memoria habete, quid ante duodecim annos ille ſanè egregius Decimus cum decimus egerit: idem Quartus cum Quartis aget. Ut illas Gregorius vigilantiſſimus à nobis emungeret, Scythas, Arabes, Turcas in nos armavit. Mentiar, niſi hoſce (nempe maximum vectigal) magis ſalvos, quàm nos eſſe velint. Divi Bernhardi conſecranei, quibus tamen ut amicis ille conſultum volebat, millibus aureûm nummis ſexcentis ſe redemerunt. Hic licet exiſtimare quanti illa conciliabula conſtent, quantùmve auri corradatur. Fallacia fallaciam trudit: atq; placita hujuſmodi argutorum hominum, magis more quàm ex bono atq; æquo, Satanæ illi lucem ſimulantes comminiſcuntur, quibus populo tenebras offundũt. Quæ nequaquam Chriſto Domino Deoq; noſtro cordi eſſe, exitus & opera (niſi planè cæci ſimus) probant, eventus docet, ſacræ literæ cantant. Proinde, patres Chriſto devotiſſimi, expergiſcimini, conſulite, ſuccurrite rebus perditis: reſipiſcite, atq; capeſſite Remp. Majores noſtri immunes imperij, tamen Romanos armorum ſtudioſiſſimos, diſciplinæ militaris peritiſſimos, gentium victores, rerum dominos, orbis terrarum domitores, humano generi finitimis imperitare permoleſtè tulerunt, eorumque imperium armis ſolverunt. Nos pueris atq; effeminatis (ne quid gravius dicam) æquo animo ſervimus. Qui ſit ille Tuſculanus, non ſum neſcius: novi hominis mores: aurifuga eſt, vanaliſq; fœnerator, atq; perfidus, vile pecuniæ mancipium. Ego minas ejus flocciſecero, ſenatumq; totius orbis Chriſtiani appello.

HENRI-

HENRICVS BEBELIVS IVSTINGENSIS LIBRO IV. TRIVMPHI VENERIS, *in fine: Ubi Apuliæ mentio.*

CArolus hanc primus, funeſto corde tyrannus
Perfidus obtinuit, dum Pontifices aliena
(Si bene dii norunt) donant, & regna miniſtrant;
Divitiis ſimul & Chriſto ſervire parati:
Conradini Ultimi ducis Suevorum interitus. Quod ſimplex Petrus neſcivit, & ipſe magiſter.
Hic Conradinum contra fas juſque Suevum
Atq; Hieroſolymæ regem necat impius auctor,
Inq; ſolo proprio, regnum propterq; paternum,
Ecce ducem puerum, quo tunc nec totus alebat
Nobilius germen mundus formoſius, atq;
Cæſareo à proavis deducens ſanguine ſtirpem.
Vindicta Deorum in Gallos. Cujus vindictam ramo milleſime ſentis
Galle ſub uſque diem hunc, longum ſenſure per ævum.
Tam ſcelus infandum comitabitur ultio ſemper,
Quo ſe nec Cacus, nec Cyclops polluit ullus,
Aut Phalaris, vel longa fide caritura vetuſtas.
Hinc *Siculis* oris mox *veſpera* dira ſecuta eſt.
Tot clades Galli, tot triſtia fata tulere
Tempore ab antiquo, ter noſtro tempore pulſi:
Ut gravius caderent, primo fortuna favebat,
In præceps demum ruerant, ſed Carolus ipſe
Heu manibus propriis legitur ſuſpenſus obiſſe.

FINIS LIBRI PRIMI.

NICOLAI
CISNERI
Opuſculorum
LIBER II.

In Quo

Oratio funebris Palatino,
HERM. LUDOVICO, D. B.

Memoriæ & honori PP. Palatinorum

FRIDERICI III. ELECTORIS PII,
& Conjugis
MARIÆ BRANDEBURGICÆ,
& Filiorum
H. LUDOVICI,
CHRISTOPHORI,
LUDOVICI ELECTORIS,
JOH. CASIMIRI, &c.

Dicata Carmina.

Oratio CHRISTOPHORI Palat. Ducis Bavariæ habita in Academia Heidelbergenſi.

Et ad eundem aliqua CLL. VV. Poematia.

T j.

Digitized by Google

DESCRIPTIO NUPTIARUM ILLUSTRIUM

& Generoſorum Comitum

PHILIPPI ab HANAW,

Dn. in Minzebergo, &c.

Cum

HELENA PALATINA Simerenſi,

&

PHILIPPI à LEININGEN,

Dn. Weſterburgi, &c.

Cum

AMALIA BIPONTINA,

Inſertis Hiſtoriis Palatinorum Rheni, & Nobilitatis, &c.

De Hiſtoriæ præſtantia, & *Joh. Aventino.*

De Saxonibus, aliisq́; Germaniæ veteris incolis, & Alberto Krantzio.

De Hiſtoricis Germaniæ methodicè diſponendis Epiſtola.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI Dn. LUDOVICO FRIDERICI PALATINI BAVARIÆ Ducis, Comitis Spanheimenſis & Simerenſis filio, Domino ſuo Clementiſſimo,

NICOLAUS CISNERUS S. D.

QUAM *acerbus non parentibus modò tuis, ſed etiam tibi, Princeps Illuſtriſſime, pro charitate fraternâ nuncius de optimi fratris tui* Hermanni Ludovici *obitu fuerit, facilè cuique noſtrum in hoc communi mœrore & luctu eſt æſtimare. Eam enim vix dum pubeſcens, & præſtantis indolis, & excellentis virtutis opinionem præbuit, ut nemo noſtrum ſit, quin in hoc Principe adoleſcente familiam veſtram inſigni decore & Rempub. Germanicam ſingulari ornamẽto orbatam eſſe intelligat. Quocirca cùm hæc calamitas non ſolùm veſtra*

Digitized by Google

genti propria, verùm univerſæ etiam Germaniæ ſit communis; omnes quotquot huc ſtudiorum cauſa Germani convenimus, ex immatura optimæ ſpei Principis morte, quàm maximum animo dolorem cepimus. Atque in hujus luctus noſtri ſocietatem, cùm omnes boni venerunt, tum verò incredibile eſt, quanto mœrore ex fratris tui interitu ejuſdem hoſpes Franciſcus Duarenus, *Iureconſultorum hujus Academiæ verè princeps ſit affectus. Nam quòd & omnia ampla atque egregia ab illo expectaret, & ſuavitate morum ejus plurimum delectaretur (ut ſæpe mihi cùm unà vir ornatiſſimus* Johãnes Cnodius, *agnati tui Electoris Conſiliarius, adeſſet, multis narravit) graviſſimè tulit, triſtiſſimo hoc caſu, tum ſumma ſe ea expectatione defraudari, tum jucundiſſima illius conſuetudine privari. Sed tametſi dolor noſter ab ea luctus acerbitate, in qua vos poſiti eſtis, aliquàntum abeſt: tamen mihi dubium non eſt, quin, quæ nos non mediocriter conſolantur, eadem etiam veſtrum mœrorem leniant. Quoniam enim ex primi parentis culpa ea omnes homines lege naſcimur, ut omninò omnibus nobis ſit moriendum: In tam certa re optima eorum ſit conditio neceſſe eſt, qui ita ex hac vita migrant, ut in meliorem transferantur. Horum in numero cùm ſit frater tuus,*

quem

quem in innocenti ætate vera Dei cognitione præditum deceſſiſſe ſcimus, cur tantoperè eo caſu mærebimus, quo ille vitam cum morte, non cum vita mortem commutavit? Etſi igitur opinione noſtra immaturus fratris tui ex hac vita exceſſus nobis videtur: tamen Dei conſilio peropportunus eſt, quod illum ad ſe tum evocare voluit, cùm nulla nobis dubitatio de æterna ejus ſalute relinqueretur. Itaq; ſi eum diligimus, ſi amamus, non eſt ita ut noſtro Reipublicæq; incommodo commoveamur, ut optimam Dei voluntatem, cùm ſumma illius, quem lugemus, fælicitate conjunctam, parùm pio animo interpretemur. Sed ineptus ego, quòd hic de his pluribus, cùm & hæc, & alia ad conſolandum appoſita remedia, vobis & commodius & plenius tum à pietate veſtra, tum à Doctoribus veſtris ſuppeditent. Ad id ergo de quo ab initio: Eas jam in prima ætate laudes frater tuus conſecutus erat, ut in ipſius virtute præclarum Reipub. ſubſidium, ſi longior vita contigiſſet, paratum fuiſſet. Has ego, ut quam in vivum obſervantiam declaravi, eadem etiam in mortuum conſtaret, brevi oratione, quam in illius funere habui, ſum proſecutus. Quam ut in lucem ederem, cùm à me hi contenderent, quorum nec judicium, nec voluntatem, nec autoritatem aſpernari debeo,

iis ſtudioſè magis, quàm prudenter morem geſſi.

Ad te autem, Princeps Illuſtriſſime, *quod hic à me ſuſceptum eſt, idcirco mitto, quòd poſt parentes tuos nemo mihi occurrat, ad quem id æquè pertineat. Ac quod adhuc propter ætatem à publicis occupationibus liber es, & jam aliquot annos ſub doctiſſimo viro* Nicolao Wintero, *diligenter ſtudia doctrinarum coluiſti, ita ut & propter otium plus temporis mihi tribuere poſſis, & propter animi tui in literas propenſionem velis etiam: Te quàm parentes tuos, gravioribus imperij negotiis occupatos, compellare malui. Hoc meæ in te obſervantiæ argumentum, ſi gratum tibi eſſe intellexero, ut eandem erga te aliquando majori in re perſpicias, operam dabo. Benè cum parentibus tuis vale,* Princeps Illuſtriſſime. *Biturigibus. Anno* L VI.

ORATIO NICOLAI CISNERI IN FVNERE ILluſtriſſimi Principis HERMANNI LUDOVICI, Palatini Rheni, Bavariæ Ducis, Comitis Simerenſis & Spanheimenſis, qui cum præceptore ſuo Nicolao Judice, Hieronymo Relhingo Patricio Auguſtano, Joanne Bellovaco Pariſienſi & nauta ipſo, in trajectu Avarici fluvij Biturigum inverſa navicula ſubmerſus eſt, anno ætatis ſuæ XV. & à Christo nato M. D. LVI. Calendis Iulij poſt horam ſextam pomeridianam.

VELLEM mein hoc luctuoſo Principis adoleſcentis funere id dicendo efficere poſſe, quod & divina ejus indoles merebatur, & illuſtriſſima Principum Palatinorum domus à me ſuo jure poſtulat, ut vos (*viri ornatiſſimi*) intelligeretis, quàm graviter familia Palatina afflicta ſit: cujus recens adhuc vulnus, quod longè graviſſimum ex prudentiſſimi ſenis *Friderici Principis Electoris II.* obitu accepit, nondum cicatrice obductum, omninò hoc florentiſſimi adoleſcentis interitu recruduit. Quod quidem tametſi omnibus eſſem, & à natura & ab arte inſtructus eloquentiæ præſi-

Digitized by Google

diis, tamen mihi perdifficile foret præſtare, ſi quas præclaras & animi & corporis dotes Deus in hunc adoleſcentem contulerat: non dico perfecta deſcriptione exprimere, ſed ſimplici quodam atque nudo lineamentorum ductu adumbrare cogitarem. Nunc verò cùm non modò exigua mihi ſit ad dicendum facultas: verùm qualis ea cunq; eſt, dolore & lachrymis etiam impediatur: à vobis etiam atq; etiam peto, ut quod minus in hac animi commotione vel cogitatione conſecutus, vel oratione complexus fuero: id ut vos mente animoq; veſtro pro veſtra prudentia comprehēdere velitis. Quod eò facilius me à vobis impetraturum ſpero, quòd quoquo verſus proſpicio, omnes vos hunc triſtiſſimum caſum lugere, & immaturam mortem optimæ ſpei Principis deplorare video. Atq; huic vos luctui & dolori cùm ita indulgeatis, ut levandus is potius quàm lamentatione noſtra ſit augendus: rogo vos, veniam detis, ſi quam jacturam hoc nobiliſſimo Principe amiſſo fecimus, paucis dixero. Quò enim majorem de ſe expectationem ſummæ virtutis, ſummiq; ingenii ineunte iam adoleſcentia concitavit, eò mors illius graviori nobis accidit detrimento. Id ut eò melius cognoſcatis, pro mediocritate ingenii noſtri pauca quædam de generis naturæq; ſuæ præſtantia attingemus.

Genus Palatin.

Natus eſt hic *Hermannus Ludovicus* ex nobiliſſima Germanorum Principum familia, paterna *Palatinorum Rheni*, materna *Marchionum Brandeburgicorum*. De quorum Principum claritate, ſplendore, potentia & rebus pace belloq; præclarè geſtis, nec tempus hîc, nec locus eſt dicendi: nec

ſi eſſet,

ſi eſſet, expoſitioni memorabilium virtutum, quibus illi continuatione quadam vetuſtum nobilitatis ſuæ nomen amplificatum poſteris tradiderunt, vires meæ ſufficerent. Id ſatis fuerit referre, non modò hæreditaria quadam ſucceſſione, ex utraq; ſtirpe, ſubinde Imperij Electores, quibus ab Imperatore in Germania ſumma eſt poteſtas, creari ſolere: ſed ipſi quoq; imperio *Palatinos* Rheni propter generis antiquitatem & laudem virtutum præfectos fuiſſe. Ut enim non dicam de *Arnolpho* filio *Carlomanni*, ipſius *Caroli Magni* abnepote, à quo Comites Wittelſbachij originem ſuam duxerunt: qui ijdem id temporis Palatini Rheni, Ducesque Bavariæ fuerunt; *Rupertus* certè hujus noſtri Principis tritavus, annis ab hinc C. LII. Imperij ſummam tenuit. Ac cùm non in hominibus ſolùm, verùm in brutis etiam animalibus atque plantis ex generoſis generoſa plerunq; procreentur; hic quoq; adoleſcens non modò corporis pulchritudine, & formæ dignitate ab excellenti natura generis ſui non receſſiſſet, ſed ingenerata quadam animi vi, aut ab avita ſtirpe derivata potius, illuſtria majorum ſuorum ornamenta & domeſticorum laudem exæquaſſet, ſi ad virilem juſtamq; ætatem pervenire potuiſſet. Iam nunc enim perſpicua in eo divini ingenij indicia, magniq; animi argumenta eluceſcebant: admirabilis morum ſuavitas, ſumma in majores & ſuperiores obſervantia, ſingularis in omnibus vitæ ſuæ actionibus modeſtia, eximia in patriam atq; ſuos propenſio, incredibilis amor literarũ, pietatis, earumq; virtutum, quæ in Principibus communi pruden- *Indoles.*

tium virorum comprobatione commendantur. Sed, proh dolor, jacet nunc præſtātiſſimus hic flos nobilitatis in ipſa velut herba ſuffocatus!

Humanæ vitæ miſeria. O inanes ſpes noſtras! ô fragilem vitam! ô infenſam generi humano mortem! quæ ut optimum quodq; eſt, ita citiſſimè invadit, & ante in ipſo flore enecat, quàm maturitatem ſuam aſſequatur; ô triſtia patriæ fata! Quàm enim, quàm vereor, ne hæc innocentiſſimi Principis mors, quæ per ſe ipſa calamitoſiſſima eſt, majorum malorum calamitatumque ſit prænuncia? Nam cùm & occaſionem genusq; interitus reputo, & quid quantumq; tam egregij ingenij altiq; animi Princeps, ſi vita contigiſſet, efficere potuiſſet, conſidero: & anteceſſiones progreſſusq; mutationum & declinationum in rebus publicis aliquando factarum ad hunc funeſtiſſimum caſum adjungo, non poſſum non vehementer animo angi, metuq; impendētium malorum commoveri. Quæ enim exempla tum à veteribus annalibus hiſtoriisq; memoriæ ſunt mandata, tum noſtris temporibus obſervatione diligenti animadverſa, in hanc me ſententiam abducunt: ut ſtatuā, à Deo ex hac vita eos eripi, qui opera, conſilio, virtuteq; ſua publicis rationibus cōſulere poſſent, & ut illorum adjumento præſidioq; ingrati acceptorum à Deo beneficiorum in ingruentis in nos, patriamq; noſtrā tempeſtatis fluctibus depellendis deſtituamur, & ne iiſdem ipſi conflictentur. Atq; hanc meam de patria ſolicitudinem auget acerba recordatio occaſus illuſtriſſimi Principis *Friderici Palatini Electoris*; qui quòd multis viro Principe dignis virtutibus excelleret, magnā hominum

Frid. II. Palat.

laudem

laudem celebrationemq; meruit. Fuit in illo is in patriam ſubditosq; amor, nihil ut Germaniç ſalute ſibi prius, incolumitate eorũ, qui imperio ſuo ſubeſſent, antiquius duceret. Pacis verò in his civilibus diſſenſionibus, domeſticisq; diſſidiis ſtudium tantum, ut ad eam vel faciendam vel conſervandam, nihil operæ, nihil ſtudij, nihil facultatum intermitteret. Non quòd rei militaris peritiam non haberet, qui ab imperij ordinibus ſupremus dux exercitus, obſidente Viennam Turca, deſignatus, *Philippo Palatino Othonis Henrici* Electoris fratre fortiſſimè pro urbe propugnante, eam obſidione liberavit; ſed quod ipſo uſu didiciſſet, optabile nomen eſſe pacis, & rem ipſam ſalutarem. Jam humanitate tanta fuit, ut qui dignitate multis Principibus præſtaret, facilitate par infimis eſſe videretur. Clementia tanta, ut nihil acerbè, nihil crudeliter ageret. Liberalitate tanta, ut non modò in ſuos maxima beneficia collocaret: ſed neminem omninò negligeret, in quo ſibi aliqua ſignificatio virtutis apparere videbatur. Quid commemorem cùm in aliis magnis arduisque imperij negotiis ſuſcipiendis induſtriam, tractandis conſilium, conficiendis felicitatem; tum in legationibus ad exteros Principes & Reges obeundis diligentiam, prudentiam, dexteritatem? In his tot tantisq; virtutibus, illa etiam laus maxima effloreſcit, quòd à ſtudiis literarum animum non geſſit alienum, ſed omnis liberalis doctrinæ amans, & literatorum cupidus fuit. Qui cùm probè intelligeret, quantum & Reipublicæ præſidium, & ejus gubernatoribus atque Principibus ornamentum

Philip. Pal.

mentum adferrent benè conſtitutæ ſcholæ; in id uſq; ad extremum vitæ diem ſumma cura incubuit, ut Academiam Heidelbergenſem amplificatam florentemq; redderet. Sed antequam præclarum hoc inſtitutum perficeret, morte præventus eſt. Itaq; haud ſcio, an non his hominum moribus opus illud toti Palatinatus provinciæ utiliſſimum inchoatum, relinqueretur, niſi tanto literarum patrono ac parenti hæres *Otho Henricus* ſucceſſiſſet, qui ſi non illo eſt, in ludos literarum atq; ſcholas propenſione, atq; in viros, abs liberalium artium ſtudiis doctrinaq; commendatos, beneficentia ſuperior, nullo certè modo inferiorem ſe jam pridem declaravit. Neſcio quo pacto in commemorationem de *Friderici* Principis virtutibus ulterius ſim provectus, cùm de ejus obitu mentionem modò facere conſtituiſſem. Sed ignoſcatis rogo dolori meo, qui me aliò curſum meum dirigentem in hanc narrationem abripuit; quem cùm longè maximum ex utriuſq; Principis, & ſenis illius, & hujus adoleſcentis, morte ceperim; tamen impendentium calamitatum cogitatione fieri non poteſt quin adaugeatur; cùm præſertim his temporibus perturbata Reſpublica noſtra Germanica ex talium Principum inopia maximè laboret: Et verò divinis ſacrorum vatum oraculis proditum eſt, ingentes ſæpè calamitates eorum denunciaſſe obitus, qui aut quàm diu vixerunt, ab augendis communibus utilitatibus nunquam receſſerunt; aut quorum induſtria, ſtudium & virtus rebus publicis, ſi vita ſuppeditaſſet, adjumento atq; gloriæ eſſe potuiſſet. Etſi nec certa illa ſanctiſſimorum hominum

Ott Henric. El. Pal.

num prædicta extarent, nec tot exempla vetuſtatis clariſſimis literarum monumentis conſignata idem comprobarent: tamen eam ſecum paucis jam annis rerum mutationem Germaniæq; perturbationem præſtantium quorundam virorum occaſus traxerunt, ut haud ſciam, an non æquè fidem inſignis alicujus converſionis ea ſigna facere debeant, quæ ex illorum interitu ducuntur, (quorum jam ſalutari ope atq; auxilio publicæ rationes orbatæ ſunt,) atq; ea ipſa prodigia & oſtenta, quorum multa varij mirandiq; generis apud nos in terra, aqua, aëre, nubibusq; ſæpè viſa animadverſaq; eſſe accepimus; quæ quando ſingula grave aliquid & ſiniſtrum portendiſſe ab hominibus diligentioribus immenſo jam tempore obſervatum, & ſignificatione eventus notatum eſt; quis non tantam eorum tam brevi tempore copiam triſtia nobis atq; dira præſignificare intelligit? Quò magis in id nobis ſumma cura atq; ſtudio omni mentis & voluntatis contentione eſt incumbendum, ut quàm multis ſignis iram adverſus nos ſuam Deus obnunciat, eam & vitioſorum morum correctione, & vitæ corruptæ emendatione, & deprecatione juſta, in fiducia filij ſui Ieſu Chriſti interceſſoris noſtri leniamus, aut etiam placemus: Nam ea eſt in hac clariſſima divinæ veritatis luce noſtra cæcitas & amentia, ut non modò non evidens illud à prima origine nobis inditum diſcrimen inter virtutum decus & vitiorum deformitatem cernamus; ſed nec aſpectui noſtro objecta illuſtria & infinita Dei beneficia agnoſcamus omninò. Ea deinde voluntatis appetituumq; noſtrorum contuma-

cia &

cia & perverſitas, ut omni abjecta obedientia in omne flagitiorum ſcelerumq; genus præcipites feramur. Cùm igitur informata etiam in nobis de clementia juſtitiaque Dei notione, & ſacroſanctis ſcriptis explicata, tamen illum vel oſcitantes negligamus, vel impii contemnamus; cùm nihil ferè adeò turpe, adeò fœdũ, adeò flagitioſum ſit: quod pro depravata noſtra opinione, non honeſtum, non pulcrum, non ſanctum ducamus; cùm nullus penè ſit virtutis amor, nulla probitatis cura, nullum honeſtatis ſtudium, nulla pudoris ratio; cùm omnium ordinum vita atq; mores turpiſſimorum vitiorum labe contaminati conſpurcatiq; ſint; adhuc ne cauſas malorum atq; calamitatum quibus affligimur, alias, quàm quæ in nobis ſunt poſitæ conquiremus? quanquam ex vitioſitate naturæ & hujus ſeculi & temporum pravitate valdè nobis blandimur; tamen fateamur neceſſe eſt, omnia quæ ſentimus mala, ut à nobis manarunt, ita in nos redundare: Et certè indulgentius hactenus Deus nobiſcum egit, quàm ut commeritas peccatis noſtris pœnas nobis inflixerit. Nam ſi ex juſtitia magis quàm ex miſericordia ſua Deus cauſam noſtram æſtimare vellet; non longè à pernicie exitioq; abeſſemus. Cùm enim vel ob idololatriam, veriq; Dei contemptum, vel ob luxum vagasq; & confuſas libidines, vel ob nimiam in imperio & dominatione animi impotentiam, quæ diſſenſiones domeſticas bellaq; parit civilia, potentiſſimæ civitates, pulcerrimæ Reſpublicæ, florentiſſima regna, ampliſſima imperia ſint deleta; hæc non ſingula modò mores noſtros

ſtros invaſerunt, ſed dominantur univerſa. Quod ſi igitur ab his vitiis non deſtiterimus, quas ante alii populi atq; gentes pœnas luerunt, quasque multis argumentis nobis minatur Deus, eas nos non effugiemus. Non enim ab æterna illa & immota regula divinæ juſtitiæ nos ſoli excepti ſumus; licet vindictam in pertinaces & contumaces moretur, tamen tandem nemini niſi pœnitenti parcit. Ergo & in emendatione ſalus, & in obſtinatione interitus oſtenditur. Illam ſi ſuſcipiemus, eſt quod ſperemus, nos recreatum iri: in hac ſi obfirmati perſeveraverimus, miſerè nobis eſt turpiterque pereundum. Quod cùm ita ſit, noſtrum eſt, æternum Deum per Ieſum Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum pro nobis orare, ut ipſe Spiritu ſancto ſuo nos cœcutientes illuminare, errantes dirigere, remiſſos ad virtutem excitare, & ad vitia proclives reprimere velit, ut quæ & nobis ſalutaria & Reipublicæ neceſſaria & Eccleſiæ ſuæ glorioſa ſint, & ſana mente videre, & voluntate propenſa ſuſcipere, & conſtanti ſtudio perſequi queamus.

Omninò perturbatione quadam animi longius in hac de miſeriis, calamitatibusq; noſtris querela proceſſi, quàm erat voluntas. Itaq; redeo ad eum, *H. Ludov. Palat.* de quo inſtituta hæc eſt oratio; qui tametſi magno noſtro & Reipubl. incommodo extinctus, triſte ſuum deſiderium animis noſtris relinquat; tamen nihil ei mali accidit, qui ex mortali hac & calamitoſa vita in beatam illam & immortalem translatus, in cœli regionibus ſumma cum gloria lætitiaque verſatur. Ita enim in Religione

gione Chriſtiana doctrinaq; cœleſti, & domi educatus, & hic à præceptore ſuo inſtitutus fuit, ut mihi non ſit dubium, quin ejus juſtitiâ meritoq;, cui confidebat, ſalutem conſecutus ſit, qui ex arce patris ſolioq; omnipotentis Dei ſe in has terras demiſit, ut ipſe copulata ſibi ad majeſtatem divinam natura corporeq; humano labem generis noſtri ex primi parentis peccato in omnes homines transvectam repurgaret, poſteritatemq; Adami mortis ream, morte ſua; à morte æterna vindicaret, & in vitam æternam honoremq; immortalitatis reſtitueret.

Quare ut noſtra cauſa dolere debemus, ita illius felicitate gaudere, qui ex hujus vitæ procellis atq; fluctibus ad verum portum, qui eſt Chriſtus, appulit, quî cum in cœtu concilioq; cœleſtium ævo perfruitur ſempiterno; quem ut & nos perfunctis hujus mortalis vitæ miſeriis capere poſſimus, faxit Deus Opt. Max. per Chriſtum Servatorem noſtrum, in quo omnis nobis ſpes præſidiumq; eſt collocandum.

DIXI.

CARMINA MEMORIÆ
ET
HONORI ILLUSTRISS. PRINCIP.
PALATINORUM
FRIDERICI III.
ELECTOR.
&
MARIÆ BRANDEBURGICÆ;
ATQVE
HERMANNI LUDOVICI PAL.
CHRISTOPHORI PAL.
LUDOVICI ELECT. PAL.
IOH-CASIMIRI PAL.
ſcripta à
D. NICOL. CISNERO
Tribunalis Imperatorij
Adſeſſore,
Anno M. D. LXXVI.

Digitized by Google

MEMORIÆ

ILLUSTRISS. PRINCIPIS AC DOMINI FRIDERICI III.

Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Bojariæ, S. R. Imperij Archidapiferi & Electoris, &c. Ejuſdemq; inclytæ conjugis prioris, Dominæ MARIÆ BRANDEBURGICÆ, & Illuſtrium duorum filiorum Dn. HERMANNI LUDOVICI, &c. & D. CHRISTOPHORI, &c. hæc Epitaphia & Carmina conſecravit

NICOLAVS CISNERVS
Juriſconſultus.

Illuſtriſſ. Principi Domino FRIDERICO III. PALAT. ELECTORI.

HOc tua ſunt tumulo, FRIDERICE, *recondita membra;*
Sed pius ætherea Spiritus arce viget.
Summa DEI, *proceres inter, tibi cura; nec ullus*
Vel pietate prior, vel bonitate fuit.
In terris igitur cui tota mente dicatus,
Hoc duce jam cœli regna beata tenes.

EIDEM.

STat ſua cuiq; dies, certo ſunt ordine cuiq;
Statuta vitæ tempora.
Si pietas, bonitas, genus atq; potentia poſſent
Fati morari terminum;
Inclitus haud eſſet ſub marmore conditus Heros,
A pace cui nomen fuit.
Dignus erat, Pylios felix qui viveret annos,
Parcæq; cui reparcerent.
Sed virtus non ulla poteſt fera fata movere,
Moramq; morti nectere:
Hunc igitur lugent, virtus, pietas, Charitesq;,
Divæ ſepulchro præſides.
Corporis at tantum maſſa eſt obnoxia letho;
Piam in animam jus non habet.
Hæc confiſa Deo ſuperam penetravit in arcem,
Chorisq; divûm eſt addita.
Quin quod in hoc tumulo Corpus mortale reliquit,
Novam induet lucem ætheris.
Quiſquis es, æternam (vitales dum capis auras)
Semper ſalutem reſpice.

Divus FRIDERICUS de ſe:

Sat vixi patriæ, mundiq; pericla ſubivi:
Quod ſupereſt, cupio vivere, Chriſte, tibi.

Obijt VII. Cal. Novembr. Anno Domini
M D LXXVI. annos natus LXI.
Menſes VII. dies XII.

ILLU-

ILLUSTRISS. HEROINÆ Dominæ Mariæ, Dn. Friderici Palatini Electoris Conjugi priori, Dn. Casimiri, Marchionis Brandeburgici, &c. filiæ,

Marchiadum illuſtri procerum ſata gente Maria
Sex, Friderice, *tibi thalamo conjuncta jugali*
Luſtra fuit; dilecta Deo, dilecta marito.
Conjugij præclara ſui monumenta reliquit,
Nam peperit multos generoſo ſemine natos,
Heroum genus, & priſcæ virtutis alumnos;
Edidit & multas præſtanti corpore natas,
Fœmineum decus, atq; illuſtria ſidera mundi,
Et matris monitu fidiſſima pectora Chriſto.
Hinc quoq; ſunt celſa prognati ſtirpe nepotes,
Progenies quorum terras regat ordine longo.
Ac licet Heroum ſoboles & ſanguine ab alto
Principis uxor erat: faſtu nunquam tamen ullo
Intumuit, nulli ſe prætulit; omnibus æqua,
Atq; benigna fuit, miſeros inopesq; levavit
Ære ſuo, & multis veræ pietatis amorem
Teſtata officiis, variiſq; exercita morbis,
Ærumnas hujus vitæ ſortemq; peroſa,
Ad ſuperum aſpirans regnum cœtumq; piorum,
Duro exuta chao, cœleſti ſede recepta eſt.
At tantum ſervare genus, generiſq; nepotes
Æternum regnare velit moderator Olympi.

Obiit anno MDLXVII. pridie Kal. Novemb. vixit annos XLVIII. dies XX.

AUCTARIUM HISTORICUM, *& Chronologicum de conjugibus hiſce, pietate & genere pariter Illuſtriſſimis.*

FRIDERICUS III. PIUS, IOHANNIS II. Palatini Ducis B. & Simerenſis F. IOHANNIS Senioris. Anno 1509. defuncti Nepos, FRIDERICI Palat. Rheni, Ducis Bavariæ, Nepotis Regis Romanorum RUPERTI, pronepos, Natus fuit ex BEATRICE CHRISTOPHORI Marchionis Badenſis & Hochbergenſis Filia, Anno M D XV. Die XIV. Februarij.

Poſt obitum OTHONIS HENRICI Palat. Electoris, Ducis Bavariæ, &c. ultimi ex LUDOVICI Barbati, primogeniti, RUPERTI Regis, &c. primus è Simerenſi familiâ, S. Rom. Imp. Archidapifer & Elector, Anno M D LIX. XII. Febr. legitima & hæreditaria ſucceſſione factus & conſtitutus Bono Reipublicæ, Princeps ſanctus, & Divinæ gloriæ ac veritatis vindex acer, in cœleſtem aulam ac beatam patriam emigravit Heidelberga XXVI. Octob. Anno MDLXXVI.

Ejus Symbolon.

Herr nach deinem Willen.

MARIA FRIDERICI III. uxor prior, CASIMIRI Marchionis Brandeburgenſis, Bellatoris inclyti, defuncti Budæ in militia contra Turcas Anno M D XXIX. XXVII. Septembr. FRIDERICI F. ALBERTI Achil-

Achillis Germanici Nepotis: & SUSANNÆ Bavaricæ Filia: Nata Anno M D XIX. die XI. Octobr. Nupſit FRIDERICO Palat. Anno M D XXXVII. die XII. Junij.

In conjugio facta mater liberorum denûm: LUDOVICI Primog. Electoris, qui Patri ſucceſſit HERMANNI LUDOVICI: de quo Ciſneri oratio.

JOHANNIS CASIMIRI,

CHRISTOPHORI,

ALBERTI & CAROLI in pueritia defunctorum.

Et Filiarum IV. 1. ELISABETHÆ nuptæ IOHAN. FRIDERICO II. Saxoniæ Duci, Thuringiæ Landgr. Anno M D LVIII.

2. SUSANNÆ DOROTHEÆ, conjugis IOH. WILHELMI Duc. Saxon. Anno M D LX.

3. ANNÆ ELISABETHÆ, nuptæ PHILIPPO II. Lãdgravio Haſſiæ, Anno M DL XVII. poſt GEORGIO GUSTAVO Palatino.

4. KUNIGUNDÆ IACOBÆ nuptæ Inclyto Comiti IOHANNI ſeniori, Naſſovio Dillenbergæ Anno M D XXC.

Opt. & Summ. Principum grata recordationis hanc teſſeram appoſuit

Quirinus Reuterus.

ILLVSTRI PRINCIPI
Dn. HERMANNO LUDOVICO
Dn. FRIDERICI
Palat. Elect. filio.

QVid ah, ô infanda Parcæ numina
Tantum invidetis, ſi quod eſt mortalibus
Bonum benigni gratia datum Iovis?
Quæ vos libido, quæ voluptas impulit,
Vt Principem ſtirpis Palatinæ patre
Natum, domuq́ matre Brandeburgica,
Ætatis in lanuginoſa exordio
Formoſitate corporis pulcherrimum,
Animiq́ raris dotibus laudabilem,
Vliginoſi in execrando fluminis
Avarici ſubmergeretis gurgite?
Vt ſolis ex imo ſinu terræ excita
Calore lampas, ſive arietis cornua
Seu luſtret æquum pendula libra jugum,
Hinc inde ſublimem volans per aërem
Caliginoſa in nocte cum latè emicat,
Mox in maris conſumitur voragine:
Sic cuius effulgebat inſtar ſideris
Decentis & vultus & oculorum nitor,
Quo vix erat quis pulchrior mortalium,
Hoc deſtinatione veſtra in turbidum
Annum cadente, dulcis ſeu fugit anima;
Heu blandus ille evanuit vultus decor;
Heu mixtus ille purpura periit color.
Tam dira ne phœbus videret funera,
Triſtis ſuum atra nube condidit jubar,
Et inſequentes mœſta nocte Cynthia

Nigrans

Nigrante texit clara velo cornua.
Hac ſigna luctus in plaga cœleſtium,
Senſere, quotquot hinc & inde beſtiæ
Degunt in agris & locis campeſtribus.
Degunt in altis montium flagitiis,
Degunt in imis vallium cubilibus.
Quis veſtra duris duriora cautibus
Haud fæminina corda poterit flectere,
Cum qui velut gemma & decus hominum fuit,
Qui Parthicas potuit movere tigrides,
Movere ſi quid tigride eſt immanius;
Non glorioſi generis amplitudine,
Non florida ætatis favore, non adhuc
Imberbis oris enitente gratia,
Non elegantis indolis præſtantia
Inferre fatali moram potuit colo?
Ceu roſa plicati floris explicans caput
Iam ſplendida fulget coma, jam nobili
Odore fragrat, mox fatiſcens areſit:
Sic illa cunctis forma gratior roſis
Monſtrata terris flore primo tabuit.
Vos Najades, quotquot virentes margines
Altiq; cæca vada tenetis fluminis,
Tam ſingulare Palladis cultæ decus
Paſſæ quid eſtis vitam in undis linquere?
An ut propinquioris aura ſpiritus
Poſſetis in veſtro frui conſortio?
Sic Argonautæ olim Herculi cariſſimum,
In Myſia Propontidi conterminâ
Hylæ venuſti ſubito amore percitæ
Traxere ſecum in ima fontis Najades.
Alta Hercules hunc voce necquicquam vocat,

Hylam ſuum uſq; efflagitans. Hylam ingemens:
Qualis Juvenco mœſta mater perdito
Non prata jam, non ulla curans paſcua,
Sed mugiens juvenculum quærens ſuum,
Biſulca ſectans ungulæ veſtigia;
Per nemora, ſaltus, arva currens omnia.
Miſella triſtibus querelis perſonat.
Ergo beatum jam penetrale incolens
Procul laboribus, procul moleſtiis,
Procul periclis, omnibus procul malis
Lætus perenne degat ævum ſpiritus.
At ſive ſol oriens mari invehet diem,
Seu rurſus in mare occidens condet diem;
Laudum tuarum, Hermanne, *clarus præco ſum,*
Futurus uſq;, & uſq; ero tui memor.

HERMANNUS LUDOVICUS loquitur.

CElſa Palatinæ fuerat mi ſtirpis origo,
Corporis excellens ingeniiq; decus:
Nec tamen his potui crudelem flectere mortem,
Interii, ante mihi quàm tria luſtra forent.
Scilicet in primo niſi mors me flore tuliſſet,
Jus minus imperij duceret eſſe ſui.

DE EODEM, AD LECTOREM.

QUid firmum tibi, quid putas perenne
Hujus qui titulum legis ſepulchri;
Quando dotibus omnibus decorus
Hermannus, *veterum ducum propago,*
Vicinis periens puer ſub undis

Nunc

Nunc eheu tumulo jacet ſub iſto
Æternæ lachrimæ omnium ſuorum?

Submerſus eſt in trajectu Avarici-Biturigum, cum in Academia illa bonis literis operam daret, annum agens XV. Anno Domini M D LVI. Calendis Iulij: quo tempore & carmina hæc & orationem funebrem ejus gratia ſcripſi.

ILLUSTRI PRINCIPI Dn. CHRISTOPHORO, Dn. FRIDERICI Electoris filio.

Magnanimum vt vidit Juvenem ſibi pallida Mavors
Conferre, & doctas armis conjungere Muſas;
Non tulit; & primo celebrem jam flore juventæ
Indignans ſtatuit funeſto involvere letho,
Incutat idcirco ſtimulando pectus honeſtum,
Fortiter vt miſeris auſit ſuccurrere Belgis.
Jam prope cum caſtris Neomagi advenerat oras,
Cùm ſtruit inſidias illi verſutus Iberus;
Ac inopinantes feſſos ſomnoq; ſolutos
Aggreditur, totiuſq; in pugnam viribus inſtat.
Dux igitur trepido turbari caſtra tumultu
Cernens, attonitis ardorem mentibus addit.
Nec mora, Naſſavio & lectis comitatus in hoſtem
Prorumpens, denſum volucri curſu ſecat agmen,
Obvia proturbans liquefacto corpora plumbo.
Jamq; bis adverſas acies pervaſerat armis,
Cum ſocios magno poſitos diſcrimine ſenſit;
Ocyus in hoſtem, qua ſe denſiſſimus offert,

Irruit,

Irruit, & dextra multos ſub Tartara mittit,
Agglomerant illi vires, magnaq; ruentem
Videnſent aciem; ſimul & manus omnis in unum
Hunc circùm coit, hunc emiſſis undiq; pilis
Inſiſtant, etiam merſiſſent funere acerbo,
Ni carum Juvenem miſeratus Iuppiter atra
Cinxiſſet nebula, vacuumq; per aera raptum
Æthereà Heroes inter regione locaſſet.
Sic fremitu martis flos ille hominumq; Deûmq;
Ereptus terræ Elyſiis eſt inſitus hortis.

Deſideratus eſt poſt pugnam XVIII. Calendarum Maji, anno D. M D LXXIV. in campis Mauceenſibus commiſſam, natus annos XXII. M. x. d. I.

VOTUM ET PRECES

AD ILLUSTRISS. PRINCIPES AC D. PALATINOS RHENI, ET DUCES Bojariæ, &c. divi FRIDERICI III. Elect. filios ſuperſtites, fratres conjunctiſſ. Dn. LUDOVICUM S. R. Imperij Electorem & Archidap. dominum ſuum clementiſſ. & Dn. IOHANNEM CASIMIRUM Dominum ſuum ſumma obſervantia colendum, pro felicibus adminiſtrationis ditionum delatarum utriq; auſpicijs.

NICOLAI CISNERI
precatio & votum.

Non

NOn ita ſidereo formoſus fulget Olympo
Heſperus, ut proceres inter concordia fratres
Pulchra eſt. Tyndaridum talem meminere vetuſti
Scriptores; ideò clara inter ſidera lucent.
Diſſidio contra fratrum nil fœdius eſſe,
Nil triplicis monſtro capitis funeſtius: an non
Plurima demonſtrant nobis exempla priorum
Ætatum, & noſtra? nova ſed ſunt obvia cuiq;.
Oedipodionidas agitans diſcordia fratres
Amborum Aonias implevit ſanguine Thebas.
Quid perpeſſa mali fuit inclyta Perſia, Cyrus
Mnemona cùm contra germanum ingentia duxit
Agmina, & adverſis infelix occidit armis?
Dira Palæologæ ob ſceptrum diſſenſio gentis
Tranſtulit imperij in Turcas faſtigia Eoi.
Ergò Deum precor, ut ſancto vos numine ſervet,
Veſtraq; fraterno flagrantia pectora amore
Perpetuo nodo tempus conſtringat in omne;
Ut caro populos vobis à patre relictos
Quiſq; ſuâ pro parte ſerenâ in pace gubernet,
Sit pius in patriam, monita & meliora ſequatur,
Nec vanis facilem det delatoribus aurem.
Nam bonus ut paſtor commiſſum curat ovile;
Commoda ſubjectæ gentis ſic rector honeſtus
Præcipuè ſpectat; non hos premit horridus armis
Imperiòve gravi, niſi cum Reſpublica poſcit:
Quin hujus cupiant alij componere lites
Arbitrio proceres, truculenta ad bella parati.
Et veluti rectus tutor quæ commoda cernit
Eſſe ſuo, magna ſatagit pietate minori:
Sic princeps meditans ſeſe rationibus olim
Judicis obſtrictum ſummi; ni juſtus & æquus

Subje-

Subjectis fuerit, ni ſit ſibi cura ſuorum;
Illorum aſſiduo ſtudio bona resq; tuetur.
Sic veſtris adſit cœleſtis gratia cœptis,
Debitaq; illuſtris capientes præmia laudis,
Perpetuum, comites divûm, vivatis in ævum.

AUCTARIUM.

Ciſnerianis his adjungere libet in honorem Principum El. Palatinorum alia quædam carmina, ſed pauca de plurimis lecta: nec non Orationem Ducis CHRISTOPHORI PALATINI, Heidelbergæ olim habitam, cum Magnifici Rectoris Academiæ munus gereret Princeps Optimus ac literatiſſimus, nec dum ſatis laudatus.

ILLUSTRISSIMI ET POTENTISſimi Principis *Friderici III.* Comitis Palatini ad Rhenum, Sacri Rom. Imperij archidapiferi, & Electoris, Ducis Bavariæ, &c.

MEMORIÆ.

QUi cum priſca fides, Pietasq; antiqua renaſcens
Surgebat, tumulo nunc, Friderice, *jaces?*
Fallor ego: an potius Pietasq; fideq; cadentem
Æthereas ſurſum traxit ad uſque domos?
Vive igitur felix cœli novus incola Princeps,
Quo non digna ſatis Principe terra fuit.

Theodorus Beza F.

In

In tumulum
FRID. III. EL. PAL.
AD LUDOVICUM EL. PAL.
&
IOHAN. CASIMIRUM.

INgentes tumulos & Mauſolea ſuperba
*Quid,*Ludovice,*Patri? quid,*Caſimire,*paras?*
Ille ſibi vivus, totum monumenta per orbem,
Æternumq; manens ante reliquit opus:
Mortales pietas tumulos non exigit; urna
Virtutem dignè condere nulla poteſt.
Sumptibus ergo Pij, tumuli jam parcite, Fratres:
Huic orbis,non vos digna ſepulchra dabit.

L. D.

In Effigiem
FRIDERICI III.

*PArva tuos nobis,*Friderice, *tabellula vultus*
Exprimit, at toto nomen in orbe viget.
Expeteris,coleris,laudaris, amare, Ducemq;
Exoptant ſimilem curia, templa, ſchola.
Sed fruſtra; non hoc ingrati crimina mundi,
Et ſpretus vera relligionis honos,
Nec contempta tua meruit conſtantia mentis,
Et quod in invicto pectore robur erat:
Præſentisq; tui multis deriſa ſuperbè
Cura Dei, & ſimplex cum bonitate fides.

Spernit

Spernit enim incolumem virtutem vulgus & odit,
Sublatam ex oculis invida corda probant.
Ergo tui deſiderium, FRIDERICE, *manebit,*
Sidera dum cœlum, gramen habebit ager.

L. LUD. PITHOP.

ALIUD Q. R.

QVi te non vidit, FRIDERICE, *videre cupivit,*
Et qui te vidit, captus amore tui eſt,
Quo neque juſtitiâ quiſquam, nec Pace, nec armis,
Nec potior verâ relligione fuit.

ALIUD.

OTTHONE HENRICO defuncto ut deſiit (omnis
Clara Palatini proles numeroſa PHILIPPI:
Auſpice cœleſti Domino, qui regna gubernat,
Ex placitoq; Duces extollit, ſurrogat, aufert:
Electorales faſces, oraſq; Tricornis
FRIDERICUS Rheni cepit, Simercius Heros,
Cæſaris ex atavâ prognatus ſtirpe RUPERTI,
Olli abavus STEPHANUS, proavus FRIDERICUS, & inde
JANUS, avus, JANUS genitor, virtute coruſci
Fulſere, & duri viguerunt fulmina Martis.
Hunc pietas, antiqua Fides, & plurima Virtus
Tum belli paciſq; artes, ad ſidera tollunt:
Hic doctis, hic exulibus grata ocia fecit.
Hic gnatos caros, Caſimirum, Chriſtophorumq;

Pro

Pro Chriſti regno tutando miſit in Hoſtes,
Illud qui ferro ac flammis excindere tentant.
Hoc Duce Relligio, Themis & Pax alma vigebat:
Sub vite & ficu captabat quisque quietem.
Principis hic veri viva ac inſignis Imago,
Heu citiùs Patriæ ſuperas ſubductus ad arces.

Ad monumentum eiuſdem Heidelbergæ in æde S. Spiritus.

Hîc FRIDERICE jaces: at laudes & pia facta
Uſque canent Rhenus; dîa Moſella, Nicer.

Quirinus Reuterus M.Palatinus gratitudinis ſymbolum appoſuit.

Eteoſtichon, diem emortualem XXVI. Octob. Anni 1576. nomen Amandi inſcriptum, indicans,

TVa LVX triſtatVr AManDe.

MEMORIÆ ET HONORI

LUDOVICI EL. PAL.

FRIDERICI III. F.

Nati Simeriæ Anno C. M. D. XXIX. IV. Quinctil.

Literis Latinis & Gallicis exculti.
Sacrarum Scripturarum lectoris aſſidui,

Patris in Electoratu ſucceſſoris,
Principis Optimi, juſtiſſimi, clementiſs.
Academiæ, Scholarum & Eccleſiarum
Mecœnatis liberaliſſimi.

Mortui Heidelbergæ, Anno M.D. XXCIII. XII. *Octob. cum vixiſſet annos* XLIV. *Menſes* III. *dies* VIII. *relicto Filio unico*

FRIDERICO IV.

F*Ama Palatinum cum ſpargeret ipſe ſub umbras,*
Fato vocante, Principem,
Illum inquam multa LUDOVICUM *laude coruſcum*
Et inclytum virtutibus:
Indoluit pietas, & mœſto pectore vocem
Hanc edidit cum fletibus:
Heu quàm fata mihi ſunt invida! quanta meorum
Videre cogor funera!
Occidit iſte etiam, cui vitâ carior ipsâ,
Dum viveret, ipſa fui:
Quiq; mihi his oculis & vita carior ipſa,
Dum viveret, ſemper fuit:
Sic ait: & poſtquam defuncti membra ſepulchro
Depoſta vidit principis:
Hac ſaxo inſculpſit: PIUS hic Princeps tumulatur:
Legenda verba poſteris.

Digitized by Google

Memoriæ & Honori
ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC HEROIS FORTISSIMI
IOHAN. CASIMIRI
PALATINI AD RHENUM, DUCIS BAVARIÆ,
Electoralis Tutoris & Adminiſtratoris Solertiſsimi:

PATRIS PATRIÆ,

Eccleſiarum nutricij fideliſſimi, Scholarum literarumque Mecœnatis beneficentiſſimi, libertatis Germaniæ vindicis acerrimi, Rebus bello paceque geſtis incliti,

Principis omnibus modis ſummi, Dominique Clementiſſimi,

Obſervantiæ ſubjectiſſimæ, gratitudinisq; debitæ ergo

*Q*UIRINUS *R*EUTERUS *Mosbachenſis Palatinus Anno* M. D. XCII. P.D.C.

Fama volat mundo toto, tumulus tenet oſſa,
Cum Chriſto cepit mens pia regna poli,

IOHAN. CASIMIRUS AD SUPERSTITES.

SAt vobis patriæq́; datum: jam lætus adivi,
Quam mihi, CHRISTE, *tuo parta cruore quies.*
Te, dum vita fuit, colui: tua dogmata ſancta
Noſſe ac tutari, maxima cura fuit.

Quam vivens nunquam potui guſtare quietem,
Mortuus in tuta nunc ſtatione fruor.
Cura, labor, bellum, mors tandem & pugna receſſit
Corporis, at ſolum mens quod avebat, habet.

IN EFFIGIEM, ET SYMBOLUM JOH. CASIMIRI.

CONSTANTER ET SINCERE.

En vultum cernis pictum IANI CASIMIRI.
Non animum quiſquam pingere ritè quiit.
CONSTANTER *geſta* ET SINCERE *pro grege*
Eous novit, nec ſilet Heſperius. (*Chriſti*,

Annus & dies obitus.

SeXta PaLatInI CasIMIrI trIstIa fata
LVX IanI heI Cernens, CVr IaCet AtLas? aIt.

Natus eſt Anno Domini CIↃ IↃ XLIII.
Die VII. *Martij.*

Deceſſit VI. Ianuarij. Anni
CIↃ IↃ XCII.

Epita-

Epitaphium
IOHAN. CASIMIRO
ſcriptum à
PAULO MELISSO.

MArte potens & pace, domiq; foriſq; probatus,
Cui vita immenſi plena laboris erat;
Heic Caſimire jaces. Fidei Germania teſtis.
Gallia militiæ, Belgaq; & Anglus opis.
In rebus conſtans, verbis ſincerus in ipſis,
Corde catus, fortis pectore, mente vigil.
Viciſti veteres Heroas, itemq; recentes:
Pontificum terror, Heſperiaq; tremor.
Te pietas ſuperis, virtus æquavit Olympo.
Non fuit in toto clarior imperio.
Laudavêre hoſtes quem vivum, nosne ſepulti
Principis hanc laudem cõtumulemus humo?

Aliud Pantal. Candidi.

POſt obitum Ianus jacet hac CASIMIRUS in ur-
Ille Palatinæ gloria Duxq; domus. (na,
Gallide qui terra, & Belgio & Germanide terra,
Sincera CHRISTUM relligione colunt;
Hos, inimicorum contra vim, fortibus auſis,
Duris ſe objectans caſibus, aſſeruit.
Hunc reges, magniq; Duces, & Cæſaris aula
Vexerunt magno ſemper honore Ducem,
Electoratum cum nondum aſſumere quires,
Suſtinuit partes, Dux FRIDERICE, tuas.
Atq; gubernator felix & ſtrenuus illum,
Divina placidè rexit & auxit ope.
Qui ſi vivus adhuc humanas carperet auras,
Vicinis audax prædo ubi ſævit agris:
Non ille impune hunc ſineret graſſarier hoſtem:
Aut data pax dudum, aut obrutus ille foret.
Pacis opus læta Muſarum, & Apollinis Artes,
Et Themidos ſancta jura piamq; fidem
Plantavit patriis, & condecoravit in oris:
Hæreſis hinc petiit barbarieſq; fugam.
Quod ſi Parca hominum meminiſſet parcere cuiquam,
Ipſa tibi certè parcere debuerat.
Salve Heros Iane æternum, Caſimire valeq;
Ante Deum vivis: vivis & ante homines.

Digitized by Google

In Repentinum & immaturum obitum ſummorum Germaniæ Principum:

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS
JOHANNIS CASIMIRI,
COMITIS PALATINI AD
Rhenum

Palatinatus Electoralis Adminiſtratoris, Bavariæ Ducis, &c.

ET

ILLUSTRISS. PRINCIPIS RE
ET NOMINE
CHRISTIANI, DUCIS SAX.
S.R.I. ELECTORIS,

Landgravij Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Burgg. Magdeb. &c.

THRENUS.

NIL inſculpta opus eſt ut cuiquam marmora
Quantus ſuperſtes vixeris (narrent
Caſibus in miris, Dux CASIMIRE, piorum
Tutela fortis omnium.
Hoc denſenſa tuis iterumq;, iterumq; ſub armis
Teſtatur (ecce) Francia.
Viribus hoc ſervanda tuis, ſi fata tuliſſent
Teſtatur omnis Belgica.
Rhenus id ipſe tuus, clamat, quum jura tuentem
Sacrata Chriſti & Cæſarum

Non Latiæ, non te Hiſpanæ tenuere phalanges
    Potente fretum numine,
Altera victorem, pietas, jam jamq; futurum
    Niſi te reduxiſſet domum;
At nunc Te Franci, Belgæ, Rheni accola lugent
    Et patria ſupra cæteros
Amiſſum qualis deplorat nata parentem
    Vel patre ſi quid charius.
Quos inter quinam tua te, CASIMIRE, Geneva
    Devincta tot modis Tibi,
Conſiliiſque opibuſqe tuis adjuta ſileret
    Plorantibus te cæteris
Sed ſit juſta licet lacrymarum cauſa, Deoque
    Displiceat indolentia
In cœlos potius te, Princeps magne, receptum
    Fas gratulari ſit Tibi.
Quam noſtra immodicè dum flemus damna, vide-
    Lugere nobis non Tibi. (ri
Iuſtius & quanto noſtra hæc ploratio ſeſe
    Noſtra in ſcelera converteret?
Hæ etenim juſtas accendunt numinis Iras
    Sua jaculantis fulmina.
Hæc faciunt varias natet inter ut orba procellas
    Navis ſuis rectoribus.
Hoc te, Saxonicis nuper regnator in oris
    Re CHRISTIANE, ut nomine,
Ætatis flore in medio, quum fœdere ſancto
    Sanctis adeſſes Regibus.
Heu, quàm immatura, ſubita quàm morte perem-
    Solo abſtulit cœlo intulit (ptum,
Hinc eſt, pœnè ſimul repetitis ſaucia plagis
    Quod ejulat Germania.

Quî

Qui cum tota ſuos adjungit Gallia planctus
Et tota mœret Albion.
At tua, ſumme Pater, rata ſint promiſſa jubeto,
Nec pœnitentes deſpice:
Sed quæ tu nobis ſanctorum ſalva parentum
Eſſe voluiſti pignora,
Numine plena tuo,& cunctis virtutibus aucta,
Fac ſuppleant patrum vices:
Quos inter teneris princeps jam magnus in annis,
Tanto educatus patruo;
Heroum felix ſoboles FRIDERICUS; avorum
Sit inſtar unus omnium.

THEOD. BEZA F.

Digitized by Google

EXHORTATIO
Illuſtriſsimi Principis
ac Domini,
Dn. CHRISTOPHORI,
COMITIS PALATINI RHENI, DUCIS BAVARIÆ,
HEIDELBERGENSIS ACADEMIAE RECTORIS,
Ad

EJUSDEM PROFESSORES, & Studioſos, cùm leges publicè recitarentur, habita Idibus Januarij, M. D. LXVI.

Digitized by Google

EXHORTATIO.

ETSI *ſatis intelligo, Auditores Clariſſimi, me non minus ad dicendum ex hoc loco, quàm ad graviſſimum regendæ hujus Academiæ munus, & ab ætate, & ab ingenio imparatum accedere: exiſtimavi tamen nec ſenatus ampliſſimi benevolum de me judicium contemnendum, nec adeò laudatam, & à multis annis uſurpatam conſuetudinem, à me potiſſimùm prætermittendam. Quam ego nihilominus ſequar ita hoc tempore, ut non minor virium mearum, quàm doctiſſimorum auditorum habita videatur ratio. Nihil enim de laudibus earum dicã legum, quæ ſummorum Principum autoritate ab optimis & prudentiſſimis latæ viris, quantum apud vos ponderis obtineant, oſtendit id, quòd iis religioſè obſervandis, fidem ſponte veſtram, ſanctiſſimo jurejurando obſtrinxiſtis, quodq; ad eas audiendas tantâ frequentiâ tantiſq; ſtudijs conveniſtis.*

Propoſitio. *Illud agam potius, quod & muneris mei ratio,*

tio, & meus in vos, qui ſtudiorum mihi commilitones eſtis, amor flagitat ſingularis, adoleſcentes ſtudioſiſſimi, voſq́; breviſſimis cohortabor verbis, ut ea literarum ſtudia, ad quæ non temerè eſtis delati, ſed à Deo immortali deſtinati, à parentibus & propinquis ſingulari curâ & ſolicitudine educati, quanta poteſtis diligentia colatis. Legibus obediendum.

Quod ut promptè ſtudioſeq́; faciatis, movere vos inprimis debet æterna, quam dixi, divini numinis providentia, quæ vos non cuivis vitæ generi, non abjectiſſimæ conditioni; ſed ei adſcripſit ordini, quo aut honeſtior, aut excellentior, aut deniq́; utilior cogitari non poteſt. Confirmatio à fine & præſtantia vitæ ſcholaſticæ.

Quid enim omnium rerum in vita mortalium eſt præſtantius, quàm divinæ erga homines voluntatis interpretem eſſe, & ſummorum Dei beneficiorum in humanum genus nuntium? Theologi. *Quid honeſtius, quàm conſilio prudentiaq́; vitam hominis, fortunas, famamq́; defendere?* Iurecoſſ. *Quid utilius, quàm incomparabilem humani corporis theſaurum, bonam conſervare valetudinem, & ab hoc ſalutaribus remediis vim ſæviſſimorum dolorum propellere?* Medici.

Quid dicam de Philoſophis, & iis, qui ab humanioribus, quibus ſtudent literis, veræ ſtudioſi humanitatis appellantur? Hoc affirmo, quod Philoſophi.

ſi quis

ſi quis perſuaſum habeat, tantas quas dixi res, ſine literarum cognitione bonarumq́; artium ſcientia, aut rectè inſtitui póſſe, aut inſtitutas perfici, cum tegumentum potius ignaviæ ſuæ inſcitiæq́;, quam verum quod eſt in hac cauſa, quærere videri.

Exempla Athenienſium, Romanorum. *Quid enim opus eſt verbis, ubi rerum præclara adſunt teſtimonia? Non ego Athenienſis, non Romanæ Reipubl. proponam exempla, quæ tùm floruerunt maximè, cùm à doctiſſimis & ſapientiſſimis adminiſtrarentur viris: rurſum langueſcere, & ad interitum prolabi tùm viſæ ſunt, cùm eruditionis & ſapientiæ avitam gloriam cum vita immani ac barbara commutaſſent, invecta ab ijs ipſis ſcilicet, qui uti virtutis omnis & honeſtatis, ita omnis doctrinæ liberalis atque ingenuæ hoſtes fuerunt acerbiſſimi.* Eccleſiæ Veteris. Novæ. *Ipſos illos intuemini, qui aut in veteri Eccleſia, aut in recentiori tenuerunt gubernacula: Moſen, Danielem, Salomonem, & illum, qui, cum ultimus eſſet Apoſtolorum Chriſti, plura tamen, majoraq́; omnibus præſtitit Apoſtolis, ſanctiſſimum dico Paulum, quem eas quoque literas ad res ſacras contuliſſe, quas profani nimium homines neceſſarijs à Deo ſacratas uſibus tanquam profanas vituperant: qui negat, is ſatis oſtendit, ſe ſacrarum etiam imperitiſſimum literarum*

terarum eſſe, quarum malè adaptatis ob imperitiam teſtimonijs & exemplis abutitur.

Taceo nunc, qui Apoſtolorum ſecuti ſunt tempora, viros ſanctitate dicam, an eruditione præditos majore? Quorum ſummæ pietati ſummam eruditionem ad expugnanda tot hæreticorum monſtra adjunxiſſe videtur Deus, ut ſanctiſſimum artium bonarum in re ſanctiſſima uſum mortalibus oſtenderet. Quod ipſum admirabili noſtræ ætatis teſtimonio comprobatum eſt, cui non antè tàm diu tetris abdita tenebris illuxit veritas, quàm tanti boni tanquam prænuntiæ poſtliminij quodam jure omnes bonæ redijſſent literæ.

Sed commoratus ſum in re manifeſta diutius fortaſſe quàm par ſit. Ex ijs enim, quas dixi, rebus ſatis intelligitis credo, cum ne divina quidem religio bonarum artium carere velit adminiculis quantoperè eæ ad regna & omnes Reipub. partes adminiſtrandas ſint neceſſariæ, cui cùm ſecundum Deum immortalem omnia debeatis, nolite committere, ut ea ignavia veſtra detrimentum aliquod accepiſſe videatur. Quid contra ſacroſanctam religionem, contra jura omnia divina & humana auſa fuerit ſuperiorum ætatum imperitia, ex re ipſa, & vulgatiſſimis hiſtorijs judicari poteſt.

Digitized by Google

A noxio. *Quid abs rudibus, & nulla bonarum artium inſtructis animis profecta audacia noſtro tentet ſeculo, utinam animadverſum præcaveamus potius, quàm exploratum inani luctu deploremus: quam ad rem conſequendam conjungite vires veſtras, optimi adoleſcẽtes, cum doctiſſimis præceptoribus: pugnate magnis contra barbariẽ animis, quæ tanto furore cõtra bonas literas bonosq; mores decertat: nec vos commoveant exempla quorundam, qui cæco errore vitia virtutibus, imperitiam eruditioni præferunt: & juſtum quantumvis dolorem majore animorum æquitate vincite. Auferant ſanè ab indoctis indocti ſua præmia turpi avaritiæ & ambitioni ſervientia: obtineant per vos inane virtutis nomen & dignitatis, qui veram dignitatem cum vera virtute conjunctam obtinere non poſſunt. Vos nulla hominum depravata judicia, fortunæ iniquitas nulla, à rectà officij deflectat via: quin hoc agite, ut verè laudata vobis & apud Deum & homines ſtudiorum veſtrorum conſtet ratio: Fugite ea omnia impedimenta, quæ hoſtis ſalutis noſtræ perpetuus, Satan, hanc felicitatis viam ingreſſis objicit, otium, ignaviam, luxum, & quæcunq; ſunt ejuſdem generis flagitia, hominum perditorum propria, non eorum, quorum vita omnis, actionesq; omnes virtuti & hone-*

ſtati

Digitized by Google

ſtati ſunt conſecratæ: Date hoc patriæ, date parentibus, vobisq́ adeò ipſis, Adoleſcentes optimi, ut quarum literarum gratia & patriam, & parentes, & quos in hac vita habetis cariſſimos, deſeruiſtis, tantas peregrinationum moleſtias ſuſcepiſtis, tantos deniq; ſumtus facitis, ad eas perdiſcendas voluntas ne deſideretur veſtra & diligentia. Nolite committere, ut aut in viliſſimo opere, fabrorum vos antevertat vigilantia, aut in fluxarum opum ſtudio mercatorum vincat aſſiduitas: & cùm hi domum, uxorem, liberos, omniaq́, relinquant, periculoſiſſima itinera terra mariq́, ſuſcipiant, ut pecuniola mox peritura auctiores revertantur: Cogitate quæſo, quæ vos in infinita veriſſimarum opum materia facere conveniat, ut aliquando non fucatis onerati mercibus, non ſervili opificio defatigati; ſed ampliſſimis & ſempiternis animi divitiis, virtute & pulcherrimarum rerum ſcientia exornati, ad parentes, cognatos, amicos, in patriæ denique ipſius complexum reverſi Rempub. cui poſt Deum immortalem, vitam ipſam debetis, in fidem & patrocinium veſtrum ſuſcipiatis.

Hæc vobis certa & expedita ad veram gloriam patet via, quæ non à populari aura, non vaniſſimis ſit collecta rumoribus; ſed cum ſummi Dei gloria & humanæ ſocietatis maximis u-

tilitatibus ſit conjuncta: in hac ut omnes vires nervoſq́; omnes contendatis pro mei muneris autoritate à vobis poſtulo, pro meo in vos amore & benevolentia rogo, ut quem mihi honorem tacitis congratulationibus jucundum jam nunc efficitis, is mihi ex commodis veſtris & ſtudiorum veſtrorum felici ſucceſſu fiat longè jucundiſſimus.

Ad Profeſſores. *Quod reliquum eſt, ad vos mea ad finem properans ſe convertit oratio, Viri Clariſſimi, qui munus docendi in hac celeberrima adminiſtratis Academia: Excitate mihi, quæſo, quod vos non dubito facturos, præclara adeò tot adoleſcentum ingenia, eorumq́; diligentiam veſtra adaugete diligentia, & illam laudem, cujus initia in oculos omnium & clariſſimam produxiſtis lucem, abſolvite, ut Heidelbergenſis ea maneat Academia, cujus alumni non minus veræ pietati, quæ fundamentum eſt omnis ſcientiæ, quàm optimis artibus & diſciplinis, docendis diſcendisq́; ſint addicti.*

Pollicitatio ſtudij. *Ego ſanè quod ex me hujus Academiæ commodis atque ornamentis accedere poterit, ſciens præmittam nihil: ut autem accedat plurimum, veſtras, quæſo, preces ad Deum immortalem, à quo bona petenda obtinendaq́; ſunt omnia, meis precibus ardenti ſtudio conjungite: eumq́; obſe-*

obſecrate, ut qui huic Academiæ defenſorem conſtituit & patronum, Illuſtriſſimum Principem, Fridericum *Palatinum & Septemvirum, Dominum & Patrem meum: idem velit nobis tantum beneficium in multos conſervare annos, & æquare ejus vitæ ſpacium cum ijs bonis, quæ per illum nobis, Eccleſiæ & Reipublicæ præſtare non deſiſtit.*

DIXI.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA QUÆDAM

AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem ac Dominum,

Dn. CHRISTOPHORUM, PALATINUM, DUCEM BAVARIÆ, &c.

I.

Ad ipſum, pro tempore Rectorem Academiæ,

Cùm publicè peroraſſet,

Anno 1566.

CLara Ducum ſobeles, veriſſima Patris imago,
Doctos dum caſto fundis ab ore ſonos:
Collaudem ne prius dignos te Principe vultus,
Et dona ingenij commemoranda tui?
An verò id potius, memori quòd condita mente
Promſeris è largo verba diſerta penu?
Perge alacer, laudum majoraq; diſce mereri
Præmia, quæ tribuent ſecula longa tibi.

II.

AD EUNDEM.

INtulerunt genti decora immortalia veſtræ
Complures, vobis qui numerantur Avi.

Multos

Multos juſtitiæ claravit gloria, multos
Virtus militiæ cognita, ſive domi.
Auguſti Imperij Septemvir maximus OTTHO
Inſigni Princeps auxit honore ſuos.
Poſt aquilâ geminâ valido virtute leoni
Subjectæ Cæſar ſunt, LUDOVICHE, *tua.*
Præfuit & rebus Romanis inde ROBERTUS
Rex: tritavus, Princeps, exſtitit ille tuus.
Hujus at ille nepos FRIDERICHUS *victor in armis,*
Proh quàm magnanimus Martis alumnus erat?
Quid memorem reliquos? res geſtas publica veſtro
An quiſquam melius jura tenebat Avo?
Deniq; vicit avos, atq; ipſos forte nepotes
Vincet caſta animi relligione PATER.
Quid tibi ſit reliquum? quæ laus? quæ gloria? quæris.
Majori magnis eſſe licebit avis.
Illorum primus factis illuſtribus infer
Doctrinæ, Princeps ingenioſe, facem.
Poſcit uterq; parens hoc abs te: publica poſcit
Res; oculos in te conjicit illa ſuos.
Hac facile æternam ratione licebit apiſci
Laudem, quâ fortes exſuperabis avos.
Ergo age majorum factis illuſtribus infer
Doctrinæ, Princeps ingenioſe, facem.

Johannes Lewenklajus

Suæ erga tantæ ſpei Principem obſervantiæ declarandæ ſtudio F. Anno M D LXVI. Kal. Januarijs.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI CHRISTOPHORO, COMITI Palatino, Bavariæ Duci, &c.

ΞENION

TH. BEZA. DD.

Ecce tibi, quale argentum Burgundia gignit,
Quaq; etiam ſalſa munera fundit aqua.
Dulcis opum guſtus, ſale nil contrà acrius uno;
Integra ſic hominum ſymbola ſortis habes.
Faxit at ille tuæ dominus qui pocula vitæ
Temperat, ô magni magna propago Patris,
Te neque dulcedo fallat, neq; vexet amaror,
Quin potius currat ſors moderata tibi.

AD EUNDEM

PAULI MELISSI SCHEdiaſmata nonnulla.

CHriſtophore, *antiquo veterum ſate ſanguine Prancûm,*
O decus, & veſtræ gloria ſumma domus;
Te quibus eximus animi virtutibus auctum,
Carminibus, ſicut jure merére, canam?
Ingeniúmne prius docti vel pectoris artes
Mirer? an es vera quòd pietatis amans?
Obruor, Hercle, tuis condendis laudibus, vt qui
Effuſo pluvij prenditur imbre Iovis,

Macte

Macte alacri virtute potens, macte inclyte Princeps;
Uiq́; ſoles, ultra perge Timere Deum.
Cui Domini Timor ante oculos verſatur; is audax
Vitam deſpiciet, deſpicietq́; necem.

AD EUNDEM GENEVÆ DEGENTEM.

II.

CÆrulei degens ad ſtagna beata Lemanni,
Optime Dux, atavis edite Cæſaribus;
Nexa Palatinis manibus, geſtanda poetæ
Ultro donaſti Laurea ſerta comis.
Aurea nunc geſto prope Nicri muſicus amnem
Serta Palatinæ pollice nexa Deæ.
Quam benè dividitis, frater dum carmina lauro
Munerat; aſt auro cantica noſtra ſoror?

III.

EIDEM.

SI foret in fatis, ut quod tibi cunque precarer,
Non malè ſucceſſus poſſet habere ſuos;
Optarem dominus fieres, quàm lata patebunt
Culta locupletis jugera Franconiæ,
Fontibus à Mœni geminis alboq́; rubroq́;,
Ad Rheni dominas uſq; tricornis aquas.
Tunc mea, (ſed non jam mea, ſede carentis) haberent
Nomine, req́; Ducem, patria Chriſtophorum;
Munificoq́; foret Duce, resq́; locusq́; poeta,
Ut canerem laudes, non ſine laude tuas.
Quanquam ſed certè, tibi quæ precor, inclyte Princeps,
Longè ſunt meritis iſta minora tuis.

Digitized by Google

Maximus ille Deus, Deus optimus ille Deorum
Det majora tibi, det meliora velim;
Multò (inquam) meliora tibi, majoraq́; donet,
Quàm vel ego ſperem. quàm vel & ipſe velis.

IV.

AD EUNDEM

De generoſo equo ipſius.

DUm tuus exſultim ſonipes ferit atheris auras
Arduas, & celeri calce fatigat humum;
Cernere tum videor, geſtarit Perſea quondam
Pegaſus Auroræ qualiter ales equus.
Pegaſon at quantum ſonipes, ſcis vincere tantùm,
Ulteriúsve aliquo Perſea, Chriſtophore.
Dicere ſanè aliàs auderem; Tu mihi Perſeus,
Ille tuus quadrupes Pegaſus alter erit.

V.

AD EUNDEM

De ſagittandi arte.

ARte ſagittandi ſi quis vocitare magiſtrum
Te velit, haud dubiè nomina vera dabit:
Nec decet ô Princeps, aliorum is pace loquatur,
Quos colit artifices Teutonis ora ſuos.
Quàm pater & fratres illis excellere norunt,
Tam tu præcellis fratribus atque patri.
Indicio eſt tactus certis ſcopus ipſe ſagittis:
Juſtus vt eſt oculus, ſic quoque juſta manus.

Uſque

Vſque adeo, juſſos ut non niſi tangere clavi
Ipſa volans apices recta ſagitta velit.
Quid credam? vel te Chiron hâc imbuit arte,
Vſurpanda tibi vel ſua tela dedit.

VI.

AD EUNDEM CUM SORORE JACOBA KUNIGUNDA TRAhea vectum.

QValis in excelſo vectus Sol ſplendet Olympo,
Inter & illuſtres aurea Luna faces;
Non aliter traheâ princeps invecte curuli,
Virgine Germanâ ponè ſequente, nites.
Ætheris utque duos clariſſima lumina reges
Ordinibus ſtipant aſtra minora ſuis;
Aulica turba Duces ita vos comitatur euntes
Iam quos anticipes, quosque ſequaris, habes:
Nec glomeras orbes, minùs ipſe, ſororq; rotundos,
Quàm gyros iterant Lunaq; Solq; ſuos.
Singula conveniunt; ignoſcite numina cœli:
Scilicet in terris hic deus, illa dea eſt.

VII.

AD EUNDEM; DE LAUREA.

QVa mihi Daphneâ tranſmittis ab arbore; Princeps
Nexa recens manibus florida ſerta tuis;

Non ea grata minus; quam munere Caſaris olim
Laurea quæ nobis cinxit odora caput.
Pro quibus officijs, quantum perſolvere vix eſt,
Debeo. Quid verò, quid tibi, quæſo, precer?
Laurus ut æternos gerit immortalis honores,
Et ſemper viridi frondet amicta comâ;
Sic vigeas in flore tuo; ſic laude perennet
Clara, Palatinæ ſtirps generoſa domus.

VIII.

EIDEM.

CAſtalides caſtæ, Charites ſunt numina caſta.
Duxque puellaris caſta Minerva chori.
Caſtus Apollineos grex eſt imitatus olores,
Seu quis adeſt cantor, ſive poëta bonus.
Hos inter primâ numeras dum fronde Meliſſum,
Chriſtophore, *eximio nos in honore locas:*
Quam ſibi propterea, cœtu præſente tuorùm,
Hoc caput impoſitum non ſine laude gerit;
Nullius aut digitis aut debuit iſta profectò
Virgineâ texi, pulchra corona, manu.
Quòd ſi virgineâ, quæ texerit heroina
Dignior hercle tuâ, nulla ſorore fuit.

IX.

EIDEM DE VERSIONE GALlicorum Pſalmorum.

PRinceps optime, cor tui poëta;

Si me vertere poſſe credidiſti
Corda in Teutona corda Gallicana
Ocellis, cubito, labris & aure:
Ocellis, cubito, labris & aure:
Ocellis, cubito, labris & aure
Fac me credere poſſe, verſionem
Hanc meam tibi velle tam probari,
Quàm me vertere poſſe credidiſti
Corda in Teutona, corda Gallicana;
Princeps optime, cor tui poëta.

X.

EIDEM

Heidelbergam Parnaſſum & Helicona:

DUCEM CHRISTOPHORUM
RECTOREM ACADEMIÆ
eſſe Phœbum, Anno
M. D. LXVI.

Fabula neſcio quem fabricaſſe poëtica Phœbum
Creditur, Aonij dux ſit vt ille gregis:
Cui montes tribuere ſuos tribuere ſacella,
Et cum Pegaſeo fonte ſalubre nemus.
Ah valeant conficta ſacris Academia Muſis
Heic viget, ad Nicri lene fluentis aquas.
Verus hic eſt Helicon, eſt hac Parnaſſia rupes:
Adſpice & hos fontes, lauricomumque nemus!
Heic Capitolinis æquanda palatia ſaxis
Inque Palatino patria templa jugo.

Quis

Digitized by Google

Quis niſi tu noſter, dux illuſtriſſime, Phœbus
Irradians jubaris lumine quaqne tui?

XI.

AD EUNDEM, IN EFFIGIEM HEIDELBERGÆ,

QVando Palatinam Fridericus amabilis heros
Florentem placidâ pace regebat hum ım,
Conſecrata piis erat Urbs Nicrina Camœnis,
Talis ab Arctôo conſpicienda Polo,
Mars ferus æratis reſolutus crura cathenis,
Letifer heu Gallis triſte movebat opus;
Creſceret vt tenera ſemen pietate novellum,
Et locupletaret Teutonas uber agros
Quàm juvat & melli eſt, Proceres, Francoa propago,
Imperturbatâ poſſe quiete frui!
Res fragilis Pax eſt, coaleſcat vt integra, Fili,
Mentem Patris, Avi cor imitare Nepos.

XII.

JULII CÆSARIS SCALIGERI HEIDELBERGA,

ex illius Poëmat. de Urbibus

NObilis Imperio Franconia dextra potenti
Belligero nulli Marte ſecunda viget.
Cum victis ab ſe pepulit vectigal Alanis,
Libera Germano nomine Franca fuit.

Nec

Nec contenta ſuis anguſtis finibus (illi
Quæ par virtuti terra futura foret?)
Egreditur; ſuperat. Germani ô pectus honoris.
Victoris victos nomina ferre ſat eſt.
Non aliunde venis: Francus ve eſt Hectoris ullus
Quid petis à victo ſtemmata? Tota tua es.

XIII.

Trenodia Meliſsi

ſuper obitu

D. CHRISTOPHORI PAL.

LUCTUOSISSIMO. AN. 1574.

MOrs tua ſi Schediâ potuiſſet cedere morte,
Et redimi vitâ ſi tua vita meâ.
Gaviſus fuerim fatis opponere fata,
Tanto ego dilexi Principem amore meum.
Æternum mihi nunc luctum; æternumq́ dolorem
Concilias, armis perdite Chriſtophore.
O utinam per me rurſus viviſcere poſſes;
Nex animæ fuerit non violenta meæ.
Te nece mercarer: cruor hic mihi vilior eſſet
Sanguine, quem modicum fundere poſſet apis.
Quid querar? ah non fas, ita poſſe aut velle. perennis
Pectore vive meo, carmine vive meo.

P. M.

DE

Digitized by Google

DE CHRISTOPHORO PALATINO, DUCE BAVARIÆ, &c.

MOribus & ſtudiis generoſum pectus honeſtis
CHRISTOPHORUS *decorans, laudando Principe dignas*
Artes, & linguas florentibus integer annis
Addidicit, doctis ſectans grata otia Muſis:
Ac juvenis Patrij benè geſſit ſceptra Lycei.
Iamq́, aliquos fructus & præmia digna laboris
Abſtulit, & cœpit volitare per ora virorum,
Illuſtrans clarum magnorum Nomen Avorum
Virtute eximiâ, & celſum Genus artibus æquans.
Poſt niſu magno juvenis Mavortius arma
Cepit, cum variè bello vexaret iniquo
Belgarum gentes, infanda Hiſpana tyrannis:
Tum cupiens, alacer lapſis ſuccurrere rebus,
Prœliavit fortis, nitidis ſpectatus in armis:
Aſt in crudeles dum ſic prorumpit Iberos,
Et dextrâ & læva multos proſternit; in armis
Occidit, heu, columen Patriæ, fulcrumq́, Parentis.
Sic Mors præclaris virtutibus invida, ſæpe
Magnanimos, dolor heu, primævo in flore peremit.

KE-

Digitized by Google

ΚΕΝΟΤΑΦΙΟΝ

ΚΑΙ ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ ΤΟΔΕ

D. CHRISTOPHORO PAL.

PRINCIPI MAGNANIMO, INCLYTO, EGREGIO, SUMMÆQUE SPEI, QUI

NATUS ANNO CHRISTI CIↃ IↃ LI. EIDIBUS IUNIIS, A PARENTIBUS FRIDERICO. III. ET MARIA BRANDEBURGICA, IN PIETATE ET OMNI VIRTUTE PRÆCLARE EDUCATUS, LINGUARUM, ARTIUM ET DISCIPLINARUM LIBERALIUM SCIENTIA INSTRUCTISSIMUS, LITERARUM, ERUDITORUMQUE FAUTOR BENIGNISSIMUS, OB INGENIUM, DOCTRINAM, CLEMENTIAM, AMABILES MORES, ANIMI CORPORISQUE VENUSTATEM, ET FORTITUDINEM ARMATAM ET TOGATAM CUNCTIS DILECTISSIMUS, LONGÆVITATE DIGNISSIMUS, BELLO PRO VERA RELIGIONE, ET BELGARUM LIBERTATE SUSCEPTO, IN PRÆLIO CONTRA HISPANOS IN CAMPIS MOWICENSIBUS AD NEOMAGUM COMMISSO OCCUBUIT, INGENTI CUM LUCTU PATRIS PATRIÆQUE, ANNO CIↃ IↃ LXXIV. XIV. APRILIS.

Quirinus Reuter D. & in Acad. Heidelb. Profeſſor P.

Digitized by Google

Ejuſdem deploratio trium Fratrum.

ILLUSTRISSIMORUM PRINCIPUM PALATINORUM

FRIDERICI III. FFF.
LUDOVICI ELECT.
IOH. CASIMIRI
CHRISTOPHORI

nimis immaturi fati vel obitus.

T*Ernis ut ſtellis ſidus micat Orionis,*
Terra Palatina eſt viſa micare tribus;
Ludovico, Iano Caſimiro, Chriſtophoroque,
Queis Pater ut fulcris, terraq; nixa fuit.
Aſt heu quàm ſubitò ceciderunt lampades iſtæ?
Quàm ſubitò fugit ſplendidus ille nitor?
Armis Chriſtophorus *moritur. Ter pòſt tribus annis*
Ludwicus, *totidem poſt* Caſimirus *obit.*
Solus adhuc remanens Ludwici *celſa propago*
Fridericus, *gelidâ nunc quoq; morte cadit*
Cujus pignoribus Dominus benedicat in ævum
Sic vivat, vigeat, floreat iſta domus.

Iſta Ciſneri carminibus ad eorundem Palatinorum, quos ille decantat, honorem & memoriam adiungere volui. Plura poteram, ſed ne nimis multa triſtia vel aliena videar inſerere, ad Ciſneriana & lætiora revertor.

EPI-

EPITHALAMIUM
Ad nuptias
Illuſtrium & Generoſorum Comitum
PHILIPPI ab HANAW, &c.
HELENÆ PALATINÆ,
ET
PHILIPPI à LEININGEN,
AMELIÆ BIPONTINÆ.
Decantatum à
NICOLAO CISNERO.

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO,
PHILIPPO LUDOVICO,
Comiti in Hanavv, Domino in Minzeberg, &c.
Domino gratioſiſſimo.

Armina Ciſnerus, Comes Inclite, *votaq; quondam*
Quæ Veſtri tædis eſt modulatus Avi.
Reddita nunc iterum luci, Tibi *jure repono*,
Et grator prolem munera larga Dei.
Scilicet in Vobis verax Deus eſſe probatur,
In pactis conſtans pollicitisq; ſuis.
Juſto promiſit ſemen multum benedictum,
Ipſius Avo prolem ritè, Patriq; dedit.
Ipſe etiam, votis quod comprecor omnibus addes,
Floreat vt veſtrum ſtemma genusq; diu.

Ill. V. D. Obſervantiſſimus

Quirinus Reuterus S. Th. D. & Profeſſor Acad. Heidelb.

Maximus ille Deus, Deus optimus ille Deorum
Det majora tibi, det meliora velim;
Multò (inquam) meliora tibi, majoraq́; donet,
Quàm vel ego ſperem. quàm vel & ipſe velis.

IV.

AD EUNDEM

De generoſo equo ipſius.

DUm tuus exſultim ſonipes ferit ætheris auras
Arduas, & celeri calce fatigat humum;
Cernere tum videor, geſtarit Perſea quondam
Pegaſus Auroræ qualiter ales equus.
Pegaſon at quantum ſonipes, ſcis vincere tantùm
Ulteriúsve aliquo Perſea, Chriſtophore.
Dicere ſanè aliâs auderem; Tu mihi Perſeus,
Ille tuus quadrupes Pegaſus alter erit.

V.

AD EUNDEM

De ſagittandi arte.

ARte ſagittandi ſi quis vocitare magiſtrum
Te velit, haud dubiè nomina vera dabit:
Nec decet, ô Princeps, aliorum is pace loquatur,
Quos colit artifices Teutonis ora ſuos.
Quam pater & fratres illis excellere norunt,
Tam tu præcellis fratribus atque patri.
Indicio eſt tactus certis ſcopus ipſe ſagittis:
Juſtus ut eſt oculus, ſic quoque juſta manus.

Vſque adeo, juſſos ut non niſi tangere clavi
Ipſa volans apices recta ſagitta velit.
Quid credam? vel te Chiron hâc imbuit arte,
Uſurpanda tibi vel ſua tela dedit.

VI.

AD EUNDEM CUM SORORE JACOBA KUNIGUNDA TRAhea vectum.

QValis in excelſo vectus Sol ſplendet Olympo,
Inter & illuſtres aurea Luna faces;
Non aliter trabeâ princeps invecte curuli,
Virgine Germanâ ponè ſequente, nites.
Ætheris utque duos clariſſima lumina reges
Ordinibus ſtipant aſtra minora ſuis;
Aulica turba Duces ita vos comitatur euntes
Iam quos anticipes, quosque ſequaris, habes:
Nec glomeras orbes, minùs ipſe, ſororq; rotundos,
Quàm gyros iterant Lunaq; Solq; ſuos.
Singula conveniunt; ignoſcite numina cœli:
Scilicet in terris hic deus, illa dea eſt.

VII.

AD EUNDEM; DE LAUREA.

QVa mihi Daphneâ transmittis ab arbore; Prin- (*ceps*
Nexa recens manibus florida ſerta tuis;

Y v.

Non ea grata minus; quam munere Caſaris olim
Laurea qua nobis cinxit odora caput.
Pro quibus officijs, quantum perſolvere vix eſt,
Debeo. Quid verò, quid tibi, quaſo, precer?
Laurus, ut aternos gerit immortalis honores,
Et ſemper viridi frondet amicta comâ;
Sic vigeas in flore tuo; ſic laude perennet
Clara, Palatina ſtirps generoſa domus.

VIII.

EIDEM.

CAſtalides caſta, Charites ſunt numina caſta.
Duxque puellaris caſta Minerva chori.
Caſtus Apollineos grex eſt imitatus olores,
Seu quis adeſt cantor, ſive poëta bonus.
Hos inter primâ numeras dum fronde Meliſſum,
Chriſtophore, eximio nos in honore locas:
Quam ſibi propterea, cœtu praſente tuorum,
Hoc caput impoſitum non ſine laude gerit;
Nullius aut digitis aut debuit iſta profectò
Virgineâ texi, pulchra corona, manu.
Quòd ſi virgineâ, qua texerit heroina
Dignior hercle tuâ, nulla ſorore fuit.

IX.

EIDEM DE VERSIONE GALlicorum Pſalmorum.

PRinceps optime, cor tui poëta;

Si

Si me vertere poſſe credidiſti
Corda in Teutona corda Gallicana
Ocellis, cubito, labris & aure:
Ocellis, cubito, labris & aure:
Ocellis, cubito, labris & aure
Fac me credere poſſe, verſionem
Hanc meam tibi velle tam probari,
Quàm me vertere poſſe credidiſti
Corda in Teutona, corda Gallicana;
Princeps optime, cor tui poëta.

X.

EIDEM

Heidelbergam Parnaſſum & Helicona:

DUCEM CHRISTOPHORUM
RECTOREM ACADEMIÆ
eſſe Phœbum, Anno
M. D. LXVI.

Fabula neſcio quem fabricaſſe poëtica Phœbum
Creditur, Aonij dux ſit vt ille gregis:
Cui montes tribuere ſuos tribuere ſacella,
Et cum Pegaſeo fonte ſalubre nemus.
Ah valeant conficta ſacris Academia Muſis
Heic viget, ad Nicri lene fluentis aquas.
Verus hic eſt Helicon, eſt hac Parnaſſia rupes:
Adſpice & hos fontes, lauricomumque nemus!
Heic Capitolinis æquanda palatia ſaxis
Inque Palatino patria templa jugo.

Quis

Digitized by Google

Quis niſi tu noſter, dux illuſtriſſime, Phœbus
Irradians jubaris lumine quæque tui?

XI.

AD EUNDEM, IN EFFIGIEM HEIDELBERGÆ,

QVando Palatinam Fridericus amabilis heros
Florentem placidâ pace regebat humum,
Conſecrata pijs erat Urbs Nicrina Camœnis,
Talis ab Arctöo conſpicienda Polo,
Mars ferus æratis reſolutus crura cathenis,
Letifer heu Gallis triſte movebat opus;
Creſceret ut tenera ſemen pietate novellum,
Et locupletaret Teutonas uber agros
Quàm juvat & melli eſt, Proceres, Francoa propago,
Imperturbatâ poſſe quiete frui!
Res fragilis Pax eſt, coaleſcat ut integra, Fili,
Mentem Patris, Avi cor imitare Nepos.

XII.

JULII CÆSARIS SCALIGERI HEIDELBERGA,

ex illius Poëmat. de Urbibus

NObilis Imperio Franconia dextra potenti
Belligero nulli Marte ſecunda viget.
Cum victis ab ſe pepulit vectigal Alanis,
Libera Germano nomine Franca fuit.

Nec

Nec contenta ſuis anguſtis finibus (illi
Quæ par virtuti terra futura foret?)
Egreditur; ſuperat. Germani ô pectus honoris.
Victoris victos nomina ferre ſat eſt.
Non aliunde venis: Francusve eſt Hectoris ullus
Quid petis à victo ſtemmata? Tota tua es.

XIII.

Trenodia Meliſſi

ſuper obitu

D. CHRISTOPHORI PAL.

LUCTUOSISSIMO. AN. 1574.

MOrs tua ſi Schediâ potuiſſet cedere morte,
Et redimi vitâ ſi tua vita meâ.
Gaviſus fuerim fatis opponere fata,
Tanto ego dilexi Principem amore meum.
Æternum mihi nunc luctum; æternumq; dolorem
Concilias, armis perdite Chriſtophore.
O utinam per me rurſus viviſcere poſſes;
Nex anima fuerit non violenta meæ.
Te nece mercarer: cruor hic mihi vilior eſſet
Sanguine, quem modicum fundere poſſet apis.
Quid querar? ah non fas, ita poſſe aut velle. perennis
Pectore vive meo, carmine vive meo.

P. M.

DE

DE CHRISTOPHORO PALATINO, DUCE BAVARIÆ, &c.

MOribus & ſtudiis generoſum pectus honeſtis
CHRISTOPHORUS *decorans, laudando Principe dignas*
Artes, & linguas florentibus integer annis
Addidicit, doctis ſectans grata otia Muſis:
Ac juvenis Patrij benè geſſit ſceptra Lycei.
Iamq; aliquos fructus & præmia digna laboris
Abſtulit, & cœpit volitare per ora virorum,
Illuſtrans clarum magnorum Nomen Avorum
Virtute eximiâ, & celſum Genus artibus æquans.
Poſt niſu magno juvenis Mavortius arma
Cepit, cum variè bello vexaret iniquo
Belgarum gentes, infanda Hiſpana tyrannis:
Tum cupiens, alacer lapſis ſuccurrere rebus,
Prœlia init fortis, nitidis ſpectatus in armis:
Aſt in crudeles dum ſic prorumpit Iberos,
Et dextrâ & lævâ multos proſternit; in armis
Occidit, heu, columen Patriæ, fulcrumq; Parentis.
Sic Mors præclaris virtutibus invida, ſæpe
Magnanimos, dolor heu, primævo in flore peremit.

ΚΕΝΟΤΑΦΙΟΝ

ΚΑΙ ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ ΤΟΔΕ

D. CHRISTOPHORO PAL.

PRINCIPI MAGNANIMO, INCLYTO, EGREGIO, SUMMÆQUE SPEI, QUI

NATUS ANNO CHRISTI CIↃ IↃ LI. EIDIBUS IUNIIS, A PARENTIBUS FRIDERICO. III. ET MARIA BRANDEBURGICA, IN PIETATE ET OMNI VIRTUTE PRÆCLARE EDUCATUS, LINGUARUM, ARTIUM ET DISCIPLINARUM LIBERALIUM SCIENTIA INSTRUCTISSIMUS, LITERARUM, ERUDITORUMQUE FAUTOR BENIGNISSIMUS, OB INGENIUM, DOCTRINAM, CLEMENTIAM, AMABILES MORES, ANIMI CORPORISQUE VENUSTATEM, ET FORTITUDINEM ARMATAM ET TOGATAM CUNCTIS DILECTISSIMUS, LONGÆVITATE DIGNISSIMUS, BELLO PRO VERA RELIGIONE, ET BELGARUM LIBERTATE SUSCEPTO, IN PRÆLIO CONTRA HISPANOS IN CAMPIS MOVVICENSIBUS AD NEOMAGUM COMMISSO OCCUBUIT, INGENTI CUM LUCTU PATRIS PATRIÆQUE, ANNO CIↃ IↃ LXXIV. XIV. APRILIS.

Quirinus Reuter D. & in Acad. Heidelb. Profeſſor P.

EPITHALAMIUM
Ad nuptias
Illuſtrium & Generoſorum Comitum
PHILIPPI ab HANAW, &c.
HELENÆ PALATINÆ,
ET
PHILIPPI à LEININGEN,
AMELIÆ BIPONTINÆ.
Decantatum à
NICOLAO CISNERO.

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO,
PHILIPPO LUDOVICO,
Comiti in Hanavv, Domino in Minzeberg, &c.
Domino gratioſiſſimo.

Armina Ciſnerus, Comes Inclite, *votáq; quon-*
Quæ Veſtri tædis eſt modulatus Avi. (*dam*
Reddita nunc iterum luci, Tibi *jure repono,*
Et grator prolem munera larga Dei.
Scilicet in Vobis verax Deus eſſe probatur,
In pactis conſtans pollicitisq; ſuis.
Juſto promiſit ſemen multum benedictum,
Ipſius Avo prolem ritè, Patriq; dedit.
Ipſe etiam, votis quod comprecor omnibus addet,
Floreat vt veſtrum ſtemma genusq; diu.

Ill. V. D. Obſervantiſſimus

Quirinus Reuterus S. Th. D. & Profeſſor Acad. Heidelb.

DESCRIPTIO EORVM,

QUÆ

In Nuptiis Generoſorum Comitum

DOMINI PHILIPPI

AB HANAW, ET

DOMINI IN MUNTZENBERG, &c.

Et Inclytæ Virginis

HELENÆ

ILLUSTRISS. PRINCIPIS Dn.
JOHANNIS PALATINI RHENI,
Comitis Spanheimenſis filiæ:

Item

Dn. PHILIPPI,

COMITIS à LEININGEN, ET
Domini in Weſterburg, &c.

ET

AMALIÆ

COM. à ZWEYBRUCK, &c.

Acta ſunt HEIDELBERGÆ, *Anno* M. D. LI.
Menſe Novembri:

Inſertis aliquot Hiſtoriis PALATINORUM RHENI.

AUTORE NICOLAO CISNERO.

NOBILIBUS ET GE-neroſis Comitibus,

Dn. PHILIPPO,

COMITI AB HANAW, ET
Domino in Müntzenberg:

&

Dn. PHILIPPO,

COM. à LEININGEN, ET
Domino in Weſterburg, &c.

Dominis ſuis plurimùm obſervandis.

NICOLAUS CISNERUS S.

Vetus Conſuetudo eſt jam uſque ab heroicis ducta temporibus; eaq; multorum præſtantium authorum uſu firmata: ut non ſolùm virorum loco, ordine atque virtute excellentium, res geſtæ memoriæ ac literis proderentur ſed & ſolennes illorum pompæ, tam in ad-

by Google

verſis, quàm ſecundis rebus, ſcriptis mandarentur. Non enim modò præclara facta, & laudabiles actiones hominum honoris & dignitatis gradu ſuperiorum, quaſi exempla quædam, aliis in poſterum proponenda eſſe ſapientiſſimi viri judicarunt: quibus vehementius ad virtutem & amplectendam, & colendam incitarentur: ſed & in eorum tum bonis atque commodis, tum malis & calamitatibus animi noſtri affectionem declarandam eſſe exiſtimarunt. Nam quorum ſtudio & opera vel in pacis temporibus, vel in belli tumultibus Reſpub. gubernatur, defenditur & conſervatur: aut quorum vel cognatio, vel benevolentia ſibi nos conjunxit: eorum & proſperis rebus gaudere, & aſperis dolere: eosq́ motus aliis etiam explicare: non alienum à boni viri erit officio. Ex quo factum eſſe colligo: ut quæ aut magnitudine præſtabilia, aut genere ipſo ſingularia in utraq; fortunæ parte per communem vitæ curſum fuerunt: ea non minus inſignium ſcriptorum monumentis, quàm ludis & ſpectaculis vulgi magna cum laude ſint celebrata. Quis enim ignorat; ut ludi apud veteres in nuptiis & funeribus clarorum hominum, atq; aliis generis ejuſdem rebus ſunt celebrati: ſic χαμήλια, ἐπιθαλάμια, ἐπικήδια & ἐπιτάφια, atque alia his ſimilia, in laudem & commendationem

eorum

eorum à poëtis & Græcis & Latinis, non tantum in perpetua rerum geſtarum narratione, ſed ſeparatim etiam eſſe conſcripta? Ac ut cætera, quæ à noſtro inſtituto ſunt remotiora, prateream: & de nuptiarum ſolùm laudibus dicam: tum apud Græcos primo Steſichorus; deinde venuſtiſſimus Poëta Theocritus ἐπιθαλάμιον *Menelai & Helenæ conſcripſerunt: tum apud Latinos nobiliſſimi Poëtæ Pelei & Thetidis: Claudianus Honorij, Auguſti & Martiæ: Auſonius Valentiniani Imperatoris nuptias eleganti carmine memoriæ conſecrarunt ſempiternæ. Iam omninò in more poſitum fuiſſe: ut priſcis temporibus Hymenæus in nuptiis caneretur: & Athenæus & Iulius Pollux prodiderunt. Sed quid multis? quaſi obſcurum ſit, quàm tritum, quàm commune patrum memoria fuerit laudes nuptiarum canere: cùm ejus etiam rei apud Rhetores Græcos præcepta extent. Dionyſius enim Halicarnaſſeus in ſuis libris de ratione dicendi artificium tradit, quo* ἐν γαμηλίῳ καὶ ἐπιθαλαμίῳ *ſit utendum. quare cùm & exempla optimorum poëtarum, & teſtimonia doctiſſimorum autorum, & præcepta diſertiſſimorum Rhetorum comprobent; quàm uſitatum olim fuerit; vel hominibus & ſplendore familiæ & virtute ornatis: vel amicis pro felici novi ſtatus auſpicio gratulari:*

& apparatum in nuptiis eorum deſcribere; nec me ſpero in doctorum & bonorum virorum reprehenſionem incurſurum: qui in eodem ſcripti genere veterum ſim ſecutus conſuetudinem. At enim me majorem quidam rem ſuſcepiſſe dicent: quam ingenio meo complecti, vel facultate conſequi poſſim. Cùm enim ea, quæ in nuptiis his acta ſunt, mihi deſcribenda fuerint: ut communia illa relinquam: quam difficile atque arduum fuerit; primo catalogum tot tamq; multorum Principum ac comitum contexere; deinde ludos illos militares, quorum pleroſq; à Germanis noſtris primum ortum duxiſſe arbitror: non ſimili propoſito genere aptè depingere: illis judicandum relinquo, qui in hac ſcribendi ratione ſunt exercitati. Mea quidem ſententia, qui hæc ita carmine exprimere poteſt: ut nihil à doctis deſideretur: is profecto ut & natura ſit admirabili, & exquiſita doctrina, & ſingulari induſtria oportet. quorum duo priora, vis ingenij, & eruditio excellens, quæ plurimum hac in re poſſunt, cùm me deficiant: tertium autem, labor & diligentia, quæ mihi alioquin adjumento eſſe conſuevit: hoc quoque in loco alijs fuerit occupationibus impedita: ut reprehenſionem eorum effugiam: non mediocriter timeo. quoniam enim nihil hic perfectum ingenio; nihil copia rerum

atque

atque varietate ſententiarum ornatum: nihil elaboratum induſtria apparet: optimo jure vel imprudentiæ me condemnare poſſunt: qui contra Horatij præceptum majus mihi onus impoſuerim, quàm ſuſtinere queam: vel arrogantiæ, qui plus mihi ſumam; quàm revera præſtare poſſim. Quod ſi igitur magis perficiundi ſpe, quàm experiundi voluntate hanc rem aggreſſus eſſem, equidem me à culpa non abeſſe quàm facillimè illis darem. Sed quia potiſſimùm ſummæ Illuſtriſſimi Principis noſtri Electoris benevolentia me movit, ut hac in re operam ponerem meam: malui, cum ſtudio illius ſim obſecutus; deſiderari in me ab aliis prudentiam: quàm ſi id non fecerim, ab ipſo obſervantiam, & gratam animi voluntatem. Qua de cauſa, ut ignoſcant mihi petò; qui accuratius ſolent de his judicare: etſi fictam potius quàm veram δεινότητα, ut Hermogenes vocat, ſum ſectatus, tribuant id ætati meæ: quæ maturitatem ſuam nondum eſt conſecuta.

Ad vos autem, generoſi Comites, propterea hanc meam qualemcunque operam miſi: quòd æquum eſſe putabam; ad quorum honorem hæc omnia eſſent inſtituta: quæ tanto apparatu ſunt peracta: in illorum etiam nomine deſcriptionem nuptiarum apparere. Deinde quod fore exiſti-

mabam: ut cum alter veſtrûm Illuſtriſſimo Principi noſtro affinitate ſit junctus: alter illi multos annos in aula adſuerit: non minus ei gratificarer: ſi vobis hoc meum ſcriptum offerrem: atque ſi ipſi dicaſſem. Accipite igitur hoc tùm meæ in Principem noſtrum obſervantiæ argumentum, tùm mei in vos ſtudij teſtimonium æquo bonoq; animo. quod ſi, ut ſpero, feceritis: erit id mihi tam gratum, quàm quod gratiſſimum. Deus Opt. Max. vos in hoc vitæ genere, quod ab ipſo eſt profectum, à Chriſto Domino noſtro repetitum: ab omnibus pijs veræ Dei Eccleſiæ miniſtris uſque ad hanc noſtram ætatem confirmatum, quàm diutiſſimè ſalvos & incolumes tueatur. Benè valete. Heidelbergæ, An. M.D. LII. *Idibus Ianuarij.*

DESCRIPTIO EORUM,

Quæ in nuptiis duorum Comitum

Dn. PHILIPPI Com. ab Hanaw, &c. & Dn. PHILIPPI Com. à Weſterburg, &c. Heidelbergæ acta ſunt.

QUæ thalami pompam cecinisti carmine Muſa, *Invocatio.*
Cum Thetis è liquidis emergens æquoris undis
Cum grege Nympharum pharſalia tecta petivit:
Ut ſibi perpetuo ſociaret Pelea nexu,
Nereis humanos non deſpiciens Hymenæos:
Seu te Cyrrha tenet, ſeu Pindus gratior illa,
Seu nemus Aonium: placidi ſeu flumen Ilisſi,
Seu fons Pegaſeus, ſeu quà Permeſſides undæ
Perpetuo vatum perfundunt labra liquore:
Huc ades, & ſublime mihi da ſcribere carmen,
Caſtaliosq; meo latices aſperge palato,
Grandibus ut numeris Hymenæia gaudia poſſim
Dicere, læta quibus reſonarunt atria longa
Te duce & immenſus pervenit ad æthera plauſus: *Propoſitio.*
Cum tibi conſenſu & magnorum numine Divûm
Egregium veteris decus & moderator Hanavi
Juncta fuit caſtis proles Simercia *tædis,*
Alta Palatina *deducens nomina ſtirpe.*
Et tibi legitimo vinclo conjuncta PHILIPPE,
Occiduis orta caſtris Bitſeia *virgo:*
Hîc ubi vitiferos colles & mollia prata,
Decurrens vitreo perſtringit flumine Nicer.
Non ego cuncta meis comprendere verſibus opto,
Non mihi ſi ſacram laurum tribuiſſet Apollo:

Sit ſatis hoc noſtro loca ſumma notaſſe labore.
Narratio. Tempus erat gelido cum per fulgentia curru
Sidera ſemifiri Titan Chironis abiret,
Chironis rapidis cui dextra armata ſagittis:
Cum Phœboq; ſimul pelagi ſurgebat ab undis
Præpetibus pennis fulvus Iovis armiger ales:
Qui pulchrum Phrygia puerum ſubvexit ab Ida:
Attica quo coluit quondam Antiſteria pubes,
Crateras magnos ſtatuens & vina coronans,
Indulgensq; epulis conceſſa per otia ſiſti.
Expectata dies aderat qua tempore longo
Iactatus rumor finem eventumq; teneret:
Et longis tandem precibus votisq; petitus
Clamaretur hymen, thalamo ſponſusq; jugali
Virginis intactæ ſuccederet omine læto.
Ergo Palatini ſolenni regia cultu
Ornatur, ſummoq; fremunt celſa atria luxu,
Nobilitasq; coit, ſplendentia tecta frequentans,
Urbis & exultant lætanti mœnia cœtu,
Effuſi ſtudio cives ad flumina Nicri
Adſtabant cupido expectantes pectore ſponſum.
Et jam ſol medium cœli conſcenderat orbem:
Cum procul obſcuro glomerari pulvere nigram
Perſpicimus nubem, tenebrasq; inſurgere campis:
Nec mora, mox denſum ſe profert agmen equorum,
Utq; propinquârat ſtructo prope mœnia ponti,
Hic ubi vicinam Nicer præterfluit urbem:
Intonat ex altis en bellica machina muris,
Sulphure fumantes jaciens ad ſidera glandes.
Unde reſultabant immenſo cuncta fragore:
Haud ſecus ac tonitru nubes cum rupta coruſco
Cum fremitu ſtridens deturbat ab æthere fulmen;
Quod

Quod turres quatit, & celſis in montibus ornos.
Hoc Pater irriguo Nicer ſub gurgitis antro προσωπο-
Commotus ſonitu, ſummâ caput extulit undâ, ποιΐα Ni-
Squallenti facies muſco perfuſa madebat: cri.
Rorabantq́, udi limoſa uligine crines,
Et tetricam barbam deſtillans alga rigabat.
Qui ſimulac falſi agnovit figmenta timoris,
Certaq́, conſpexit venientis gaudia turbæ,
Riſit, & ex ima confeſtim ſede vocavit
Najadas, & dulci cithara modulante Ligea,
Permixtus lepidis vicino margine nymphis,
Candida quas inter Leuce, ſuavisq́, Lycoris,
Clioq́, Drimoq́, oculisq́, nitentibus Ægle,
Feſtivas duxit plauſu comitante choreas.
Illi autem ſtimulis mandentes aurea frena
Quadrupedes, tenues agitantq́, rotantq́, ſub auras,
Lætifico cordis prodentes gaudia vultu,
Iamq́, aderant portis, & mœnia celſa ſubibant;
Ante alios prima Sponſus *lanugine malas*
Veſtitus teneras: cui ſummo pectore torques
Irradians auro pendet, gemmiſq́, coruſcus.
Quem juxta ſtirpe inſignis LUDOVICUS *avita,* **Ludovicus**
Vir præſtans animi, & facundo maximus ore: **Comes à**
Regia cui clarum cognomen ſaxa dederunt. **Konigſtein,**
Atq́, ſenis gaudens Siculi Sulmonius *arte;* **Stolberg,**
Ingenio Latias longo qui tempore vires **&c.**
Vicit, & arreptas demerſit in æquora naves. **Reinhardus Comes**
Poſt alii mixtim proceres, quos magna caterva **à Solms,**
Continuâ famulûm ſerie comitatur euntes. **&c.**
Omnis in hos oculos defixos vulgus habebat;
Compita quod paſſim complerat lata viarum.
Utq́, Palatinæ ſubierunt limina ſedis:

Quà

Digitized by Google

Quà gemini ſurgunt ingenti mole Gigantes,
Accincti gladiis, nixiq; ingentibus haſtis,
Terribilesq; altis ficta ſub imagine criſtis,
Horrendo aſpectu facies, barba ænea mentum
Veſtit, & ærato totum munimine corpus
Contegitur, ferro ſqualent immaniaq crura,
Materies operis mira ſuperatur ab arte:
Sic oculos diro vultu; ſic ora ferebant:
Ceu quibus à Domino vivis penetralia ad ima,
Regalis commiſſa foret cuſtodia ſedis.

Protinus in media comitantibus arce miniſtris
Conjuge cum chara Danis *à regibus orta,*
Gratulatio Friderici Electoris ad Sponſum. *Regalem ſpargens oculis* FRIDERICUS *honorem*
Talibus ante omnes dictis excepit Hanavum.

Ut te magnanimûm ſoboles generoſa virorum
Accipio, videoq; lubens, chariſſime ſponſe,
Ut te animo toto complector, ſpeq; benigna:
Quem Dijs auſpicibus reor, & Iunone ſecunda
Has noſtras tetigiſſe fores; thalamiq; petiti
Perpetuo latis fruiturum tempore votis.
Salve animo praſtans, nec magni degener ortus
Connubiis ſuccede tuis, ſponſaq; potitus,
Quæ mihi de proavis cognato ſanguine juncta eſt,
Suſcipe felicis præſentia gaudia ſortis.
Te nobis generis decus, & notiſſima virtus,
Cognatiq; patres, & vera gloria famæ
Fœdere perpetuo tempus conjunget in omne:
Non tibi ſubſidium noſtrum, Dij cœpta ſecundent,
Non ſtudium deerit; dabitur tibi ſponſe quod optas.

Talia cui contrà lætus reſpondit Hanavus:
Reſponſio Sponſi. *O decus, & vera lux ô clariſſima laudis,*
O venerande Pater, major me nulla cupido

Inceſ-

Inceſſit, quàm cum felici ſidere tempus
Optatum, luces fatorum, orbisq; miniſtræ
Indicti advehcrent fiſti pactos Hymenæos
Amplecti, & ſtabili connubia ſtringere nodo.
Nec ſe regifico nobis convivia luxu
Ornantem, fas eſt ſponſum tardare morantem.
Quin his pro meritis, hac pro pietate parentis
Quas referam grates, quæ præmia digna rependam?
Non opis eſt noſtræ tantos æquare paratus:
At licet hæc ima benefacta reponere mente,
Perpetuoq́; tuum nomen, laudesq́; ſonare.
Talibus orabant inter ſe, & tecta ſubibant
Regia, quæ nitido gazæ ſplendore coruſcant,
Ceu medio Solis fulgur rutilantis Olympo,
Et plenæ jubar obſcura ſub nocte Dianæ;
Ære gradus primo radiant in limine valvæ,
Qui curva in ſuperas ducunt teſtudine ſedes.
Hinc ubi perventum eſt, ad lata Palatia tecti, **Deſcriptio Palatij.**
Marmorei buxo poſtes, hederaq́; virentis
Viſuntur foliis tecti, flavisq; Corymbis,
Et diſperſa jacent alieno fœta calore
Roſmaris, & gratâ genialis amaracus aurâ.
Nam quos vere novo flores viridantia tempe,
Et quos prata ferunt nitidis gemmantia ripis,
Cum placidi Zephyri ſibilant; auraq́; tepentes:
His gravis obſtabat ſævi violentia Cauri.
Aulæis paries Tyria de ſanguine rubro
Perfuſos Conchæ, fulvo quis fila metallo
Aurea collucent telæ per mille colores,
Hinc atq; hinc tegitur, miraq́; tapetibus arte
Contextis, quæ mirificis variata figuris

Heroum

Heroum claras virtutes,geſtaq́; ſignant.
Nota Palatina celebrat quos gloria ſtirpis
Per tot dura viros,antiquæ ab origine gentis.
Namque potens duris ſenior FRIDERICUS *in armis*
Viribus invictis præſtans, animoq́; virili
Emicat argenti claro ſplendore coruſcus,
Fulgentes equitum turmas,peditumq́; cohortes
In latos ducens ſignis ſub fortibus agros,
Inclyta cum gereret pro charo ſceptra nepote,
Qua celer humentes Nicer devolvit arenas.
Hos opibus freti, majoraq; viribus auſi,
Tres ſimul ingreſſi numeroſo milite vaſtant.
Ductores Helenæ jungentes caſtra ſacello,
Hic qui cum geminis velocis cornua cervi
Piſcibus adjunctis inſignia geſtat avorum.
Et qui Marchiacis Princeps dominatur in oris,
Hic ubi ſylva jacet vaſto Mavortia ſaltu.
Tranſverſam monſtrans patrium decus ægide trabem.
Quiq; ſacras leges dictat Metenſibus agris.
Cum quibus ut ſævi commiſit prælia Martis,
Mox illi optatam tribuit victoria palmam.
Nam miſeri ſævis affecti cladibus hoſtes,
Arrepto curſu cupiunt evadere pugna:
Aſt illi objiciunt ſeſe ad divortia nota,
Atq; aditum circum poſito cuſtode coronant,
Ingentemq́; parant converſa per agmina ſtragem.
Dumq́; cadunt crebri violenta cæde perempti,
Ecce duces inter turmas capiuntur equeſtres,
Quos lætus Fridericus *agit, victisq́; triumphat*
Hoſtibus,

Hiſtoria de Friderico belliceſo tutore Philippi Palatini, qui anno M.CCCC. LXII. ipſa die Vlrici in agro Heidelbergenſi tres Principes cepit, Vlricum Comitem VVirtenbergenſem, Carolum Marchionē Badenſem, & Iohannem epiſcopum Metenſem.
Sacellum S. Helenæ, zu Sanct Len.
Vdalricus Comes à VVirteuberg. Carolus Marchio Badenſis. Iohannes Epiſcopus Metenſis.

Hoſtibus, & victor ſpoliis exultat opimis.
Quadrupedum hic phaleræ, criſtæ, gladijq́; virorum,
Et diſperſa jacent pallenti corpora letho,
Oraq́; confuſim nigro ſtillantia tabo,
Purpureo campos undantes tela cruore,
Puniceoq́; refert perfuſum ſanguine Nicrum.
At parte ex alia circundata turribus altis,
Aggeribusq́; novis, & foſſis cincta profundis,
Cernitur, excelſis, muris conſtructa Vienna,
Undiq́; quam Scythica ſævi de gente Latrones
Iſmariisq́; jugis prognati, & ſaltibus Æmi,
Daciq́;, Parthiq́;, ſagittiferiq́; Geloni
Obſidione premunt, variisq́; aſſultibus urgent.
Pars rapidas pilas tormento excludit aheno
Quîs concuſſa procul murorum ſaxa reſultant,
Pars foſſas implere parant, pars vellere vallum,
Murorum effoſſa ſubter fundamina terræ:
Attentant alij tacitè ſubvertere molem,
Infeſtosq́; cavis imponere mœnibus ignes,
Admotis alij muros aſcendere ſcalis.
Nec minus incluſi munitæ turribus urbis,
Aſſueti duros bello perferre labores,
Principis eximia freti virtute PHILIPPI,
Qui duce Bojorum natus genitore ROBERTO,
Laudibus, & magnis implens virtutibus orbem,
HENRICUM *pulcra facie referebat* OTHONEM,
Pars muris aſtans, pars condita turribus altis,
Quà ſciſſa eſt acies, & quâ globus imminet ingens

Turcarum

Anno 1529. Vienna Auſtriæ obſeſſa eſt maxima multitudine, & vehementiſſimè oppugnata, à Solymanno Othomanno Turcarum imperatore: ſed liberata eſt obſidione: tũ per Philippum Palatinũ Rheni, Bavariæq́; ducem: qui in ipſa urbe erat: tũ per Fridericum, qui nũc Elector Palatinatus præeſt, qui valida manu obſeſſis ſubſidio veniebat.

Philippus Palatinus Rheni, Bavariæ Dux, filius Roberti, frater Othonis Henrici, &c.

Turcarum, ejiciunt nigrantes pulvere glandes,
Multaq; pugnantum demittunt corpora leto;
Jamq; propinquantes duris detrudere contis,
Et ſtantes altis hoſtes depellere ſcalis
Certant, & magno volventes pondere ſaxa,
Audaces latè ſternunt, galeaq; ſolutis
Effuſo calva conſpergunt oſſa cerebro.
Ter cunctis hoſtes glomeratim viribus, inſtant,
Aëreos ſummâ muros evertere opum vi,
Aggeribus ſciſſis poſitiſq; ad mœnia ſcalis,
Præcipitantq; moras omnes, ceu turbidus imber
Labitur undanti montis de vertice curſu,
Immittens ſtragemq; ſatis, arviſq; ruinam,
Ter ſaxorum ictu, ſcalis valloq; repulſi
Diffugiunt trepidâ verſi formidine Turcæ.
Haud ſecus atq; canum raucis latratibus actus
Paſtoriſq; minis, prædâ deluſus inani
Subjiciens utero caudam lupus, oreq; frendens
Aufugit, & vaſtis ſe ſaltibus avius abdit.

Fridericus Palatinus Rheni & Bavariæ Dux: qui hoc tempore Electorem agit Imperij Romani.

Interea turmas ducens Fridericus *equeſtres,*
Sumtibus hac cujus fuerat textura parata,
Qui nunc imperij gaudet Septemvir honore,
Magnificiſq; ſedet tectis, rerumq; potitur,
Auxilio obſeſſis veniens ſuperimminet Urbi
Auratis fulgens telâ cataphractus in armis.
Quem ſimulac ſenſit venientem Turcicus hoſtis
Ilicet ingentem concepit corde timorem,
Turbatiq; duces, deſolatiq; manipli
Aufugiunt, & equis diffuſa per æquora campi
Geſtantes laxos humeris languentibus artus,
Ardua Pannonicæ tendunt ad mœnia Budæ.
Quin etiam multi per inhoſpita ſaxa, per Alpes

Riphæos

Riphæos ultra montes Tanaïmq́; rigentem
Tuta petunt, magnis animo terroribus acti.
Non tamen effugiunt omnes diſcrimina mortis,
Sed triti pars magna fame ſpatioq́; viarum
Viribus exhauſti fuſo dant ſanguine pœnas:
Hos inter medio multi ſeſe agmine mixtos
Agnoſcunt proceres lato dare funera campo,
Et rapidas inferre Getis fugientibus haſtas.
His ſua picturis proceres dum lumina paſcunt
Artificumq́; manus celebrant, operumq́; labores,
Ædibus interea in mediis ubi clara moratur
DOROTHEA *Cimbrûm veniens ab origine Regum*
Legitimo thalami FRIDERICO *fœdere juncta*
Seſe ſponſa parat magna ad ſolennia Divûm.
Nec mora, cum facibus ſplendeſcere tecta coruſcis
Inciperent, matres inter Nymphasq́; pudicas
In medium comitata venit Simercia *virgo*
Sidereos dejecta oculos, cui plurimus ignem
Subjicit in pulchrâ facie rubor, oraq́; tingit.
Purpureas inter veluti cum lilia mixta
Alba roſas fulgent: Indo vel quale per artem
Artifices addunt ebori decus, hoc ubi fulvo
Includunt auro vel flavi cortice buxi.
Auro nodati crines, gemmâque rigenti,
Formoſoq́; micant baccata monilia collo,
Et Phryxæa tegunt ornatum vellera pectus
Auratusq́; pedum cohibet veſtigia limbus
Additus Aſſyrio contextæ ſtamine pallæ.
Quam longo Nymphæ gradientes ordine ſtipant,
Qualis in irriguâ Nili ſeptemplicis orâ
Fœmineus pulſans proceris tympana palmis
Inachiam chorus eſt argutis Iſida ſiſtris

Digitized by Google

Sectatus, Pharium quando quærebat Oſirim.
Hinc etiam ſponſus ſequitur, cui gemmea circum
Tempora proſerpit capitis, flavosq́; capillos
Tortilibusq́; auri filis diſtincta corona.
Cui ſeſe comites clarum genus omne virorum
Addiderant, caſtaq́; ſimul comitantur ad aras,
Sacra ubi conjunctis firmantur fœdera dextris
Conjugij, juſtâq; canunt cum laude Hymenæos,
Et lætam vocem per templi tecta volutant.
Ac jam luciferos vicinâ nocte parabat
Mergere Phœbus equos, ſubter vada Cærula Ponti,
Splendida Regali ſubeunt cœnacula cultu,
In quibus immenſo fervent convivia luxu,
Strata jacent roſeo depicta tapetia fuco.
Hinc atq; hinc paries rutilo collucet ab ære,
Innumera argenti menſis auriq; talenta,
Chryſolito fulgent, & Jaſpide pocula glauca:
Inde toris pario fultis ſua membra reponunt
Marmore, jam lautis dapibus ſe inferre parati.
Dat manibus Cryſtallus aquas, promtiq; miniſtri
Suſceptas vario diſtinguunt ordine curas:
Pars almæ Cereris imponunt munera menſis,
Pars epulis onerant, manibus Dictæaq; plenis
Vina ferunt, referuntq; ſimul, vacuosq; Lyæo
Spumanti calices ponunt, paterasq; capaces.
Nec non inſignes Citharâ, cantuq; fluenti
Et reſonos leni pulſantes pectine nervos
Aſſiſtunt feſtis menſis fidibusq; canoris,
Permulcent animos, vario & diſcrimine vocum.
At nunc arma canunt, & equos, pugnasq; virorum.
Nunc Cœli nitidos orbes, Solisq; labores
Nunc contracta novo celebrant connubia plauſu.

Ambo-

Amborum genus & laudes ſuper aſtra ferentes.
Non hos Threïcius vates, non blandus Arion,
Quos tenuiſſe ſuo ſylvas & flumina cantu,
Et rigidos montes dicunt, turbasq; ferarum,
Non modulis Linus, citharâ non clarus Jopas
Vinceret, aut Thamyras docti certamine cantus.
Deniq; turba frequens nunc hâc, nunc volvitur illâc,
Et varios miſcent per culta Palatia motus.
Poſtquam prima quies epulis, menſaq; remotæ
Labentem fando ſeniores fallere noctem
Incipiunt, actæ memorantes tempora vitæ:
Qui dum multiloquio tempus ſermone trahebant,
Interea exoritur ſonitus, clangorq; tubarum,
Quem ſubitus ſequitur fremitus, ſtrepituq; replentur
Atria, collucent lychni laquearibus altis,
Et rutilis noctem vincunt funalia flammis.
Ingeminant plauſum juvenes, facilesq; puellæ,
Compoſitiq; leves agitant de more choreas,
In numerum certo jactantes corpora motu.
Jamq; ferè tardus cœlo ſua plauſtra Bootes
Flexerat, & medios curſus nox atra tenebat,
Suadebantq; leves labentia ſidera ſomnos:
Cùm placidam proceres properant captare quietem.
Accenſis igitur tædis Simereïa *virgo*
Ducitur ad thalamum charo jungenda marito,
Dulcia cui tacitum pertentant gaudia pectus.
Eſt in ſeceſſu longo domus alta columnis,
Hic veneranda torum pictis Regina tapetis
Ornârat, quo cum magno deducta paratu
Cum ſponſo caperet ſomnos nova nupta jugales.
Huc ubi perventum eſt, praeuntibus ordine tædis,
Ipſe Pater cupido ſociat ſua pignora ſponſo,

Et thalamo poſitam verbis commendat amicis:
Aſt plaudunt teneræ gratanti voce puellæ
Ante thorum, & feſtum cantu celebrant Hymenæum.
Poſtera jam roſeâ luſtrârat lampade terras
Humentemq; dies cœlo dimoverat umbram:
Cum rurſum procerum completur Regia cœtu,
Et lætis diffuſa ſonat clamoribus Aula:
Utq; ſuis precibus Divûm de more vocârant
Numina, feliceemq; torum, ſuperosq; faventes;
Continuò ſponſæ Regale cubile petentes,
Certatim magnis cumulant connubia donis:
Arte laboratas veſtes ſignisq; rigentes,
Intextasq; auro Getulo murice tinctas:
Pocula Sardonyche, & rubro variata Pyropo,
Junctaq; Erythrais gemmata monilia baccis:
Præcipuè Dani ſoboles clariſſima Regis
Dorothea *certum ſponſæ dat pignus amoris*
Cingula conſpicuis auri radiantia bullis,
Priſcum opus & chara matris mirabile donum,
Quod quondam conjunx Mariæ *fortiſſimus Heros*
Pannonios inter populos Regnator, amoris
Indicium veri ſponſæ dedit: hæc Iſabellæ
Germanæ, uxori Cimbrorum in litore Regis.
Illa ſuæ natæ moritura reliquit habendum.
Hoc ubi nuda ſuo eſt circundata corpore ſponſa,
Diffugiunt celeri lites & jurgia paſſu,
Et tranquilla ſubit caſtum concordia lectum.
Hos ſimul ut grato ſuſcepit pectore ſponſa
Cultus; innumeri mox lætâ fronte miniſtri
Inſtaurare dapes, lucosq; adolere Sabæos
Accelerant, menſasq; onerant, Bacchumq; miniſtrãt.
Grata igitur proceres peragentes otia vitæ

Ludovico Regi Pannoniæ nupta fuit Maria, Philippi Regis Hiſpaniæ filia, ſoror Caroli V. Imp. Iſabella ſoror Mariæ uxor Chriſtierni Regis Daniæ, mater Dorotheæ conjugis Friderici Palatini Electoris.

Veſcun-

Veſcuntur lautis epulis; hilaresq́ ſedendo
Epotant calices, & fallunt tempora fando,
Tertia ſidereos lux orta fugaverat ignes III. Oratio Friderici ad proceres.
Cum proceres tectis Princeps bipatentibus arcis
Convocat, & medio conventu talia fatur:
Viribus egregiis animi, & bello apta juventus,
Quando ita Cœlicolûm nobis propenſa voluntas
Conceſſit, læto celebrare jugalia feſto
Vincula, & huic noſtro ſponſo ſuperaddere honorem,
Ergo agite, & ludos ficto certamine Martis
Ducite, pro merito facti ſua præmia quiſq́
Digna feret, gemmis textas auroq́ coronas.
Ergò cui virtus, animusq́ in pectore præſens,
Exilit, & ſummus illatos viribus ictus
Excipere, & pugnæ ſimulacra ciere ſub armis
Ardet, is in Circo concurrat grandibus haſtis.
Eſt genus antiquo ludi quod Teutones ævo
Priſci exercentes, belli armorumq́ volebant
Eſſe rudimentum, vt primis aſſueta juventus
Annis, ad motus duraret membra futuros
Ingens armorum pondus, quibus undique tecti
Pubetenus, trunco ſimiles per tergora equina
Compoſiti reſident, animo certare parati.
Præcipuè ære gravis quaſſat cava tempora caſſis:
Additur armatis ingens haſtile lacertis
Confectum ex dura quercu ferroq́ tridenti
Quod nec magnus Eryx, nec grandis corpore Pollux.
Poſſet equo reſidens nudis vibrare lacertis:
His licet extarent validiſſima brachia, duris
Fulta rotis, velut ex altis ſurgentia petris:
Ni teneat lateri fixum tela horrida ferrum,
Atq́ tenax unco comprendat fibula curvo.

Obvius adverſo occurrit, ſeſeq́ viro vir
Confert, jamq́ alium turbat, jam concidit ipſe.
Ante alios hujus ludi præſtantior arte,
Vt cecidit vaſto detruſus pondere teli
Hortavus, caſu haud quaquam perterritus illo
Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat ira:
Præcipites ardens nunc hunc, nunc dejicit illum,
Haſtiliq́ truci partes prorumpit in omnes:
Currere quem contra ſpeculetur in æquore toto,
Adverſumq́ ſibi pulſu deturbet ovantem.
Sæpius occurrit, variisq́ inſultibus urget,
Sponheimus forma egregia, viridiq́ juventa,
Viribus at minor, & præſtantis robore dextræ,
Sternitur infelix, quoties illi incutit haſtam:
Cujus vt incendit vegetas magis inclyta virtus,
Atq́ pudor vires pugna ferventior inſtat,
Quadrupedem celerem ferrata calce fatigans,
Hortavumq́ ſuo tanta detrudit equo vi:
Vt veluti magna conſtructus mole Coloſſus,
Sternatur tumidi ſpumanti littore ponti,
Quando fumificis arctatus ſpiritus antris
Prorumpit diro terra per viſcera motu.
Nec minus ipſe ſui commotus turbine teli
Cornipedis jaciens reſupinus tergore, celſum
Aſpicit in cœlum, nec ſe ſuſtollere ſurſum,
Tam vaſto poterat galea ſub pondere preſſus:
Et niſi conjuncti dextra mox membra levaſſent,
Diffuſo rurſus turpaſſet pulvere corpus.
Nec minus Hortavi gliſcit violentia corde
Inſurgitq́ magis, validos vt turbidus artus
Compoſuit per equi dorſum, circumq́ pererrans,
Obvia quæq́ virûm demiſit corpora terræ:

Sebaſtianus ab Hortaw.

Iohannes Volfgangus à Sponheim.

Ille velut rupes pendens, ad cornua Nicri
Terrificis Euris, Boreæq; adverſa furenti
Ventorum furias perfert, imbresq; profuſos
Ipſa immota manens, ſic omnes ſuſtinet ictus
Rejiciensq; haſtam verſis aufertur habenis.
Aſt Princeps ſævas producere longius iras
Et ſævire animis juvenes haud paſſus acerbis
Impoſuit finem pugnæ; ſponſæq; futuræ,
Bitſcia *veteri comitum de gente creatæ,*
Membra Deæ ſimilis Gnydiæ, nymphisq; beatis,
Tempus erat ſacris thalamum, firmare iugalem:
Quam ſatus Occiduis, claroq; à ſanguine, caſtris
Egregius fama, & clarus virtute PHILIPPUS
Perpetuo, ſuperum nutu, ſibi fœdere iunxit.
Exemplo proceres aulai ad limina tendunt,
Et penetrale domus, atque atria longa per arcem.
Conventu reſonant crebro iuvenumq; ſenumq;.
Procedit nitida circundata cyclade virgo,
Et ceu ſtella poli ſplendebat murice peplum:
Aurum quam croceo intextum velabat achanto:
Flagrantes ſuffuſa genas, vultumq; pudore:
Flaventes compto dependent vertice crines,
Qui teretes ſtipant humeros, & eburnea colla
Hanc ſponſus primos inter viridante iuventa
Heroas ſequitur, forma præſtante decorus.
Inde ubi cœlicolis ſolennia ſacra dederunt,
Diſcubuere thoris ſolitis, & fercula menſis
Excipiunt, laticesq; ſacros prædulcis Iacchi
Exiccant, mox poſtquam amor eſt compreſſus edendi,
Potandiq; merum phialis, menſaque remota:
Illecti blanda dulci modulamine Muſæ,
Incepere choros ſerie deducere longa,

Et pe-

Digitized by Google

Et pedibus varios aptare in carmina ſaltus,
Per terram leviter veſtigia certa moventes.
Has inter choreas forma pulcherrima virgo
Quàm veſtit roſeo conchylis purpura fuco,
Inſigni manibus deportans arte coronam,
Effictam, magno plauſu cava tempora cingit
Hortavi, primam meruit qui laude coronam.
Inde locum tenuit pulchra virtute ſecundum
Sponheimus, juvenis rutilantibus acer in armis.
Tertia dona tulit Venningius integer amplis
Viribus, atq; hoſti robuſto pectore notus.
Proxima Callioros, quo non formoſior alter
Et virtute bonus, formaq; inſignis avita.
Dumq; choros illi ſocios ex ordine ducunt,
Interea Regina jubet reparare puellas
Porticibus thalamum, & genialem ſternere lectum:
Sponſus ubi placido Sponſæ conjunctus amore
Accubuit, ſuavi reſoluti membra ſopore:
Donec puniceis iterum ſe lutea bigis
Extulit, æquoreis ſurgens Pallantias undis.
Protinus hinc ſævi belli ſimulacra ſub armis
Qui præbere velint, curſusq; effingere equorum:
Vt quondam longam pulcher cum conderet Albam,
Rettulit Aſcanius, Trojani nomine ludi,
Et Priſcos illum docuit celebrare Latinos:
A quibus & noſtros hæc ludicra prælia Martis
Accepiſſe puto, nulli virtute minores
Genti Germanos bello, & præſtantibus armis:
Hoc igitur ludo truculenta ad prælia ficto
Qui certare velint, procerum clariſſimus Heros
Invitat preciis animos, & præmia ponit.
Vndiq; conveniunt, quibus eſt inducta voluptas

Sebaſtianus *ab Hærtauw, primas obtinuit.* Johannes *Vvolfgangus à Sponheim, ſecundas.* Ludovicus *à Venningen, & Mãhardus à Schœnberg proximi fuerunt.*

Ludus torneamenti apud Germanos ſimilis ludo Trojano.

Pugnandi, & ſeſe cingunt fulgentibus armis:
Hunc decus egregium formæ, laudumq; Cupido;
Hunc atavi proaviq; movent, & fama ſuorum.
Interea Princeps procerum comitante corona,
Quadrijugo invehitur curru, quam pone ſequuntur
Eſſeda, quæ ſummo manuum variata labore
Oſtentant varias picta ſub imagine formas,
Nupta quibus ſedet, ac illuſtris Principis uxor.
Circa omnis famulûmq; manus, commixtaq; turba,
Quatuor ex auro facti fulgente Leones
Excelſiſtabant, quos mira Mulciber arte
Fecerat ignipotens, fictis ceu viva figuris
Corpora fulgebant, ceu jam rugire parati:
Qui, Friderice, tuum monſtrabant unguibus aureis,
Uxoriq; tuæ pictis inſigne tabellis.
Qui ſimul ac ſtrictis currus fuit actus habenis;
Continuo motu partes verſantur in omnes.
Nec minus hoc ſtudio matres, & vulgus inerme
Invalidiq; ſenes, juvenumq; immenſa caterva.
Effuſi lato complerant omnia cœtu

Catalogus Principum & Comitũ, qui in his nuptiis fuerunt. Fridericus Palatinus Rheni, dux Bavariæ, ſacri Romani Imperij Archidapifer. & Elector.

Pars bifores valvas: pars inclyta tecta domorum
Obſedit: portis alij ſublimibus aſtant.
Jam patulis procerum ſucceſſit turba feneſtris,
Curia quas altis monſtrat conſtructa columnis,
Serica queis tenui pendebant vellera lana.
Primus honorato generoſæ munere formæ
Aſtat, qui Rheni latas moderatur habenas,
Imperiiq; tenet clarum Septemvir honorem:
Qui ſimilis celſis venerando corpore Divis
Fundit ab ore jubar, vultuq; auguſtior ardet,
Regaliſq; oculis majeſtas eminet altis.
Huic conjuncta ſedet forma [a] regina decora,

[a] **Dorothea Conjunx Friderici Palat. Elect. filia Chriſtierni Regis Daniæ.**

Aurato niveum circundata corpus amictu,
Cęſarios quę monſtrat avos à ſanguine matris:
At genus illuſtres reges tribuere paternum,
Quos rerum dominos gelidi maris accola Cimber,
Et ſerus agnovit Danus jam tempore longo.
Inde Palatinę ſeni de ſanguine ſtirpis
Aſſiſtunt alij, quos ſumma gratia mentis
Commendat, præſtansq́ue elucet corpore virtus.
Vangionum ſumma præſul gravitate verendus
Henricus, [a] *cui cura fuit non ultima pacis,*
Quiq́ue ſacris tribuit ſua debita præmia Muſis.
Egregius Sponſę genitor Simcreius Heros
Ianus, [b] *qui relegens veterum monumenta virorum,*
Quę mala Mars ſævus, quę pax bona commoda præ-
ſtet,
Quidq́ue decens virtus, & quid ſapientia poſſit,
Ex aliis didicit prudens, experſq́ue malorum,
Horrida præcipuè cui gens obtemperat altas
Condita per ſylvas, ductiſq́ue exercita glebis,
Quę vetus indomitis deduxit nomen ab Hunnis:
Queis vagus à Tanai veniens Scythiaq́ue nivoſa
Attila, *devaſtans Germanę jugera terrę,*
Intulit imperio, ſpoliis & cęde peracta,
Romano innumeras funeſto milite clades.
Filius hunc juxta Fridericus *maximus ævo*
Natorum, veræ ſollers pietatis amator,
Iuſtitię vindex, & clarus cultor honeſti.
Poſt animo mitis, diræq́ue tyrannidis oſor
Henricus, *magno ſimilis quoq́ue nomen* Othoni:
Qui ſolymas quondam patria digreſſus ad oras.

[a] Henricus *Dux Bavarię, Palatinus Rheni, Adminiſtrator Diocœſis Vvormat. &c.* [b] Joannes *Palatinus Rheni, & Bavarię Dux, Comes Spanheimenſis.*

Fridericus *Palat. Rheni, Dux Bavarię Comes Spanheimenſis, filius Ducis Ioãnis, &c. poſt Elector* Otho Henricus *Palatinus Rheni, & Dux Bavarię, &c.*

Nunc vi prædonum, nunc tempeſtatibus actus,
Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto,
Sacra Paleſtinæ vidit loca condita terræ:
Nunc degens tutam privata per otia vitam,
Aſtrorum varios curſus, cœlique meatus,
Et varias rerum ſcrutatur noſcere cauſas.

Wolfgangus Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, frater Friderici Electoris, &c.

Et decore inſigni laudis Wolffgangus *uterq;*
Marte potens ſenior, validas qui ſæpe cohortes
Victor in adverſos eduxit ſtrenuus hoſtes
Alter & Aonij nemoris nutritus in antro,
Exculta ſuavi linguæ dulcedine pollens,
Eloquio proceres inter ſupereminet omnes,
Nec patrio tantum ſermone diſertus habetur:
Sed Romana fluit nitidis oratio verbis.

Wolfgangus Palat. Rheni, dux Bavariæ, Comes Veldenſis, &c

[a] Bernhardus Marchio Badēſis, & Hochbergenſis, &c.

[b] Philibertus Marchio Badēſis & Hochbergēſ. &c.

[c] Ludovicus Comes à Stolberg, Kœnigſtein & Rutſchenfort, &c. & Eiſenburg.

Hinc ſe Marchiaca gemini de ſtirpe nepotes
Oſtentant, animo [a] Bernhardus *major & annis*
Filius Erneſti, Phorcæ qui ſede moratur.
Aſt viridis primo[b] Philibertus *flore juventæ*
Ingenioq; valens ſceptro cum fratre potitur:
Hic ubi ſulphureis venis in limine primo
Hercyniæ ſylvæ, latè tellure ſub ima
Ferventem thermæ referunt ex igne vaporem,
Et calidis ſpumant fumantia balnea lymphis.
Proximus his alto, qui Regia vertice ſaxa
Obtinet, hic pingues vederæ quâ flumina campos
Illîc Neda rigant, magno contermina Mœno,
Ad bellum pariter [c] Ludovicus, *& otia pacis*
Utilis, & magnis ſuſtentans ſumptibus artes
Ingenuas, claræ virtutis laude decorus.
Affinisq; ſuus [d] *vedæ de ſtemmate natus*

[d] Joannes *Comes à Veda, Dominus in Runkel.*

Qui

Qui ſibi ſubjectos placida ſub pace gubernat,
Juſtitiam, pulcraq́; colit virtutis amorem:
Hic ubi Rhenus agros mediis interſecat undis.
Hunc juxta eximiis Muſarum dotibus auctus.
Qui bona munificus virtuti præmia confert,
Antiqua veniens Uuerthemi à ſede MICHAEL, [a]
Inclyta qua Mœni ſpumãtibus adjacet undis.
Atque huic vicinus, quà Mœnus lucidus errat
Conditus in Sylvis, quo non præſtantior alter,
Sincerum vera ſervat pietatis amorem,
Qui ſua [b] *de Rheni deducit nomina flexu.*
Poſt comites priſcâ Naſſavi ſtirpe creati,
Quos toga, quos duri commendant prælia Martis,
Qui loca inexhauſtis chalybum generoſa metallis
Imperio, latéque ſuâ ditione gubernant.
Inde ſuos atavos, & avorum antiqua [c] IODOCUS
Nomina virtutis referens Holſteinus amator,
Haud probitate minus, patrio quàm ſanguine clarus.
Hinc qui LEININGA [d] *proceres dominantur in arce*
Pectore pollentes robuſto, & viribus ampli.
Et qui rura tenet ſylvis conjuncta Toringis,
Quâ ſaxoſa jacet turritis mœnibus Arna,
[e] GUNTHERUS *clarus ſtudiis, & rebus honeſtis,*
Cujus ad Imperij proavus conſcendit habenas.
Tum latis præſtans humeris BITSEÏUS *Heros,*
Divitiis, & Marte potens, generisque decore.

Philipp. Comes à Naſſavv & Sarbrückē Dominus in Vveilburg.

Ioann. Comes à Naſ. & Sarb.

Adolph Cõ. à Naſſau Vviſsbadē & Yetzſtein, &c.

Jacobus Comes à Zvveybrucken Dominus ĩ Bitsch & Lichtenberg.

[a] *Michaël Comes à Vertheim, Dominus in Breuburg, &c.* [b] *Philippus Comes à Kinek. &c.* [c] Jodocus *Comes ab Holſteyn, & Schauvenberg, Dominus in Gemma, &c. qui advenit cum Domina Iuliana Com. à Kœnigſtein, &c. uxore Wilhelmi Comitis à Naſſa. Catzenelbogen Vrania, &c.* [d] Engelhar. *Ioannes Henr. Ioannes Philipp. Comit. à Leiningen & Dagsperg, Domini in Appermont.* [e] Johan. Gunther. *Comes in Schvvartzenburg Dominus in Arnſtat, & Sandershauſen, &c.*

Tuque ſimul veteri a Caſtellæ ab origine nate
Nobilis Aonidum cultor, iejumq; ſacrarum.
Et vos Caprolubri priſco de ſanguine creti
Inſignes virtute viri, belloq; potentes.
Vos quoque ſemideis Comites Heroibus æqui
Inclyta qui trahitis b ferri denomina monte.
Ac magno incenſi ſanctæ pietatis amore
Iuſtitiamq; fidemq; ſuis conſtanter in oris
Servantes, ſylvis qui rura tuentur Othonis,
Ingenuis culti ſtudiis, linguaq; diſerta:
Plurima quis tantos virtus conceſſit honores,
Omni c ut pincernæ veteri de jure per ævum
Vina Palatinis libent, & pocula menſis.
Nec non Oetingâ Comitum de gente creatus
Carolus haud modico flagrans virtutis amore.
Tuq; beate, tui magna virtute parentis
Sarmatiæ domino grati, regiq; Quiritum,
Cuius promeruit ſummam facundia laudem,
Laſce d Heliconiadum ſtudiis addicte ſororum.
Inde alij claro proceres à ſanguine nati
Laudibus inſignes aderant virtutis avitæ.
Iamq; omnis plateis exercitus ibat apertis
Dives equûm, criſtis juvenes, gladiiſq; coruſci:
Haud ſecus inſtructi ferro quam ſi fera Martis
Pugna vocet, ſævoq; velint decernere bello.
Bina equitum numero turmæ, totidemq; vagantur
Ductores, Comites ducit bis quiſque novenos.
Vna acies juvenum. quam clarus ducit ovantem
Stemmate ab egregio Sponſus generatus e Hananus

Wilhelm. & filius eius Bruno Comites ab Eberſtein.

a Henricus Com. à Caſtell.

b Reinhar. & Otho fratres & Georgius, & Vuolfgang. filij Anthonij ab Eiſenburg, Comites à Budingen.

c Georgius Eberhardus Valentinus, fratres, Comites ab Erpach, pincernæ Palatinatus.

d Ludovicus Carolus Comes ab Oetingẽ.

e Ioannes à Laſco Poloniæ Baro, viri Clariſſimi Staniſlai à Laſco filius.

f Vnius turmæ ductor fuit Philippus Comes ab Hanavv Dominus in Muntzenburg Helenæ Palatinæ Sponſus.

Sideris flagrans vultu & fulgentibus armis
Quem gemini fratres, galeas enſeſque decori,
Atque Palatini nati de ſtirpe, ſequuntur,
Spanheimi[a] *Comites, præſtans virtute Georgus,*
Ac alios inter Richardus pulchrior omnes.
Poſt nulli egregia bellorum laude ſecundi
Incedunt fratres, creti de gente vetuſta,[b]
Cui quondam commiſſa fuit cuſtodia Rheni,
Abietibus ſimiles longis & quercubus altis.
Quorum ſumma virum celebratur fama per ora
Fortior Alcide, ac Mavorte potentior ipſo,
Franciſcus, rutilis nec Thomas ſegnis in armis.
Nec ductoris abeſt Reinhardus ab agmine frater,
Laudibus armorum nullis heroibus impar,
Caſtalios latices qui primis hauſit in annis
Unde piæ tanto eſt captus virtutis amore,
Vt per multarum funeſta pericula rerum
Lætus Idumaas juvenis ſit vectus ad oras.
Te quoque cognati moverunt ſigna Philippe,
Cui coniuncta genus tribuit cognomina Sponſi,
Gentilem ut nitidis ſequereris, ſplendidus armis,
Inclyta militia ſtudio, pacisq; quieta.
Inde duo forti juvenes ſulmone creati
Armatis ſpectantur equis criſtaque rubenti,
Vivida queis læto flagrabat pectore virtus.
Ora licet prima vix ſint lanugine tincta.
Nec minus Hunniaci clarus cognomine ſaxi
Aere caput tectus, ſplendore refulſit aheno:
Et conferre manum bonus, & pede tendere in hoſtem.
Ibat & armato munitus tegmine corpus,
Stultitia ditione potens, & montibus altis.

[a] *Georgius & Richardus Palatini Rheni, Bavariæ duces, & Comites Spanheimenſes filii ducis Ioannis.*
[b] *Philippus Franciſcus, & Thomas Vuildt comites Rheni, comites item à Solms, & Domini in Vinſtingen.*
Reinhar. *Comes ab Hanavv. Dominus in Montzenberg frater Sponſi.*
Philippus *Comes ab Hanavv, Dominus in Lichtenberg.*
Erneſtus, *& Bernh. Comites à Solms Domini in Montzenberg. filii Comitis Reinhardi.* Eberwinus *Comes ab Hoenſteyn.*

Rudolph. Comes à Sulʒ, Lãdgravius in Lateburgis | *Quos Tungorum olim comitum domus alta regebat,*
Non procul, Alſaticos Elnus quâ dividit agros.
Hinc quoque Vangionũ veteri Dalburgus ab arcẽ
Natus: Et à vario qui duxit nomina Saxo:
Philippus à Dalburg. | *Atque alij multi, quorum fortiſſima bello*
Pectora, & egregij, rebus ſpectata juventus.
Joannes à Fleckenſtein. | *Alter* [a] *ductor erat priſcum qui nomen ab oris*
Occiduis, veterum ducens ab origine patrum,
Obtinet, & thalamo cui conſociata jugali
Et genere, & formâ præſtans Bitsheia proles,
Armipotens juvenis, laudes virtute paternas
Exæquans propriâ, belli certamine clarus.
Proximus Haſſiacâ graditur ſuſceptus in orâ,
Qui clarum tenet à [b] *rudenti nomen Aſello,*
Impiger Henricus, quo non pugnacior alter.
Muſarumque magis doctis verſatus in armis,
Conſilióque prior, multóque celebrior uſu.
Tertius ille potens virtute [c] *Leontius Heros,*
Cognita ſtellantis cui lucida ſidera cœli,
Aſtrorúmque ignes, & fata regentia mundum,
Et ſacra Muſarum ſequitur pulcherrimus armis,
Inclyta progenies comitum cognomine [d] *Barbæ.*
Tunc quoque Parnaſſi nutritus vertice montis,
Pieriis notus Muſis, doctæque Minervæ,
Laudibus & belli celebris [e] *Gemmingius Heros.*
Sebaſtianus ab Hortavv | *Ille etiam nitidis præſtans Hortavus in armis,*
Lætus equum domitor, Martis certiſſima proles.
Feſtivi-

[a] *Alterius turmæ ductor Philippus Comes à Leiningen, Dominus in Weſterburg & Schauenburg, Amaliæ Com. à Pitſch. Sponſus.* [b] Henricus *Riedteſell.* [c] Ludovicus *Comes à Lœvvenſtein.* [d] Wolfgangus *Comes à Barbis.* [e] Philippns *à Gemmingen.*

Feſtiviq; ſimul ludi Venningus amator,
Sectatorq; bonus pugnæ Sponhemius honeſtæ:
Brantoq; [a]*, Calliorusq; manu &* [b] *Corytheius acer,*
[c] *Dienbœmusq; valens bellis: alijque potentes*
Viribus, & magnis juvenes Heroibus orti.
At Circi ad partem ſurgebat parva ſiniſtram,
Aſſeribus contexta domus, ſuffultaque ſignis,
Conſignata notis, quæ verſicoloribus arma,
Signaque nobilium clavis affixa tenebat,
Horum qui fuerant ſorte ad certamina lecti.

Ludovicus à Venningen. Joannes Vvolfgangus à Sponheim Fridericus à Brandt.

Hic, quibus interior cura, & prudentia rerum
Altior; aſtabant: equitum bellique magiſter
Landſchadus, pietate valens, & maximus inter
Juſtitiâ proceres, & ſervantiſſimus æqui,
Qui ſibi commiſſas regit inculpatus habenas:
Quem juxta factis, & corpore magnus honeſto,
Jura ſuburbanis qui dictat debita pagis:
Quiq; ſuum puro deducit nomen ab amne,
Oſtentans inſigne canem fortiſſimus armis.
Hi qua ſit virtus celebri in cujuſque palæſtra:
Quæ vis, quod ſtudium, certâ ratione notabant.
Hinc, ut clara dedit ſignum tuba, protinus omnes
Incedunt alacres diviſis æquore turmis,
Quos celeres delectat equos verſare per auras:
Omnibus in morem tecti ſunt caſſide crines,
Ornatâ varijs ſignis, flammasque vomente:
Enſe latus rutilo, pectus thorace refulget:
Squamatisque pedes ocreis & crura teguntur:
Fulgentique ferunt præfixa haſtilia ferro.

Sittingus à Berlipsheim præfectus. Chriſtophorus *Hundt, à Lautterbach, inferior magiſter equitum.*

[a] Manhardus à *Schonberg.* [b] Joannes *Stephanus ab Helmſtat.* [c] Philippus à *Dienheim.* Joannes *Plickerus Landſchadt, à Neckerſteinach, Magiſter equitũ in Palatinatu.*

Ac hos qui ſponſi partes ſectantur Hanavi
Portat equus nigro ſerum velamine tectus,
Cui bina nitidis alis criſtaque rubente
Intextæ volucres inter ſe ſtrenua roſtris
Prælia vulnificis miſcent, & vtrinque fatigant.
At verò alterius partis rubra purpura cingit,
Quadrupedes, croceis oras circundata filis,
In qua puniceo vulpes effecta colore
Arte ſuâ geſtit pictos invadere gallos.
Poſtquam omnis circo comitum ſucceſſerat ordo
Vtq; dato ſigno ſpacia in ſua quiſque receſſit:
Continuo adverſis Leiningus, & acer Hanavius,
Ductores primi, concurrunt eminus haſtis:
Mox & diſtrictis gladiis non ſegnius inſtant:
Pulſibus icta tremit crebris in vertice criſta
Sanguinea, & thorax vibrantia fulgura mittit:
Inſultat ſonipes, & preſſis pugnat habenis,
Hucq; obverſus & huc pedibus diſpargit arenam.
Hos alij ſimili pugnæ ratione ſequuntur,
Atque vt quemque tulit ſors, in certamina bini
Concurrunt, haſtisq; fremunt, ferrumq; retractant.
Aſt ubi clara dedit clangorem buccina raucum,
Et procul impulſu ſonuerunt tympana cœlo:
Ecce ſimul junctis vibrantes ſpicula dextris
Compoſiti in turmas binas, magno impete totas
Implicuêre inter ſe acies, legitq; virum vir.
Tum verò totus vario ſplendore relucet
Circus, & armorum latè ferit æthera fulgor:
Quales præcipiti ventis æſtate coortis,
Depaſcens rutilis virgulta ſonantia flammis,
Claraque per ſummas ſpargens incendia nubes,
Cernitur in latis acies Vulcania campis.

Pulver-

Pulvere quadrupedes acti ſinuantia crura,
Sublatâ cervice ferunt, ſpumantq́; frementes.
Iam circi in medio rapidi, totoq́; feruntur
Agmine, nec longis inter ſe paſſibus abſunt:
Cum volucri curſu protenſis eminus haſtis,
Inſtaurant pugnam, magnoq́; fragore reſultant
Spicula, robuſtis inter ſe miſſa lacertis
Crebra nivis ritu vacuas ſparguntur in auras,
Ingeminat latè ſtridor, cœlumq́; remugit.
Mox poſitis rigidos ſtringunt haſtilibus enſes.
Dant gemitum flictu galeæ, & cava tempora circum
Tinnitu aſſiduo reſonant, pulſu æra fatiſcunt:
Diſcuſſæq́; jubæ fulva ſpectantur arena.
Dat ſonitum tellus, ingens fragor æthera complet:
Quantus ubi volucris longis inviſa colubris
Alba venit, vernaſq́; pares ſol dividit horas,
Verberat imber humum: vel cum per inania grando
Pondere fiſſa ſuo, ac vaſtâ ſub mole dehiſcens,
In vada præcipitat, glomerataq́; verbere ſtragem,
Arboribus ſublime ruens, arviſq́; minatur.
Hinc atque hinc turbatæ acies, diſcrimine nullo
Quiſque ſibi oblatum ſtricto mucrone fatigat:
Denique qua denſa eſt acies, premiturq́; corona
Spiſſa viris, pro ſe quiſque huc intorquet habenas,
Hosq́; aditus, jamq́; hos aditus perrumpit, & omnes
In partes rapitur, ſtimulis agitatus acerbis:
Non aliter quàm cùm venantum turba Leonem
Infenſis agitat telis, canibuſq́; laceſſit:
Ille ruens immane furit, validaq́; comantes
Excutiens cervice toros, fremit ore cruento.
Fluctuat ira intus, turbatur pectore virtus:
Atque fatigatis in verbera viribus itur.

Diſſiliunt gladij, glacie: ceu fictilis, ictu,
Albaque collucent in fulvo fragmina circo.
Tantus amor laudum, tanta eſt victoria cura.
Aſt tanto fremitu perculſa pectora matres,
Ex ſpeculis juvenum ſortem miſerantur iniquam
Diſſolvique petunt tanto certamina motu.
Ergò avidis pugna, quanquam dolor oſſibus ardet,
Æſtuat & furijs pugnandi incenſa cupido,
Altius irarum largas effundere habenas,
Præfecti fulvæ non permiſêre palæſtræ:
Verùm alternantes multâ vi prælia telis
Disjunxêre ſuis, & equos repulêre feroces.
Poſtquam igitur factâ glomeratim pace feruntur,
Effuſi ſubitò cuncti, circique ruentes
Pulverulenta citò percurrunt æquora curſu,
Quisque ſuum repetendo locum, & clangore tubarum
Audito, nitidis latè ſpumantia frenis,
Ora jubatorum dextrâ moderantur equorum.
Exin diſcurrêre pares, atque agmina bini
Diductis ſolvêre choris, rurſusque citatos
Quadrupedes mediæ verſi, junxêre palæſtræ.
Hinc ternos explent curſus, ternosque retexunt,
Adverſis ſpatiis, alternosq; orbibus orbes
Impediunt, variosque movent in pulvere gyros:
Quales ramiferi per devia luſtra volantes,
Concubitus quando primos jam nota voluptas
Sollicitat, cæcique furor pertentat amoris,
Illecebris cervi Veneris petulantibus acti,
Involvunt texuntque fugas, retrahuntque ſequentes.
Sed pelago roſeus jam feſſos Phœbus Ibero
Tingit equos, noctemque die labente reducit:
Tum ſenior Princeps præclara præmia laudis

Prima dari ex auro telum mandavit Hanavo
Reinhardo, procerum quo nemo peritius haſtam
Vibrabat, tereti aut torquebat tela lacerto,
Plurima in adverſo qui ſpicula fregerat hoſte.
Poſt auro gladium rutilo, gemmiſque coruſcum
Sponheimo dat ferre decus, qui flore juventæ
Primævo rigidum ſic inſurrexit in enſem,
Sic dura galea criſtis conoque micanti
Inflexit, validos aliis ſic fortiter ictus
Intulit: ut ſtricti reſiliret lamina ferri.
Tertius inſigni donatur Branto corona,
Cui fulvo radians annectitur annulus auro.

Reinhardus Comes ab Hanaw, &c. Frater ſpōſi, Primas partes obtinuit haſta. Secundas gladio tulit Iohannes Vuolfgangus à Sponheim. Tertias, Fridericus à Brandt.

H*Inc ubi quinta dies primo ſurgebat Eoo,*
Horrida ſuccedit pugna majoris imago.
Nam validi ſumma Martis virtute potentes,
Corporis & firmo membrorum robore fulti,
Ut dubia certent immitis ſorte duelli,
Cornipedes oſtro velant, pictiſque tapetis,
Candidaque imponunt hirſutis tegmina collis.
Diverſis ipſi cincti ſpectantur in armis,
Quàm quibus in primis alii ſunt luſibus uſi.
Armati nullo nudi ſunt ære lacerti:
Sed tenui fulgent byſſo, coccoque rubenti,
Nec tam vaſta premit turgentia tempora caſſis,
Diſſimileſque ocreæ junctæ ſunt cruribus imis,
Immenſum ac toto propendet corpore ſcutum,
Multiplici chalybis candentis pondere fictum,
Quod ter pellis obit torvi circumdata tauri.
Additur his ingens nodoſa lancea quercu:
Cui tanta eſt ſumma præfixum cuſpide acumen,
Ut in multiplicis clypei figatur in orbe,

V. Tertium certamen.

Tranſadigat corpus, teneriſq́; recondita fibris
Spiramenta animæ lethali vulnere ſolvat:
Non illam galeæ tegmen, non ærea caſſis
Suſtinet, aut collum circumdans ſutile lorum:
Sed penetrans cerebro inſiſtit transfixa cruento,
Aut torti tepidum juguli bibit acta cruorem.
Quin etiam tanta clypeum vi ſæpè fatigat,
Ut durum chalybem, per linea terga boumq́;
Trajiciat tectum nervis, & perforet ima
Viſcera, thoracem pariter cum pectore rumpens.
Primi delectum, fulgentes undiq; criſtis,
Inſtructi nitidis ſcutis, & grandibus haſtis,
Pictarumq́; novo chlamydum ſplendore coruſci,
Devenêre locum, cingentibus omnia vulgi
Infuſi turbis, Heros de rupe [a] *Leonum:*
Hortavuſq́; valens: ſtrui admicantia pulſans
Corda pavor populi, & miſta formidine terror.
Illius ære gravis clypeus chalybiſq́; metallo,
Atq; auri maculis fulgens, nitidoq́; argento,
Quem Comiti Princeps dederat Fridericus habendum,
Cuncta Palatinæ monſtrabat nomina ſtirpis,
Et genus omne Ducum, factaſq́; ex ordine pugnas.
Illic auratis [b] *Venerandus Carolus armis,*
Carolus à claris Francorum regibus ortus,
Tempora regali cinctus diademate Cæſar,
Arduus, Auſoniæ latos ſpectatur in agros,
Ducere Germanas vires [c], *ſævumq́; domare,*
Inſubriæ Dominum terræ populoſq́; feroces
Albi tuos [d]: *duris compeſcere Saxonas armis.*

a Ludovicus *Comes à* LÖWenſtein. b *Comites Palatini Rheni oriundi à Carolo magno filio Pipini, Regis Francorum.* c *Vicit Carolus Deſiderium Regem Longobardorum.* d Carolus *reductos in ſuam poteſtatem* Saxonas *curavit primus in doctrina Chriſtiana inſtitui.*

Hosq́; ſalutifero Chriſti profundere fonte,
Extincto veterum cultu, rituq́; ſacrorum:
[a] *Pannoniiſq́; truces contundere in urbibus Hunnos:*
[b] *Atq; Saracenos ab Iberi pellere ripis.*
Haud procul hinc tanto prognatus ſanguine, canus
Additur inſigni ſpectandus imagine Princeps
[c] *Henricus: rerum qui tum moderatus habenas*
Elector natam forma, caſtoq́; pudore
Eximiam, thalamo forti conjungit Othoni,
Cæſaris Arnolphi clara de ſtirpe creato:
Ardua cum ſævis geſſit qui prælia Cimbris,
Et patrio domitos armis ſub movit ab Iſtro.
Non fuit ad bellum hoc quiſquam magis aptus Othone:
Sive velis tutam caſtris deducere foſſam:
Sive locum ducto munitum claudere vallo:
Sive gravis rectam faciem componere pugnæ.
Hic manus artificis celebri genialia pompa
Fecerat exſtructis ſponſæ convivia menſis,
Lætitiaq́; aulam magna plauſuq́; frementem,
Marmoribus pulchras Nymphas reſidere politis,
Veſtibus illuſis auro, tinctiſq́; veneno
Aſſyrio, & pictis ornatas tempora ſertis.
Has inter reliquas Bojo ſocianda marito
Virgo Palatini comitis pulcherrima forma
Emicat: ut viridis vernanti gramine prati
Exuperat reliquos flores fragrans Hyacinthus:
Aut velut aſtrorum ſtellantes Lucifer ignes
Luce ſua, claro cœlo, ſupereminet omnes.

Wernher, *Comes à Schiern, filius fuit Arnolphi Imperatoris: qui genuit Othonem hunc Comitem Palatinum Rheni, & conditorem Vitelſpachij.*

a *Bellum geſſit in Pannon. contra Hunnos.* b *Depulit ex Hiſpania Saracenos.* c Henricus *Palatinus ortus Regia ſtirpe Caroli Magni collocavit in Matrimonium filiam Gertrudim Othoni Comiti à Schiern, & Bavariæ Duci.*

Palatini Rheni, qui noſtris tẽporibus vivunt, profecti ſunt ab Othone illo Comite à Schiern, & filia Hẽrici Palatini à ſtirpe Caroli Magni orti.

Robertus Rubicundus Anno Domini M. CCC. XLVI. Heidelbergæ inſtituit Academiã.

Robertus Rex Romanorum.

Philippus Elector multos ſuſcepit liberos: ex quibus adhuc ſuperſtites ſunt Fridericus Elector, & Vvolfgangus ſenior.

Inde Palatini, tanta de ſanguine ſponſæ,
Cæſareo, elucent omnes longo ordine nati,
Quos inter vultu, facieq́; rubente Robertus
Eminet, hic ſacris qui condidit atria Muſis,
Ingenuasq́; ſuis revocavit ſumptibus artes,
Huc ubi decurrens Nicer ſub montibus altis
In latè oppoſitos fundit ſua flumina campos.
Hoc ab avo ſumma cum majeſtate verendus
Junior Auguſta reſidens in ſede Robertus,
Jura recognoſcit Procerum, & moderator honeſti,
Juſtitiam, ſanctamq́; fidem, legesq́; tuetur.
Nec non inde animi magnis virtutibus auctus
Emicat Elector multa cum prole Philippus,
Felix prole virûm magna virtute potentum:
Haud ſecus ac Phrygiis Cybele comitata catervis
Læta Deûm partu, viridi ſpectatur in Ida.
Extrema clypei manabat Nicer in ora,
Pinguia perlabens ſinuoſis flexibus arva.
Tali magnanimus clypeo circundatus Heros
Et rutilis armis per circum indutus oberrat.
At manibus virgo retinens inſigne parentum
Alterius ſcuto eſt miro depicta labore,
Inſignis formâ, viridi circundata Palla,
Reticuloq́; comas picto redimita decoras.
Poſtquam omnem procerum conſeſſum & lumina Patrum
Luſtravêre in equis: ut notum buccina ſignum
Clara dedit, curſu medium propiore tenentes
Interius circi, præfixum robur acuto
Protendunt ferro, ac ſumma ratione tuentur,
Quò medium poſſint contingere cuſpide ſcutum.
Inde Leontinus clypei ſeptemplicis orbem

Hor-

Hortavi ferit, & tot ferri terga, tot æris
Intento longè teli tranſverberat ictu:
Non tamen illa cutem ſtrinxit thorace recepta,
Sed medio in ſcuto noxa ſine fixa pependit:
Viribus at minor, & motu delatus iniquo
Ipſe Comes, tergo lapſu defluxit equino.
Alter ut in vacuas telum contorſerat auras,
Ocyus hinc clypeo ſtridentem demovet haſtam,
Et licet in partem motus ſpectaret utramque:
Haud tamen in fulvam retro eſt delapſus arenam.
Tres alij interea ſubeunt: Gemmingia proles,
Auro quo viridis veſtit chlamys intertexto,
Et clypeo auratos rutilans diffundit aheno
Sol radios, pater ipſe hominum, pater ipſe dierum,
Sol, qui cuncta ſuo naſcentum ſemina motu
Evocat, extremis oris, cum flore comantes
Oſtentant varias herbas, vernantia prata,
Et cultu teneris agri cumulantur ariſtis:
Nec procul hinc clypei apparent, pictaq; ſagitta,
Argutaq; Lyra, & doctarum inventa ſororum:
Ex quibus ille bonus magni ſectator Achillis
Noſcitur, & ſtudiis clarus, belloq; celebris.
Tum chlamyde effulgens, & verſicoloribus armis
Creutenſis, patrijs juvenis virtutibus auctus:
Cujus in arato depicta eſt noctua ſcuto,
Armigera, & Martis Germana, Palladis, ales.
Tertius à viridi qui ducit nomen avena:
Qui gentile decus pictas umbone ſecures
Geſtat Romulidum non ultima conſulis arma:
Quis quondam Phrygij gelidas Simoëntis ad undas,
Fœminia adducens lunatis agmina peltis,
Plurima proſtravit Græcorum corpora regum,

Apollinis ſeu Solis ſimulachro patrū memoria Lyra, clypeus, & ſagitta ſūt adiecta Achilles fortiſſimus Græcorū Heroum literis etiā & doctrina fuit excellens.

Adamus ex nobili familia Creutenſium.

Penthesilea à Plinio dicitur bellicam ſecurim invenisse.

Pentheſilea furens, rapidis invecta quadrigis,
Cum quibus infeſto concurrens ordine telo,
Et medias pulſans adverſa cuſpide parmas,
Creutenſis vicit geminatis curſibus ambos.
Inclytus hoc miſſo Princeps certamine primam
Cum veheret noctem fulgenti Cynthia curru,
Regia tecta petens, juxta comitante corona
Immenſa procerum, ſolitam conſcendit in arcem,
Lætaq; constructis peragit convivia menſis.
Non tuba, non cythara, nec ſuavi tibia cantu,
Et vario mixtæ ceſſant diſcrimine voces:
Queis juvenum accenſæ mentes, mixtæq; puellæ,
In numerum ductas agitant, miſcentq; choreas,
Donec tarda leves ſuaderent tempora ſomnos.

VI.

IAmq; eadem ſexta celebrabant gaudia luce:
Et ſoliis fulti multo fulgentibus oſtro,
Sumebant lautas epulas, ex lancibus aureis;
Plenaq; ſpumantis libabant pocula Bacchi,
Donec purpureus Tarteſſia littora Phœbus
Preſſerat, & terras tenebris nox texerat atris.
Poſt ubi ſunt menſis epulæ, vinumq; remota,
Extima profuſo complêrunt atria cœtu,
Viſuri vario ſpectacula facta paratu.

Quartum certamen. Deſcriptio areæ in media arce.

Eſt ingens inter ſplendentia tecta domorum
Planities, mediam ſpacio quæ dividit arcem,
Hic ſtabant junctis duo propugnacula tignis,
Aſſeribusq; novis docti conſtructa labore
Artificis, ſpatiis inter ſe diſſita longis:
Et picta inducta circum tabulata papyro,
Externa ut ſpecies referat ſub imagine turrim:
Aſt intus pingui compacta glutine charta,

Et pi-

Et pice nigranti perfuſa, & ſulphure vivo,
Farreq; denſata tabulis ponuntur in imis:
His brevis in clavis formata eſt canna figuram,
In quibus excocti rapido cum pulvere nitri
Conditur haud parva violentum mole bitumen.
Hinc atq; hinc ſeni manibus tormenta tenebant
Ænea, quæ vaſtas trudunt ad ſidera moles,
Qui tantum ſtructis arcerent turribus hoſtem,
Servarentq; aditus portarum, atq; abdita clauſtra.
Ex in florentis ſanguis quibus integer avi,
Et ſolidæ firmo ſtabant in robore vires,
In medium veniunt, criſtis capita alta coruſci,
Lentaq; criſpantes validis haſtilia dextris,
Quà fontem ſalientis aquæ cava ſtipula fundit, *Deſcriptio fontis.*
Et capit exciſum ſuavi cum murmure ſaxum,
Inde pavimento ſubter, ſtructoq; canali,
Splendida regalis juxta laquearia ſedis,
Cœruleos latices excelſa in culmina deferт.
Atque hos ductores gemini de more regebant,
Quorum alter nitido quæ ſunt loca proxima fonti Philippus Franciſcus *Comes Rheni, &c. ductor unius partis.*
Obtinet, irrigui fortiſſimus accola Rheni
Franciſcus, veterum nulli virtute ſecundus:
Quo cum militia pollens, Muſiſque dicatus
Eximia virtute valens, & viribus amplis:
Egregiusque animi & generis Sulmonius Heros: Valentinus *Comes ab Erpach.* Bernhardus *Comes à Solms.*
Atque alij prompta juvenes virtute, manuque,
Qui mox oppoſitis duo partibus agmina ſtructa
Conſtituêre acie: vigilesque utrinque quaternos
Excubias agitare nigra ſub tempora noctis
Quique ſui caſtris juſſere; atque omnia cautis
Obſervare oculis: ceu pleni paſtor ovilis
Committit canibus curam, qui pellere hiantes

Quos

Quos collecta lupos rabies inſtigat edendi,
Latratu, fremituq; velint, ne clauſtra revellant,
Excutiantq; pecus caulis, rapiantq; per arva.
Inferiora tenet dux alter maximus armis
Heſſiacos inter proceres, & rebus agendis
Aptus, conſiliis dandis nec futilis author:
Quem juxta haud expers ſponſus virtutis avitæ
Leiningus, nitido pectus thorace refulgens,
Pars pugnæ haud temnenda viris, cui ſtrenua bello
Dextera, cui ſurgit præſens in pectore virtus.
Inde alij bello, & præclara ſtirpe juventus,
Hic cum conſilium ſummis de rebus haberet
Rhenanus juvenum rector, rerumq; magiſter,
Quid faceret, quando adverſum prodiret in hoſtem,
Percepit ſubitò fremitus, crepituſq; ſonoros
Armorum adverſa de parte, ac talia fatur:
Ecquis erit veſtrûm tam fortibus inclytus auſis,
Qui tantam validis alacer ſpem ponat in armis,
Aut tantum ipſe ſibi confidat, ut audeat hoſtem
Accedens quid agat, quæ ſit ſententia pugnæ
Noſcere, tum nobis voces memorare loquentum,
Hinc ego digna ſuis proponam munera factis.
Hæc ut dicta dedit, cordi quibus ardua virtus,
Tres juvenes animis in aperta pericla parati.
Alterius partis tentant ſuccedere caſtris.
Nec mora, diſcedunt per amica ſilentia noctis,
Cum galea tectum ſubluſtri noctis in umbra
Progreſſi paulum cernunt fulgore micantem.
Haud temere eſt viſum, dextro mox limite greſſum
Flectentes propius ſubeunt: ut protinus ipſum
Proflantem toto viderunt corpore ſomnum,
Proſternunt: genibus lapſantibus ille cadebat,

Alterius partis ductor Henricus Riedeſel.

Philippus *Comes à Leiningen, & Dominus in Weſterburg, &c.*

Oratio Comitis Rhenani ad milites.

Et re-

Et rejectabat glomeratum ex ore cruorem
Hoc alij ſtrepitu moti, ſtatione relictâ,
Accurrunt vigiles, & quæ ſit cauſa tumultus,
Quo ſocij fortuna loco, qui caſus agat res
Noſſe volunt: illi contra quos enſe recluſo
Mox ſubeunt, ſævisq; infligunt vulnera telis:
Protinus ergo acres ſurgunt his altius iræ,
Adverſumq; ferunt robuſtum pectus in hoſtem,
Inq; vicem ſtrictis gladiis non ſegnius inſtant,
Et magno inter ſe commiſcent prælia motu.
Audit vterq; ducum fremitum, vocemq; ſuorum:
Nec longum in medio tempus, cum concita tanto
Caſtra fragore ruunt, aciesq; ad prælia ducit
Quisque ſuas magnisq; acuunt clamoribus iras.
Certatim proceres ſeſe exhortantur in arma:
Stat conferre manum: ſtat vulnera ſæva ſubire.
Ardeſcit fremitusq; virûm, clangorq; tubarum,
Sævaq; multiplici reſonant tormenta fragore.
Jamq; intra teli florentes ære catervæ
Subſtiterant ambæ jactum, ſimul undiq; toto
Agmine concurrunt, & ſummis viribus haſtam,
Quisq; ſuam adverſo cupit in thorace recondi.
Horrendum arma ſonant, ſtridentq; haſtilibus aura:
Tum ſuper incumbunt gladiis, ferroq; micante
Confligunt, hæret pede pes, denſusq; viro vir,
Plurimaque inter ſe multa vi vulnera miſcent.
Igneſcunt coni galeis, & tempora circum
Errat crebra manus, crepitantque ſub ictibus ora:
Inde alios ſuper, ac alios dant pectora pulſus,
Et magis atque magis crebreſcit Martius horror.
Nec mora, nec requies tantos ſub pectore vertunt
Irarum ſtimulos, vt duros enſibus ictus,

Uſque

Immani latam ſtrepitu procumbit in aulam:
Impetus exoritur, fragor horridus omnia complet.
Haud aliter calido quam cum tonat æthere nubes,
Quæ piceum denſa traxit caligine fumum
In ſuperas auras rapido qui motus ab æſtu
Horrificans ſonitu, lato ſecat aëra tractu:
Jamq́, alimenta vagis deerant, jam pingue bitumen,
Materiesq́, omnis renovandis ignibus apta
Igne abſumpta jacet, tantisq́, exhauſta ruinis:
Omnis & in cinerem flamma conſederat ardor,
Humida cùm medij pulſabat culmina cœli
Noctivago Phœbus labens per nubila curru,
Et proceres poſitis armis, ſua quiſque petebat
Limina capturi placidum per membra ſoporem.

HInc poſtquàm una, & item lux altera venit Eois VII. & VIII.
Orta jugis, tempusque monet diſſolvere cœtus
Cùm rerum cura procerum ad ſua quemque vocarent,
Inſtaurata dies epulis, feſtoque Hymenæo,
Atque iterum vario ſplendeſcit regia cultu:
Non deſunt miro convivia facta paratu,
Non aurum dapibus, non menſis dulcis Jacchus,
Non tuba, non cantus, non rauco tympana planſu,
Non docti juvenum ſaltus, blandaque choreæ.
Quæque aliæ exhilarant animos, & pectora mulcent
Delitiæ, gaudent mixti juvenesque ſenesque,
Et ſua laticiæ præbent documenta vocatis:
Hæc nova dum pro ſe ſtudio connubia quiſque
Evehit, & læto peragit ſolemnia cultu,
Ludicra quin etiam repetuntur prælia circo
Et proceres ſolitis armis, animisque parati,
Mutua compacti ferientes tergora ſcuti,

Se tru-

Se trudunt ab equis ingentis cuſpide teli:
Materieſque iterum reparatur fertilis igni.
Bellica nam flammas inter cava ciſta micantes
Evomit, ardentes ad lucida ſidera glandes,
Reſplendetque novis iterum fulgoribus æther.

IX. *Epilogus.*

NOna dies aderat, cùm circum ritè peractis,
Quæ ſacer expoſcit fieri de more Hymenæus,
Hinc placidus verbis, hinc ævo maximus Heros,
Dimittit proceres, quemque ad ſua regna vocatos.
Ergo duci meritos pro tantis rebus honores,
Longævoſque dies, & tempora læta precati,
Sublimes in equis redeunt notaſque per urbes,
Evecti repetunt ſedes & tecta ſuorum.

Εὐχὴ ad Sponſos.

At vos, quos ſummus celſi moderator Olympi,
Auſpiciis dextris thalamo conjunxit eodem,
Divitiis clari, generoſo ſtemmate nati,
Dotibus eximiis celebres, rerumque decore
Geſtarum magni, & virtutis laude paternæ,
Dulcia concordis peragentes tempora vitæ,
Lætaque legitimi celebrantes otia lecti,
Vivite fælices caſta moderamine mentis:
Sint thalami vobis fælicia pignora veſtri
Egregij nati, veſtrum qui fortibus auſis,
Nomen in aſtra ferent: quorumque à ſtirpe nepotes.
Excellant ſumma primos virtute parentes.

Τέλος ἐπιθαλαμίου.

NICO-

NICOLAI CISNERI EPIGRAMMA AD INCLYTUM DOMINUM CAROLUM,

REGNORUM SUECIÆ, GOTHORUM ET VANDALORUM PRINcipem hæreditarium, Ducem Sudermanlandiæ, Nericiæ & Warmelandiæ, &c.

QValis ſydereo vultu Cytherea relucet,
Talis it in thalamos, CAROLE, *Sponſa tuos.*
Illa Iovis ſoboles, Heroum hæc celſa propago,
Digna tuis thalamis, conjuge digna Iove.

AD NICOLAUM CISNERUM IC ET CAMER. IMP. ASSESSOREM ELEGIA.

IOAN. POSTII, *Archiatri Wirceburgici tum, poſt El. Palatini, &c.*

ARdua Mœonio meditabar Carmina plectro
Pangere, magnanimos & memorare duces;
Et regum hiſtorias, & facta ingentia Regum,
Quos tulit & quos nunc Suecia dives habet
Quotq; Palatino Heroës de ſanguine Creti,
Et Marte illuſtres atq; fuere toga.

Et feſta ad liquidum celebranda Hymeneia Nicrū,
In primis laudes, CAROLE Sponſe, tuas
Ut genus eximium magnis virtutibus ornes,
Ut tibi nil ſancta ſit pietate prius:
Quæ tibi cognitio rerum, prudentia quanta
Et vultu eniteat gratia quanta tuo;
Quam ſis intrepidus, quàm fortis pectore Mavors
Sicubi belligeras poſcit ad arma manus;
Ad veniam facilis, domitor quam ſtrenuus iræ,
Ut ſine conſilio nil moderatus agas
Deniq; GUSTAVO te præſtes, ut patre dignum
Quo longum felix Suecia Rege fuit
Tum Sponſam, Sponſæq; atavos, magnūq; paren-
Cui patriæ parent rura beata meæ. [tem,
Hæc & plura domi, CISNERE diſerte, parabam
Audax Herois tollere ad aſtra modis
Cum ſubito ire meo jubeor cum Principe longa
Flumina per Rheni iam male tuta vias,
Huc ubi ſublimes populoſa Colonia turres
Romanis olim condidit auſpiciis
Nimirum ut poſitis armis ac litibus alma
Pace queat tandem Belgica terra frui;
Qua patiente graves ultra duo luſtra ruinas
Haud levia Imperium damna tuliſſe patet
Conſiliis utinam pars utraq; pareat æquis,
Ut citò reſtitui poſſit amata quies,
Ad canoſq; mihi liceat remeare penates,
Et ſtudia & Muſis otia grata ſequi,
Otia Phœbus amat. Victurum ſcribere carmen
Iuſta niſi fuerint ocia nemo poteſt.
Hic inter varios Aulæq; Urbisque tumultus
Compoſitum veniam carmen inane rogat.

ANNO 1579.

NICOLAI CISNERI
DE
Hiſtoriæ laudibus
&
IOHANNIS AVENTINI
Annalib. Bojorum in Opera ejus

Præfatio ad

ILLVSTRISS. PRINCIPES,

DN. DN.

IOHANNEM,

ET

CAROLUM,

Palatinos, Duces Bavariæ, Bipontiq; &c.

Anno M. D. XXC.

ILLVSTRISS. PRINCIPIBVS,

DOMINO IOHANNI,

ET

DN. CAROLO,

PALATINIS RHENI BOJARIÆ DUCIBUS, ET VELDENTIÆ COMITIBUS;

Dominis ſuis clementiſſimis S. D.

NICOLAUS CISNERUS, IC. *El. Palatin. Curia Projudex & Conſiliarius.*

Hiſtoria dignitas & utilitas.

QVANTUM momenti publicè privatimque ad omnes vitæ humanæ partes hiſtoria afferat, ſive utilitatem, ſive dignitatem, ſive voluptatem, quæ ex ea percipitur, ſpectaverimus, certiſſimis clariſſimorum autorũ teſtimoniis adeò perſpicuum eſt, ut neminem eſſe putem, qui id in dubium revocare velit. Nam PLATO in Timæo inducit Ægyptium ſacerdotem Græcos reprehendentem, & ad SOLONEM dicentem, ſemper pueros eſſe, in quibus nulla antiquitatis ſit cognitio, nulla quaſi ſenilis & cana ſcientia.

Ad quem locum reſpiciens Cicero in Oratore ad M. Brutum ſcripſit: *Neſcire autẽ, quid, antequam natus*

natus ſis, accideret, eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, niſi cum memoria rerum veterum, cum ſuperiorum ætate contexitur? Idem ſequutus eſt Ioannes Ludovicus VIVES, lib. 5. de Trad. discipl. pag. 355. cum tradit, hiſtoriam, ſi adſit ex pueris facere ſenes: Sin abſit, ex ſenib. pueros. Nam cognitione veteris anteriorisque memoriæ nos conſequi, ut præteritis non minùs videamur interfuiſſe, quàm præſentibus, illiſq; perinde, ut his, uti poſſimus.

Cur autem à graviſſimis illis ſcriptoribus Platone & Cicerone expertes huius materiæ pueri appellentur, ſimilitudine quadam *Franciſcus Robortellus* in lib. de ſcribenda hiſt. & *Carolus Sigonius* in oratione de Laudib. hiſtor. explicant. Sicut enim pueri ob judicij imbecillitatem nec hominem ab homine diſcernere, neq; rē à re diſtinguere, nihilq; quod procul ſit, cogitatione complecti, neq; præterita reſpicere, neq; futura prævidere poſſunt: Sic qui nullam geſtarum rerum, nullam præteritorum ſeculorum animo comprehenſam notionem tenent, ex præteritis futuros eventus proſpicere nequeunt, eaque de cauſa pueris intelligentia aut nihil aut parum præſtant. Atq; hæc accipienda ſunt de experientia, q̃ hiſtoriæ veteriſq; memoriæ cognitio ſuppeditat. Nam alia longa vita uſuq; rerum quæritur, qua plerunque ſenes aliis minoris ætatis præſtant. Hinc illud Poetæ,

———*Seris venit uſus ab annis & prudentia*

Et quod eſt apud Fabium lib. 12. c. 4. ſenibus autoritatem majorem eſſe, quòd plura noſſe & vidiſſe credantur, idq; Homerū frequentiſſimè teſtar.

Item hoc Iobi c.12. ad Zopharum generum: *Eſt in ſenibus ſapientia & longa ætas affert peritiam.* Verùm addit Fabius, non expectandam ultimam ætatem, cùm ſtudia præſtent. ut quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis ſeculis vixiſſe videamur. Commodius autem eſt & tutius eventis aliorum notandis, examinandiſq; prudẽtiam quærere, quàm ſi ipſi experiamur. cum id nõ ſine labore, interdum etiam non ſine periculo fiat.

Paulus Manutius in præfatione in Salluſtij hiſtor.

Sed cùm de aliis hiſtoriæ fructibus, tum de hoc ipſo præclarè *Diodorus Siculus*, in procemio bibliothecæ: ex quo hanc quaſi epitomen *Carolus Sigonius* in orationem de laudibus hiſtoriæ ſuam tranſtulit. Magnas à nobis gratias rerum geſtarum ſcriptoribus eſſe habendas, qui ſuo ſtudio effecerunt, ut rebus præteritis cognoſcendis facilius, quid nobis in vita expetendum, quid declinandum eſſet, expediremus. Prudentes multos fuiſſe homines legimus, & admirabili propè quadam in agendis rebus ſapientia præditos, quam non natura, ſed uſu rerum multarum non ſine magnis vitæ periculis ſibi, ut de Ulyſſe traditum eſt, compararũt. At nobis Hiſtorici hoc afferunt commodi, ut adverſis aliorum caſibus edocti, ab omnibus, quib, illi perculſi ſunt, tuti fortunæ telis, cautiùs ac ſapientiùs actiones noſtras dirigamus. Matura ſeniorum cõſilia juvenes admirantur, cur? nempe, quia eos lõga ætas ac diuturna vita cautiores & prudentiores effecit. At eò pluris æſtimanda hiſtoria eſt, quo plura in omni genere exempla diuturnitas temporis, quàm exigua unius hominis ætas colligit. Eſt ergo antiquitatis cognitio utiliſſima, quippe quæ juve-

Diodor. Sic.

nes

nes prudētia cum ſeniorib. æquet, ſeniores eorum, quos experti ſunt, caſuū cōprobatione cōfirmet, ſenatorem ad Rempub. Imperatorem ad rem bellicam complectendam impellat, & quod caput eſt, omnes homines ad virtutem colendā incredibili quodam gloriæ ſtudio atq; eximio immortalitatis amore accendat. Itaq; multi fuerunt, qui illuſtri literarum atq; ingeniorum præconio concitati, civitates conſtituerunt, leges ſcripſerunt, novas artes excogitarunt, morti denique fortiſſimo animo ſeſe objecerunt. Siquidem hiſtoria ut turpiter factorum index eſt, ſic earum rerum, quæ cū virtute actæ ſunt, teſtis eadē eſt ſempiterna. Quare ut virtutis amore incitat bonos ad res fortiter præclareq; gerendas: Sic malos metu infamiæ à ſceleribus perpetrandis deterret. Sed his nos cōtenti erimus, quæ pluribus Diodorus in Prooemio illo perſequitur.

Ac quidē multò jā antè *Polybius* l. 3. Hiſtor. memoriā rerum præteritarū egregium prudentiæ documentum eſſe, ſcriptum reliquerat. Etenim quo pacto quiſpiam vel illata ſibi aut patriæ injuria, ſocios ad eam propulſādā advocarit: vel proſperè cedentib. rebus ſuorū animos rectè cōfirmaverit, niſi quomodo ſingula quæq; à major. noſtris geſta ſint, cognitū perſpectūq; habuerit? Ita n. in reb. præſentib. paratus ſemper atq; inſtructus ea loqui atq; agere poterit, quib. & conſilia cunctorū intelligantur, & veritas omnib. patefiat. Præteritæ quippe res optima gerēdarū rerū documēta ſunt, facileq; nobis oſtendūt uniuscujuſq; rationes, cōſilia, machinationes, q d nobis gratiā, opē, beneficiū cōciliare poſſit, q d quē à nobis alienare, q d ad miſericordiā, *Polybius.*

quid ad indignationem, quid ad juſtitiã atq; æquitatem commovere. Quæ omnia & publicè & privatim plurimum in vita mortalium poſſunt. Quapropter cenſet, eos, qui in Hiſtoriarũ lectione verſantur, nõ tam res geſtas, quàm quid eas ſequatur, atq; antecedat, animadvertere oportere. Ad hanc etiam ſentẽtiã facit, quod *Livius* in Proœmio ſcribit: Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exẽpli documenta in illuſtri poſita monimẽto intueri, unde tibi tuęq; Reipub. quod imitere, capias, unde fœdũ incœptu, fœdum exitu quod vites. Ac potiſſimam hanc Hiſtoriarũ utilitatẽ Polybius eſſe putat, ut probi laudibus ſui ſimilem ad virtutem inflammentur: mali vituperatione & infamia à vitiis & ſceleribus avertãtur. Eandẽ rõnem *Tacitus* li.4. Anna. & Procopius in Proœmio lib.1. de bello Perſico conſectãtur.

Livius.

Tacitus. *Procop.*

Iam v. exemplis magis, quæ ex hiſtoria ſumũtur, quàm enthymematis gaudere & moveri homines, *Ariſtot.* in Probl. tradit, ejuſq; rei rõnem affert. Idẽ *Grego. Nazian.* in Oda quadã cenſet, ubi hiſtoriam συμφέρτην σοφίαν vocat. Vtrũq; locum recentiores Robortellus, Sambucus, & alij exponunt. Vnde & oratorib. hiſtoriã neceſſariam Cicero 1. de Oratore, & Quintil. lib.12. c.4. tradiderunt. Sic eam, ſi civilẽ philoſophiã non ſuperat, at illa inferiorem nõ eſſe *Agathias* in Proœm. li.1. de bello Gothico probat, ubi de fructu hiſtoriæ multis agit. Ac in morali philoſophia plus exẽpla prodeſſe, q̃ præcepta, Ludovicus Vives li.5. de trad. discip. pag. 357. docet. Et Sigonius dicit, nihil aliud eſſe hiſtoriã, niſi virtutũ vitiorũq;, ꝙ argumentõ moralis diſciplina cõplectatur, di-

Exempla movent.

diligentem & perſpicuam demonſtrationem. Itaq; eum quis ad fortitudinem, moderationem, juſtitiam hortabitur, clariſſimis potiùs Deciorum, Fabij & Camilli documentis, quàm Socratica ratione uſurum. Nam Philoſophos, quid agere homines debeant; hiſtoricos, quid præclarè egerint, docere. Itaq; niſi Philoſophorum præcepta hiſtoricorum exemplis comprobentur, inanes illas ſententias, commentitiamq; doctrinam videri. Quo ſit, ut hiſtoriam ſpeculum eſſe vitæ, humanarumq; actionum traditum ſit. Ac veluti exemplum eorum, quę ſequamur, quæq; fugiamus, cum in ea pateant hominum ſive vitia, ſive virtutes, ex quibus, quæ vitanda nobis ſint, quæ expetenda, ſedentes in otio doceamur. Præterea, quam dignitatem hiſtoria habeat, licet ex Diodoro, Agathia, aliisq; à me antea commemoratis autoribus ſatis intelligi poſſit: tamen duorum doctrina & eloquentia laude præſtantiſſimorum virorum *Caroli Sigonij* & *Pauli Manutij* de eadem re teſtimonia adducere libuit. Ille igitur cùm alia multa ejus generis, tum hæc ſcribit in oratione de Hiſtoriæ laudibus: Hiſtoriâ famam nominis noſtri propagari, omni genere virtutis cumulatiſſimos viros ab interitu vindicari, cætera omnia vel vi extingui vel vetuſtate conſumi: hiſtoriam unam per univerſum terrarum orbem diſſipatam, perpetuam ſui cuſtodem æternitatem conſequi. Hic verò in Præfatione hiſtor. in Salluſt. Rerum interitus oblivio eſt: at eæ revi viſcunt hiſtoria, cum in noſtram memoriam revocantur, quæq; multorum annorum ſpatio, multis abhinc ſeculis geſta ſunt, ea nos, exiguo volumine

comprehenſa, & tanquam in conſpectu noſtro poſita, cognoſcimus. Etſi conſuetudine clarorum virorum delectamur, verſamur vetera legentes, cum regibus, cum Principibus viris, magnis in bello ducibus, ſapientiſſimis rerum publicarum rectoribus, ora ipſa, lineamenta, & formam non tam corporis, quàm animi eorum, quos nunquam vidimus, videmur tamen quaſi præſentes intueri. Alium apud eundem in Præfat. in comment. Cæſaris de dignitate locum mox ſubjiciam, ut & de voluptate, quę ex hiſtoria capitur: quanquā de ea quoq; ex iis, quæ jam attuli, teſtimoniis abunde conſtet.

Ac tametſi & hæc præclara extent ad hiſtoriæ commendationem documenta, & plurima etiam ex aliis inſignia encomia colligi poſſint: tamen, ſi omnia ratione animoq; luſtraverimus, & mente comprehenderimus, nullum clarius eſt, nullum laudabilius, nullum præſtantius, atq; *Ciceronis* lib. I. de Orat. ad L. Fratrem, quo & ſuperiorū omnium reliquorumque, quæ apud alios ſunt, vim paucis verbis complexus eſt, cùm ait: *Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.* Nam cùm ſingula inciſa plurimum in ſe ponderis habent, tum tria hæc latiſſimè patent, quòd lux ſit veritatis, quòd vita memoriæ, quòd magiſtra vitæ.

Ciceronis Encomium hiſtoriæ.

Etſi verò ex his apertè cognoſci poſſit, quanta & utilitas & dignitas & voluptas ex Hiſtoria paretur, tamen inſtar interpretationis præconij Ciceroniani ſubjungere viſum eſt priorem Præfationis partem *Pauli Manutij* in commentar. Cæſaris, qua nominatim tres has hiſtoriæ laudes perſequitur.

Primùm

Primùm enim de utilitate ita diſſerit: Facilè unus homo, quid multis evenerit, cum intelligit, eruditur, atq; ipſe ſibi normã componit actionum ſuarum, vitæq; totius inter omnes errores, omniaque pericula ad veritatem ac ſalutem dirigendæ. Nec aliud eſt noſtra prudentia, quàm eventorum obſervatio, rerumq; præſentium ac futurarum ex præteritis, tanquam ex fonte, ſcientia derivata. quod ex univerſo literarum genere, vel ſola, vel certè maximè præſtat hiſtoria, præſertim ſi quis eã ita tractet, ut eventa dum notat, animum referat ad cauſas, in eaſq; attentè inſpiciat, & rationem quærat, cur hoc factum, illud omiſſum, cur ex illo calamitates, ex hoc optata cõtigerint. Deinde de dignitate in hũc modum: Res geſtæ narrantur inter ſummos Reges, potentiſſimas civitates, bellicoſiſſimas nationes. Cauſæ porrò bellorũ ſunt, quæ ſunt humanarum rerum maximè, Imperium, ſalus, gloria: quæ ponuntur in armis omnia, & à conſilio ducum, à virtute militum, ab ipſa fortuna pendent. Tum de delectatione his verbis: Si voluptas eſt, quàm magnarum variarumq; rerum adſpectus animis noſtris infundit: nulla pulchrior ſpecies, nulla gratior, nulla prorſus hiſtoria jucundior. Vides, ut in tabula picta, adverſa ducum excellentium ſtratagemata, artes, inſidias: ſpem potiundi, metum amittendi: cæſos exercitus, urbes captas, imperia deleta: age, fortuna commutata, cadere inſultantem, victum exurgere, eodem pænè momẽto lætitiam pelli mœrore ſuccedente, mœroremq; lætitia. Hæc dum legimus, haurit animus voluptatem incredibilem, aliturq; pabulo ſuaviſſimo, nec ſatiatur, donec ad exitum pervenerit.

Sed

Sed ſatis eſt, ac plus quàm ſatis, hujuſmodi teſtimoniorum, ex quibus nemo eſt, qui non perſpiciat, quæ & quanta omnibus cujuscunq; loci atque conditionis hominibus, vetuſtatis notitia adjumenta atq; ornamenta ſuppeditet.

Hiſtoriæ notitia Principibus neceſſaria.

Maximè autem utilis & neceſſaria eſt Senatoribus, rectoribus civitatum, Rerumpub. gubernatoribus, ac Principum ordini. Id quod exemplis aliquot confirmavi in Præfatione Germanicæ Aventini hiſtoriæ. His addo, quæ de *L. Lucullo, de Alexandro Severo, de Zenobia* regina Vives libr. 5. de trad. diſcipl. recenſet. Ad quæ exempla rationes non contemnendas accumulat. Et quæ de *Carolo M. ac Alphonſo Taraconenſi* Neapolis & Siciliæ rege Hieronymus Zieglerus in principio Præfationis in Latinos Aventini annales refert. Ac quòd hiſtoriarum lectio autores cõſilij publici inſtruat, quòd adminiſtratores Rerumpubl. & civitatum inſtituat, quòd Principes, Reges, Imperatores informet, oratorio more Carolus Sigonius in oratione de Hiſtoriæ laudibus declarat. Nam uti qui rebus præſunt, rectè Rempublicam gerant, & benè populis atq; civitatibus ſuis conſulant, Reipub. formas, cauſas ſalutis atque interitus, ejus fortunæ viciſſitudines, regnorum mutationes, majorum leges & mores noſcant oportet. Sic ut Senator vel conſiliarius de rebus maximis utilem ac fructuoſam ſententiam dicat, ut ſalutare conſilium de futuris, quæ ex præteritorum ſimilitudine gubernantur, dare poſſit, acta Reipublicæ, geſta majorum ſuorum, ſuperioresq; eventus animo perceptos, & ſuæ civitatis inſtituta, & facultates notas habeat,

habeat, neceſſe eſt. Atqui quæ recta ſint, quæ vitioſa Rerumpublic. genera, quomodo inter ſe commiſceantur, quæ cauſæ ſint, quibus illæ augeantur, propagentur, conſerventur, quibus contrà debilitentur, labefactentur, pervertantur, quibus ex rebus, & quomodo Reſpublicæ commutentur, quæ ſit in utramq; partem fortunæ poteſtas: denique jura & diſciplina veterum ſtatus & conditio cùm aliarum, tum ſuæ Reipublicæ multò commodius; tum ex notatione memoriæ, & actorum ſuæ civitatis, tùm ex diligenti diverſarum Rerumpubl. obſervatione, quàm ex ſcriptis à Philoſophis de Republ. aliisvé libris erui poſſunt. Iam verò ad omnem rei militaris rationem, uberrimam inſignium tum ad cavendum tum ad imitandum documentorum copiam, veterum temporum cognitio ſuppeditat: quibus animadverſis antiquitatis gnarus Imperator, vel belli gerendi dux Rempub. egregiè in militia adminiſtrare poterit. Quod ſingulatim Sigonius in oratione illa exponit.

Ac quidem harum rerum omnium ratio in promptu eſt. Ut enim armentis & gregibus non pecudes aut pecora vel ſelectiſſima, ſed homines paſtores præficiuntur: ſic hominibus nõn homo, ſed ratio imperare & præeſſe debet, ut ſcitè *Ariſtoteles* lib. 5. Ethic. capite 6. tradit. Ex quo conſequitur Principes, quorum poteſtati & imperio alii ſubjecti ſunt, iiſdem prudentia, ſapientia & juſtitia, cæteriſq; virtutibus antecellere debere, perinde ut paſtores beſtiis, quas paſcunt, ratione longè præſtant. Idcirco enim Ariſtoteles imperium & principatum in alios rationi tribuit, non homini: quia

quia Magiſtratus cuſtos debet eſſe, conſervatorq; juris & æquabilitatis, nihilq; præterea ſibi ſumere & tribuere quàm aliis, niſi habita ratione dignitatis, quòd honor & gloria ei tanquam præmia decernantur: & paſtoris inſtar quæcunq; agit, ad eorum, qui eis ſubſunt, commoda referre. Hi autem, præſertim intelligentiæ habitus, quibus Reſpublicæ fulciuntur, ex præteritarum rerum cum præſentibus & futuris comparatione, & ex hiſtoriæ cognitione maxima ex parte comparantur, ut paulò antè probavimus. Hinc eſt, quòd nõnulli ſcriptum reliquerint, Hiſtoricos proprios eorum, qui aliis dominantur, libros eſſe.

Ac quòd hiſtoriarum cognitio maximam utilitatem Regibus & Principibus, præſertim juvenili ætate percepta afferat, *Philippus Cominæus* lib. 3. non longè à principio notat, cum locum illum communem tractat, imprudenter facere Principes, quando alterius poteſtati, belli temporibus, ſe permittant, ut *Carolus Burgundius Ludovici XI.* Galliæ regis fidei ſe commiſerat. Nam extare in vetuſtatis memoria pulcherrimas picturas, quæ clarè
» demonſtrent, in quantas acerbitates aliquandò
» conjecti ſint multi, quòd ſuis hoſtibus nimiam fidem habuerint. Ac ſe quidem in eam adduci ſententiam, quemadmodum & vitæ diuturnitate & robore corporis multò ſimus inferiores priſcis illis hominibus: ita quoq; ab ipſorum fide & integritate permultum nos degeneraſſe. Vix enim eſſe, ut providere ſibi aliquis diligenter ſatis poſſit, quò
» minus fallatur: & quò ſint potentiores Principes,
» eò majorem eſſe inſidiis & improbitati locum:

Nam

Nam & ſua quadam ſponte illos eò propendere, ut « quod libet, licere ſibi putent, & qui ſint circum i- « pſos, quoniam aucupandæ modò gratiæ ſunt intenti, planè ſervire illorum cupiditatibus, & ſi quis ad meliorem frugem aliquando hortetur, magnas tempeſtates excitare. Loquitur autem de Principibus imperitis & ignavis, non de iis, qui ingenio valent, aut ex Hiſtoriarum lectione quæſitam habent aliquam prudentiam. Hos enim non temerè aliis ſe committere: ideò nec facilè circumveniri, nec ludificationibus aliorum expoſitos eſſe.

Etſi verò qui civitates vel populos imperio ſuo ſubjunctos habent, operam dare debent, ut & alienas Reſpubl. notas habeant: tamen iis ſummo ſtudio ſummaque cura in id eſt incumbendum, ut ſuæ gentis & nationis res geſtas, bella, fœdera, pacta, leges & mores teneant. Quocirca Germanis Principibus elaborandum eſt, ut rerum Germanicarum ſcriptores potiſſimùm evolvant, & majorum ſuorum geſta & actiones, inſtituta & diſciplinam percalleant. Quod pluribus in Præfatione illa, cujus paulò antè memini, expoſui.

Cùm autem magnum ſit inter hiſtoricos Germanicos diſcrimen, delectus in iis legendis eſt adhibendus, ut quò quiſque proximè ad leges in rebus geſtis poſteritati commendandis præſcriptas acceſſerit, is cæteris anteferatur. Sunt enim qui longiſſimè ab iis receſſerint, quorum nonnullos alio in loco commemoravi. *Germania hiſtorici.*

Inter primos verò eminet Iohannes Aventinus, præcipuumq; ſibi dignitatis gradnm vindicat, *Aventinus in his præcipuus.*

dicat, qui incredibili ſtudio, admirabili diligentia, immenſo labore, vetera Germaniæ, & maxima Bojariæ tabularia perluſtravit, atq; omnia quæ apud civitates, Eccleſias, monaſteria, monumenta reſidebant, pervolutavit: Hiſtoricos & Annalium atque Chronicorum autores tam veteres quàm recentes, tam manuſcriptos atq; impreſſos perſpexit, & rebus, temporibus, locis ac perſonis inter ſe accuratiſſimè collatis, quæcunq; ad hoc inſtitutum ſuum quoquo modo pertinere ratus eſt, annotavit, & in hoc ſuum opus obſervato annorum ordine digeſſit.

Inſcripſit autem *Annalium Bojorum* nomine. Nam præcipuè id ſibi propoſitum habuit, ut Bojorum gentem ac res geſtas, memoriæ poſteritatiq; conſecraret. Itaq; tum regiones, quas incoluerunt, & quas etiamnum tenent, tum earundem conditores, reges, duces, Principes, variosq; nobilitatis ordines, populos, civitatesq; deſcripſit: eorundem migrationes, imperia, religiones, ritus, leges & inſtituta expoſuit. Nec contentus hac opera non modò univerſam Germaniam, ſed & ſingulas ejus gentes his libris complexus & periecutus eſt. Quin etiam quæ cùm in aliis imperiis, regnis, regionibus, provinciis, populis, civitatibus, notatu digna, tum in Eccleſia Dei acta ſunt & acciderunt, continuata temporum ſerie adjunxit. Orſus autem eſt narrationem hujus hiſtoriæ jam inde ab orbe condito, & uſque ad annum Domini 1460. produxit. Tantum igitur abeſt, ut quæ hoc Opere comprehendit, anguſta annalium Bojorum inſcriptione concludantur, ut nec amplus

ſatis

ſatis ſit rerum Germanicarum titulus, ſed plenior potiùs univerſæ vel generalis hiſtoriæ inſcriptio conveniat: cùm nòn ſolùm rerum à Germanis populis domi foriſq;, verùm etiam ab exteris gentibus geſtarum memoriam contineat, ut ex argumento, quod huic hiſtoriæ præpoſui, videre licet.

Ac licet hoc Opus Illuſtriſſimis Principibus *Wilhelmo*, *Ludovico & Erneſto* fratribus, Comitibus Palatinis Rheni, & ſuperioris inferioriſq; Bojariæ Ducibus *Aventinus* dedicârit, quòd illorum autoritate & ſumptibus id contexuerat: tamen, neſcio qua de cauſa àb iis id intra privatos parietes aſſervatum, in lucem non prodierit, nec evulgatum fuerit: ſed demum ſucceſſoris eorum Domini *Alberti* voluntate pro ſua in ſtudia literarum propenſione, opera Hieronymi Ziegleri Ingolſtadij anno 1554. typis impreſſum ſit: Hic ſive ſuo quodam judicio, ſive potiùs Illuſtriſſimi Principis ſui mandato loca quædam ex hoc Aventini Opere ſuſtulit, ut & ipſemet in Præfatione ſua ad Lectorem profitetur. Itaq; cum integrum manu ſcriptum exemplar doctrina, virtute, & generis nobilitate ampliſſimus vir *Eraſmus Neuſtetterus*, Eques Francus, Pabenbergenſis & Wircenburgicus Canonicus, & Comburgenſis Decanus, prò ſingulari ſua erga me benevolentia mihi communicaſſet, quòd cùm ſummo amore literas proſequatur, cum Bibliotheca Oſualdi Eccij magno emerat, id cum excuſo diligenter contuli, & quæ defuerunt, notavi, & ex manu ſcripto reſtitui.

Aventinus primò ſuppreſſus, poſt truncatus, jam reſtitutus.

Hunc meum laborem cum fortè typographis quibuſdam Baſilienſibus Spira Francofurtum

tranſeuntibus oſtendiſſem, à me petierunt, ut redintegratum Aventinum ſibi imprimendũ darem.

Etſi verò excuſari fortè Zieglerus poteſt, quòd juſſu Principis, ut innuit, duriora quædam omiſerit, præſertim, quòd & bona fide affirmet, hiſtoriæ ipſi nihil detractum, & ſibi perſuadeat, Aventinum ipſum, ſi vita ei longior fuiſſet, multa mutaturum & correcturum fuiſſe: tamen ſatius eſſe puto, integrum Opus, ut ab Aventino conſcriptum eſt; quàm mutilatum extare; præſertim, cùm autor exempla plura deſcribi curaverit, & divulgaverit, & pro prudentia ſua, quid literis mandandum, quid ſilentio prætereundum eſſet, probè intellexerit, & dijudicare potuerit. Ut enim demus, eandem ſententiam eum ſæpe variis & diverſis & phraſibus & dictionibus expreſſiſſe, nec, quam potiſſimum ſequi vellet, declaraſſe, ſed Lectori aliisq; viris doctis & amicis delectum verborum permiſiſſe: tamen non idcirco conjicere licet, eum integras narrationes aut invectivas tollere voluiſſe; præſertim cum nonnullæ harum in priori editione omiſſarum accuratè ab illo fuerint compoſitæ. Neque verò, quid mihi aut tibi in alieno opere videatur, ſed quid autori placuerit, præſertim quando vel de religione, vel
» religioſorum vita & moribus agitur, eſt ſpectan-
» dum: cùm ſæpe diſcrepantes ſint de religionis
» dogmatis, & autoris, & lectorum ſententiæ; ali-
» terque animo ille, aliter hi ſint affecti. Noſtra
» quidem pro libitu mutare & emendare poſſu-
» mus: at in alienis æquum faſq; non eſt, nos vel ni-
» mis rigidos eſſe cenſores, vel ſcrupuloſos Ariſtarchos,

Cauſa, cur Aventinus Ingolſtadij mutilatus.

[illegible] expur- [illegible]tores li- [illegible]rum [illegible]ficios.

chos, ut protinus veru obelóve expungamus, quæ «
nobis diſplicent. Quin ut quædam in alieno au- «
tore etiam ad rem propriè non pertineant, ut commodè etiam adimi poſſint: tamen non idcirco nobis ea tollere jus eſt; ſiquidem ſua cuiq; eſt ſententia. Multò verò minus aut mutandum quid eſt aut detrahendum contra mentem autoris, ut factum eſt in quibuſdam hujus operis procemiis & di- «
greſſionibus in vitia & mores, cum aliorum, tum «
Pontificum & Eccleſiaſtici ordinis. Neque enim «
tantum temporis, curæ atq; ſtudij in ijs ſcribendis «
Aventinus conſumſiſſet, ſi intermittere poſtea co- «
gitaſſet. Quare & rei literariæ, & Aventini exiſtimationi me conſulere exiſtimavi, ſi nulla ex parte maneam, ſed in integrum reſtitutam Aventini & Latinam & Germanicam hiſtoriam emitterem.

Eam verò Ziegleri operam, quam præſtitit in reſtituendis vulgaribus nominibus propriis hominum, familiarum, locorum, omninò probo. Fuit enim *Aventinus* in Germanicis vocabulis ad Latinam Græcamve tum originem tum terminationem revocandis; peregrinarum linguarum ſtudioſior, quàm proprietas uſuſque ſermonis Germanici patitur. Ac dum vetuſtatis indagationi, etymorum inquiſitioni, formationique verborum nimium addictus fuit, tenebras potiùs Lectori offudit, quàm lucem attulit. Rectè igitur Zieglerus pro deflexis ad formam Latinam vocibus, quòd obſcuritatem parerent, Germanica nota reddidit. Itaque ejus editionem & hac in re & in additionibus marginalibus; niſi quòd has ma-

Nomina Germanica.

gna ex parte adauxerim, ſum ſequutus. Menda typographica correxi, & quædam in lib. 7. ubi de Margaretha Batava ſecunda conjuge Ludovici IV. Imperat. ejusque filiis, nepotibus & pronepotibus agitur, ab ipſo Aventino in nominibus propriis hominum, locorum, notatione temporis commiſſa errata, monitu clariſſimi viri Renati de Duyn, Cameræ Imperialis Aſſeſſoris, emendavi. Quæ præterea acceſſerunt, ſtudioſus lector ex collatione utriuſq; editionis perſpiciet.

Iohannis & Caroli Palatin. laus.

Quod verò in V. Celſitudinis, Illuſtriſſimi Principes, ampliſſimo nomine Aventinum in integrum reſtitutum publicârim, facit mea erga C. V. animi inductio & obſervantia ſingularis. Tot enim tantisq; & ingenij dotibus & animi virtutibus præditi eſtis, ut qui clariſſimis doctorum monumentis celebremini, dignos vos cenſeam. Quæ cùm me facultas, ut egregio vos præconio ornem, deficiat, eniti ſaltem jam volui, ut quid de vobis ſentiam; & erga C. V. teſtificarer, & aliis declararem. Inflammati uterque eſtis miro & liberalis & elegantis doctrinæ amore, quo Celſitudo tua, Carole Princeps, ita flagrat, ut quod tempus tui ordinis homines in ludos & voluptates conferre ſolent, tu ſtudiis literarum tribuas, & ad corporis valetudinem neceſſariarum aliquando recreationum oblitus, in aſſidua honeſtarum artium commentatione te contineas; in quibus eos feciſti progreſſus, eaq; exhibuiſti virtutis documenta, ut ornatiſſimus Heidelbergenſis Academiæ Senatus ſummum tibi Magiſtratum ſuperiori anno ultrò detulerit.

Ac

Ac cùm aliis præclaris diſciplinis ac humanitatis literis culti, tum inprimis hiſtoriæ lectioni dediti eſtis. Intelligitis enim, quantis illa Ordinem veſtrum & vitæ adjumentis & honoris ornamentis cumulet, decoretque. Quare mihi dubium non eſt, quin redintegratum Aventinum benignè ſitis amplexuri, quòd in eo laudes majorum veſtrorum memoriæ mandentur, ita ut domeſticis ad imitandum inſignibus exemplis abundetis, nec externa quærenda ſint. Nam cùm aliorum majorum veſtrorum, tum *Ottonis I. Ludovici I. Ottonis II.* & *Ludovici II.* & genus & res geſtas deſcribit. Ex his primus Ducatum Bojariæ & virtute ſua & *Friderici* I. Cæſaris beneficio iterum in familiam veſtram, à quo 230. annos exciderat, retulit. Alter verò ob merita ſua Palatinatum Rheni à *Friderico ſecundo* fidei clientelæque, cujus partes contra Pontificum tyrannidem ſtrenuè tutatus eſt, nomine accepit. Tertius ducta uxore Agnete *Henrici Palatini* Rheni, *Henrici Leonis* Saxoniæ & Bavariæ Ducis filij ditiones à patre acceptas adauxit, & majoribus viribus confirmavit: qui ipſe quoque à *Friderici ſecundi* ejusq; filij *Conradi* Cæſarum fide & amicitia nulla unquam ratione abduci potuit. Quartus verò maxima fuit cùm apud ipſos Cæſares, tum ſummos Imperij proceres autoritate: qui ex Mathilda Habſpurgica *Rodolphi Cæſaris* filia, *Rudolphum* & *Ludovicum* genuit, alterum Electorem, alterum Imperatorem. Ex his duobus fratribus disjuncta inclyta hæc gens fuit, & diverſæ quaſi familiæ prodierunt: qua-

Genealogia Palatina.

Otto I.

Ludov. I.

Otto II.

Ludov. II.

Rudolf. Pal.

rum quæ à *Rudolpho* deſcendit, Electoralem dignitatem & Palatinatum Rheni vicinasq; ditiones continua quadam ſerie poſſedit. At ex *Ludovico* prognata maximam ſuperioris & inferioris Bojariæ partem obtinuit. Rurſus prior illa ſtirps per *Ruperti* Cæſaris filios in quatuor quaſi ſtipites & familias dilatata & diffuſa eſt, *Ludovici, Johannis, Stephani & Ottonis*, quarum tertia à *Stephano* derivata adhuc reliqua eſt; ex qua & vos & qui his temporibus rerum ad Rhenum potiuntur, Comites Palatini Ducesq; Bavariæ omnes orti ſunt. Nam prima in *Ottone Henrico* Electore Palatino noſtrâ demum ætate deſiit: ſecunda & quarta non ultra filios progreſſæ, avorum memoriâ defecerunt.

Ludov. Bav.

Rupert. R.

Stephani propago ſuperſtes.

Sed noctuas Athenas, qui ad C. V. hæc. Uterque enim Illuſtriſſimæ proſapiæ veſtræ seriem probè cognitam habetis. Ac tuam Celſ. *Johannes* Princeps, accepi, non modò multum operæ & ſtudij in illuſtranda genealogia Palatinorum impendiſſe, ſed in eo quoque genere præclarum quid præſtitiſſe. Quare ſpero te jam continuum illum ordinem inclytorum majorum magnanimi illius Herois *Othonis primi* ex gente Schirenſi Bojariæ Ducis, jam inde ex *Caroli Magni* genere indagaſſe, & è tenebris eruiſſe, & ex ſalebris, in quibus multi hærent, evaſiſſe, omniaq; impedimenta, quæ obſtare videbantur, removiſſe.

Johannes I. Palat. Biponti-nus ſtudioſus indagator genealogiæ Palat.

In hoc ſtudio ordine tuo digniſſimo multum Celſit. tuam juvare Aventinus, & in obſcuris locis lucem præferre poterit.

Ac cùm verear, ne in multorum reprehenſio-

nem

nem ſim inciſurus, quòd antea, quæ de induſtria omiſſa loca fuerunt, reſtituerim, vos, Illuſtriſſimi Principes, oro, ut me renovatumq; Aventinum in patrocinium veſtrum ſuſcipiatis, & contra eos, qui hanc operam meam criminabuntur vel calumniabuntur, tueamini atque propugnetis, hancq; erga Celſ. veſtras voluntatis meæ teſtificationem in optimam partem accipiatis. Bene valeant C. V. Heidelbergæ. XVII. Cal. Septembris, Anno Domini 1580.

ARGUMENTUM AVENTINI.

AVentinus ipſe ab initio cujuſque libri, quæ in eo continentur, argumenti loco paucis exponit. Verùm vix ſumma rerum capita complexus eſt. Nam poſt deſcriptionem Bojariæ, &c. locum ſubjecit communem ex ſacroſanctis ſcripturis de Deo: Angelis bonis & malis: Adamo, Eva: Paradiſo, Eno urbe, ejusq; incolis Gygantibus: Noa, ejusq; arca, & diviſo ab eo orbe: quorum Moſes nullam fecit mentionẽ. Subjunxit poſtea Germaniæ diverſæ nomina, limites, quibus ab illis regionibus diſcriminatur, deſcriptionem, diviſionem, & quæ conſtituit quatuor Germanorum genera, veluti Teutones, Venedos, Cimbros, Ugros, ſingulatim perſequitur, quosq; ſingula cõprehendant populos, cõmemorat. Deinceps ad conditores Germanorũ (ita enim nominat) tranſit, & He-

roes, majores, reges, ſingulorumq; duces & comites, eorumq; migrationes, Imperia, religiones, leges, inſtituta, geſta, quique ijs coætanei fuerint, & quæ illorum temporibus acciderint, multis explicat. Iis enumeratis belli quoq; Trojani mētionem facit, cui Germanos interfuiſſe tradit, regesq; Trojanorum recenſet, & quæ cauſa quiſq; exitus ejus belli fuerit, indicat. Subdit quædam de lingua Germanorum & Gallorum, horumq; etymo ac origine, Galliæ diviſione, Gallogræcia, Galatarum lingua, Germanorum antiquis carminibus. Item de Germaniæ populis, qui primi Italiam invaſerunt: & urbibus ab his cognominatis. Pòſt quatuor Monarchias aggreditur, & de Aſſyriorum, Perſarum, ac Græcorum regnis ac regibus tractat. Tum de Germanorum, Bojorum & Suevorum in Italiam migratione, Brenno duce; de bello Germanorum cum Philippo Macedoniæ rege; & ejus filij Alexandri Magni præfectis, iisque & Macedonibus à Germanis victis & cæſis, occupatisque regionibus & urbibus in ipſa quoque Aſia. Inde redit ad Bojos, eorúmque ſocios, quas res in Italia geſſerint, & quomodo tandem ex Italia ejecti ad Tauriſcos & Noricos ſe receperint, & in regionem eorum colonias Romani deduxerint. Præterea ſcribit, alios Germanorum populos in provincias Romanorum ſe intuliſſe, easq; partim vaſtaſſe, partim in poteſtatem ſuam redegiſſe; Verùm Teutonas, Ambrones & Cimbros à Mario devictos, & profligatos, oſtendit. Unde ad bellum Mithridaticum, ad cujus ſocietatem, Mithridates quoq; Sarmatas Germanosq;

noſq; invitaverat, & ad deſcriptionem Armeniæ delabitur. Tum revertitur ad Bojorum & Helvetiorum in Italiam irruptionem: C. Iulij Cæſaris cõtra eos, & Arioviſtum, qui pulſis Gallis, multa Germanorum millia in Gallias traduxerat, victorias, & cum Belgis, Treviris ac Germanis bella. Hinc digreditur ad commemorationem cauſarum de bello civili inter Cæſarem & Pompeium, & Cæſaris in eo res feliciter beneq; geſtas, & quæ eodem rerum potiunte Romanis à Boerobiſta, qui in Germania Orientali regnavit, damna ſintillata. Poſtremò docet Bojos à Danubio, Arabone & Dravo in Germaniam magnam migraſſe, & intra Tyram, Boryſthenem, & Viſtulam regioneſq; finitimas conſediſſe, atque ibi quaſi exilium quoddam apud Getas & Dacos egiſſe, & cum his, Hunniſq; militare conſueviſſe regionẽq; à Boijs apud Tauriſcos ab illis propter vicinitatem Romanorum relictam, deſerta Bojorum appellata: quæ ubi ſita ſint, & quomodo hodie nominentur, cum aliis quibusdam eiuſdem regionis locis & urbibus explicat. Porrò argumenta librorum Annalium ſuorum Aventinus multò ante Editionem eorum, cũ decem libros conſtituiſſet, quos poſtea in ſeptem contraxit, pluribus expoſuit.

NICOLAI CISNERI
D. IURISCONSULTI ET IMP. TRIBUNALIS ASSESSORIS, &c.

De Saxonibus, Cattis, Anglis, & Priſcis incolis Germaniæ. ac migrationibus populorum variis; & Alberti Kranzij, hiſtoria Saxonica, DISSERTATIO *pulcherima:*

&

IN KRANZIUM PRÆFATIO AD COSS, ET SENAT. HAMBURG.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HISTORICOS, omnesque eos, qui monumenta temporum, locorum, hominum rerumq; geſtarum reliquerunt (perinde ut alios bonarũ artium ſcriptores) alia atq; alia argumenta, in quibus operam ſtudiumq; ſuum collocarent, ſibi propoſuiſſe, eaque diverſa ratione tractaſſe, ex ipſorum libris, qui ad manus noſtras pervenerunt, nemo eſt vel mediocriter in illis verſatus, quin intelligat. Ac quidem cum multæ & variæ ſint & argumentorum atque rerum, & tractationis apud illos differentiæ; nos eas tantum delibabi-

Hiſtoricorũ differentia.

delibabimus, quæ noſtri ſunt inſtituti. Itaque alij generales vel univerſi orbis, vel principalium eius partium, vel præcipuarum nationum: alij ſpeciales certarum gentium hiſtorias conſcripſerunt: alij plurium diverſarumq; nationum coniunctim, alij ſingulorum populorum, provinciarum, civitatum hominumq; fama illuſtrium res geſtas, ſeparatim literis mandarunt. Rurſus ex his alij, quæ in exteris regionibus & populis ac Rebuspublicis acciderunt; alij quæ in ſuâ gente, civitate & patriâ evenerunt, poſteritatis memoriæ cõſecrarunt. Horum diſcriminum non apud veteres modò ſed & recentes; nec apud Græcos Latinoſque tantum, verum etiam aliarum linguarum Hiſtoricos plurima extant exempla. Quemadmodum verò Cicero ad L. Luceium perpetuæ hiſtoriæ, ſejunctam certi alicujus generis explicationem anteponit: quod quum in eo mens tota ſcriptoris ſit defixa, dilucidius, uberius, accuratius omnia perſequatur: ſic domeſticarum rerum commemoratio tantò præſtat externarum deſcriptioni, quantò & laudabilior eſt paternarum ſedium, quàm externorum populorum & civitatum illuſtratio, & potior eorũ, quæ domi & in ſuâ civitate, quàm quæ foris & extrinſecus fiunt, cognitio. Nam aliarum rerum ignoratio excuſari poteſt: at domeſticarum inſcietia vix in privato permittitur, nedum in eo toleretur, qui in Republicâ verſatur. Ut enim præpoſteri hominis eſt, aliena inquirere, domeſtica negligere; ſic externorum hiſtorias cognitas habere, patriæ verò ſuæ ſtatum, & quæ in ea memorabilia contigerunt, neſcire, eſt perverſi.

Quæ

A. Krantzij. Quæ cum ita ſint, non poteſt non magnoperè Alberti Krantzij inſtitutum laudari, qui in patriæ ſuæ, vicinarumque gentium, quàm in remotorum longeq; diſſitorum populorum nomine & rebus geſtis celebrandis otium ſuum conſumere maluit. Etenim non modo boni viri officium præſtitit, quòd memoriâ rerum Germanicarum conſignandâ plurimum Reipublicæ profuit: ſed & ſingularem in patriam pietatem, quòd eam illuſtrare conatus eſt, declaravit. Ad quod ſtudium ſi ſe multi ex noſtratibus contuliſſent, qui ætate Krantzium anteceſſerunt, iiſque ſeculis vixerunt, quibus Germani populi tum cives ſuos contra potentiã Romanorum tutati ſunt, tùm ex ſuis ſedibus in Romanorum Provincias ſe effuderunt; multo clarior & illuſtrior majorum noſtrorum virtus extitiſſet: quæ niſi ab hoſtibus ipſis, quibus admirabilis viſa eſt, memoriæ prodita fuiſſet, denſiſſimis obruta tenebris jacuiſſet. Nec præclarum hoc tantum Krantzij fuit inſtitutum, ſed & egregia, quam adhibuit, opera; cum id, quod concupivit, magna ex parte ſit conſecutus.

Prima enim cura Hiſtorici eſſe debet eorum, quæ ſecundùm Ciceronis ſententiam conſiſtunt in veritatis ſtudio, falſitatis fugâ, omnium perturbationum vacuitate. Proximâ exædificationi eſt tribuenda, quam idem Cicero in rebus & verbis ponit. Rerum tractatio ordinem temporum deſiderat, regionum notationem, hominum fama ac nomine excellentium deſcriptionem, conſiliorũ, actorum, eventuum, cauſarum, effectorum omniumq; circumſtantiarum explicationem. Verbo-

rum

rum ratio certam eorum collocationem requirit, & genus orationis fuſum atque tractum, & cũ lenitate quadam æquabili profluens; non contortum, non aſperum, non acre.

Ex quo intelligi poteſt, quanti hominis & qualis Oratoris ſit, hiſtoriam ſcribere. Magnum ſane atque arduum adeò opus, ut perfectam & abſolutam eius formam, quam cum præcepta illa Cicero tradidit, animo comprehenſam tenuit, vix quiſquam etiam florentiſſimâ illâ ætate expreſſerit: pauci in ſcriptis ſuis adumbrarint. Quominus non dico perfectio illa, ſed accurata legum illarum obſervatio in Krantzio noſtro ſpectanda eſt, qui in ea tempora incidit, quibus literæ primum ex caligine & tenebris lucem aſpicere cœperunt. Sed tamẽ illas leges, quibus, qui res geſtas literis complectũtur, fidem morentur, ſtudioſè eum cõſectatum eſſe videmus. Quod verò exquiſitæ eſt doctrinæ, ſi in eo non eluceat (ut in veteribus vel noſtrorum temporum elaboratis & excultis rerum geſtarum monumentis cernitur) temporum id potius vitio, quã ipſi eſt adſcribendum. Et quidem multa Krantzio deeſſe ex iis, quæ rerum rationem requirere Cicero docet, non eſt difficile animadvertere. Sed nec fortaſſe, quæ in hac τῆς ἐργασίας parte tractationi hiſtoriarum tanquam propria Cicero attribuit, ille ſibi propoſita habuit. qui ſatis eſſe putavit, ſi quæ hominum memoriâ digna exiſtimavit, uſitato, & inveterato jam ſeculis aliquot more, commemoraret. Certè opera ſua non inſcripſit hiſtorias, ſive quòd non inſtituiſſet hiſtorias conficere, ſive quod, quæ in iis expetuntur, non præſtiterit. Tantum verò

Digitized by Google

rò abeſt, ut vel id genus orationis adhibuerit, quod Hiſtoricum vult Cicero proſequi, ut nec pura illa & illuſtri brevitate, quę commentariis congruit, ſit uſus. Nam communi iſtorum temporũ errore mediæ illius ætatis, quæ à naturali illo Latini ſermonis candore lõgè abfuit, ſcriptorum, quàm parentum literatæ Latinitatis, ſimilis eſſe maluit. Neque enim, qui tum ſuperioriq; ſeculo memoriam antiquitatis collegerunt, Cæſarem, Saluſtium, Livium, alioſq; hiſtoriarum principes, in quibus ſuccus ille & ſanguis nativæ & Germanæ Latinæ linguæ inerat, ſed Eutropium, Oroſium, Paulum Diaconũ, & alios, qui à faſtigio illo perfectæ ætatis multum deciderant, imitandos ſibi eſſe duxerunt. Qualiſcunq; verò auctor noſter ſit, ſi eum vel cum æqualibus ſuis & coævis, vel cum ſuperioribus, qui in eadem materia laborarunt, contulerimus; primas illum tenere apertè cognoſcemus, ſive orationis formam, ſive rerum tractationem, ſive fidem ſpectaverimus.

Equidem quum in eam ætatem, qua Krantzius vixit, reſpicio, & quàm depravata plerorumq; judicia, quàm deformata & inquinata bonarũ literarum ſtudia, quàm mutatus & in barbariem verſus ſermo Latinus tum fuerit, mente colligo; in eam adducor ſententiam, ut exiſtimem, eum in ſcriptis ſuis tantum præſtare non potuiſſe, niſi excellentis ingenij, incredibilis diligentiæ & inexhauſti laboris fuiſſet. Itaq; ob has inſignes dotes meritò laude eſt afficiendus, præſertim quum perinde ut alij ejuſdem loci atq; ordinis, ætatem in ocio tranſigere potuiſſet: nec tantum laboris & moleſtiæ ſuſcepiſſet, niſi

ſet, niſi & patriæ eximio amore, & ſingulari Reip. ſtudio inflammatus, animum ad hiſtorias ſcribendas applicuiſſet. Quòd verò nec ejuſmodi genus dicendi, nec rerum tractatio in eo apparet, cujuſmodi in hoc genere requiritur, quòd etiam nonnulla errata occurrunt, ignoſcendum ei eſt; vel ob ſolam temporum, quibus ſcripſit, iniuriam: quib. vel acutiſſimus & diligentiſſimus quiſq; ea videre non potuit, quæ hoc erudito & refloreſcente ſeculo etiam à mediocris doctrinæ hominibus perſpiciuntur. Notandi igitur & corrigendi ſunt errores, reprehendenda & emendenda vitia, ipſi verò auctores non idcirco vel acerbius inſectandi, ſed venia imò & excuſatione digni. qui temporum magis vitio, quàm ſua culpa peccarunt. Quod non modò de iis locis accipio, de quibus etiamnum doctiſſimorum virorum variæ & diſſentientes ſunt opiniones, ſed & in quibus noſtro ſeculo eos lapſos eſſe obſcurum non eſt: præſertim ſi in iis offenderunt, in quibus ex conjecturis magis quàm rationibus quid eſt ſtatuendum.

Ejus generis ſunt diſputationes de nomine & origine gentis SAXONUM, de ſedibus & migratione eorũdem, indigenæ ne ſint, an peregrini, & unde profecti, & in quæ loca commigrarint. De quib. omnib. hoc loco nonnihil diſſerere viſum eſt. Ac de prima quæſtione, quæ eſt de origine Saxonum, Krãtzius in præfatione ſua varias refert opiniones. Alios enim ait à Britannis: alios à Danis & Normannis populisq; Septentrionalib. alios à Macedonibus (ex quibus fuit Witikindus Saxo de rebus geſtis Saxonum, Sigebertus Gembtacenſis aliiq; *Saxones unde.*
huius

huius generis ſcriptores & annales) Saxones deducere. Quorum omnium ſentevtiis confutatis, non admodum eorum refragatur opinioni, qui eos ex Aſia Schythica in Germaniā cōmigraſſe exiſtimāt, ſi modò probatorum ſcriptorum teſtimoniis confirmaretur: id quod etiam in iis deſiderat, qui Saxones vel à Sacis, vel ab Aſcanez filio Gomeri derivant. Sed & Æneæ Sylvij conjecturas explicat, quibus adducitur, ut ſtatuat Saxones à Gallis Bojis deſcendiſſe. Ipſe verò deſcriptionem Cattorum apud Cornelium Tacitum aggregat ad Saxones, tum morum ſimilitudine, tum finium convenientia, tum vocum cognatione motus.

Wolfgangus Lazius ex reliquiis belli Trojani Saxones deducit. Quum enim illæ ex variis & Aſiaticis & Europæis gentibus conſtarent, ad Rhenū atque inde ad Danubium claſſibus in mari Arcto vectæ appuliſſent Cimmerios Saxones, Celtas & Turingos, ſive pulſa primæva gente Aſchana, id eſt, Tuiſconis fines occupaſſe, ſive cum illa commixtos in unam paulatim nationem coaluiſſe. Sed hanc Lazij opinionem nullus recentiorum, quod ſciam, vel probavit vel ſecutus eſt. Conſentiens enim hodie omnium fere eruditorum eſt opinio, Saxones à Sagis vel Sacis originem ducere: de quibus & Herodotus, & apud Strabonem Ephorus, & Chærilus, & Eratoſthenes, & Diodorus Siculus, & Plinius, & Ptolomæus, & Stephanus, & Pomponius Mela, alijq; eius generis non contemnendi auctores. Ac quidem Ptolomæus in ſeptima Aſiæ tabula Sacrarum fines & terminos deſcribit, inter quos & Maſſagetarum partem, & Comœdos refert,

fert,eoſq; confiniis aliis Scythis intra Imaum jungit,ac Aſcatanea & Imao montibus & Iaxone fluvio claudit. Eadem deſcriptione uſus eſt Æneas Sylvius in prima Aſiæ parte. Plinius lib. 6.c.17.inter celeberrimos populos ex innumera Scytharum multitudine primo loco Sacas refert. Strabo lib. 11. tradit, Sacas regionem trans Jaxarten tenuiſſe; & ex Eratoſthene refert, eos cũ Sagdianis toto regionis ſuæ ſolo Indiæ oppoſitos, & à Sagdianis Jaxarte flumine diviſos. Quomodo autem inde progreſſi ſint,eodẽ in libro Strabo oſtendit. Nã quum aliquãdo in propinquiora, aliquãdo in longius remota incurſiones feciſſent, & Bactrianã & Armeniæ optimam regionẽ occupaſſe,& ad Cappadoces uſque, maximéq; eos, qui ad Euxinum Pontici dicuntur,proceſſiſſe. Idem libro 7.Chærili verſibus docet,Sacas fertiliſſimam Aſiæ partem in ſuam poteſtatem redegiſſe, qui eos quoq; à juſtitiæ laude commendat, ut & eodem nomine Scythas & Nomades, quorum pars ſunt Sacæ. Diodorus etiam Siculus Latinam Sacarum reginam, eorumq; res geſtas magnis extollit laudibus. Hæc autem Sacarum in Aſia loca, Perſis vicina fuiſſe, argumento eſt, quòd hi Scythas in univerſum Sacas à proxima gente appellaverunt,ab antiquis,Plinio teſte, Arameos dictos.Id inde quoq; patet,quòd Herodotus non modò eos inter gentes, ſed & ſatrapias Perſicas recenſeat. Ac eos in Perſarum exercitu ſtipendia feciſſe, iidem,quos modò nominavi, Chærilus & Herodotus teſtantur.

Porro quam nationem Sacaſſenam de nomine Sacarum Strabo vocat,eam Ptolomæus juxta quo-

rundam ſententiam Sacapenam appellat, eamque ad montes Moſchicos è regione Cappadociæ collocat: quanquam Strabo Sagapenorum quoq; lib. 19. mentionem faciat, quos Elymæis finitimos eſſe tradit. Idem Ptolomæus ultra montes Tapuros colonos Sacarum producit, quos Saſones nominat, non longè à Suebis montibus remotos: à quibus etiã Imaum verſus non longè abſunt Teoloſages: & intra Alanos & Suebos montes Suebi, ac Boreæ propiores Suebeni illorum coloni, & Alani omnes in Scythia intra Imaum: quas gentes & lingua & origine conjunctas fuiſſe, multis viris doctis placet. Ex his Sacſones, Saxſones ſive Saxones noſtri in Europam pervenerunt, ut & Æneas Sylvius arbitratur, Cimmerios, ex quibus genus ſuũ acceperunt (ut Capnioni viſum eſt, quem multi hodie ſequuntur) veluti parentes ſuos in Germaniam ſecuti. Unde & Ptolomæus eos ad Cimbricam cherſoneſum (quod & Krantzius innuit, eumque primam Saxonum mentionem feciſſe ſcribit) & poſt illum Stephanus conſtituerunt: quia littus illud maris Germanici ad Cimbricam cherſoneſum inſulasque Albis oſtiis adjacentes in jus nomenq; ſuum redegerunt.

Hinc non eſt obſcurum Saſones ſive Saxones à Sacis nomen traxiſſe. Ac quidem *Johannes Goropius*, qui in primordia gentium, & rationes vocum inquirendas diligenter incumbit, Saxones κατὰ συγκοπὴν dictos putat quaſi Sacoſones. i. Sacarum filios. *Witikindus monachus* verò, qui temporibus Othonum Imperatorum vixit, Saxones appellatos ab inſigni illa Turingiorum cæde, quam

magnis cultellis ab iis confectam eſſe commemorat, propterea quòd ſua lingua cultellos illos, quibus tum Saxones utebantur, *Sachs* vocarint. Verùm quùm ſatis conſtet, Saxonum nomen antè in uſu fuiſſe, quàm ulla iis cum Turingiis vel contentio vel bellum fuerit, illam rationem nominis probare nequeo: quum præſertim maxima temporũ perturbatione, ex ignoratione profecta, principium id inquinatum ac conſpurcatum videam. Nam quùm Saxonum mentionem à Ioſepho in oratione Agrippæ ad Iudæos, & Lucano Poeta (ut Bebelius ab Egeſippo) fieri narrat, parum ſibi conſtat, dum brevi pòſt intervallo ab illo Saxonum contra Turingios inopinato impetu & facinore id nomen ei genti impoſitum refert. *Capnio* Saxones Axenos dictos opinatur, quòd ad pontum Axenum conſederint. Unde & apud Ptolomæum Axones, non Saxones legendum putat. Sed quum idem Ptolomæus nec in Aſiæ nec in Europæ tabulis Saxones ad eum pontum aggreget, & non vetuſta modò exemplaria inter ſe conſentiant, & cum Saxonum nomine apud Ptolomæum, tum aliorum auctorum deſcriptiones conveniant, tum quam ad hunc uſque diem retinuimus: appellatio (quamvis ex Strabone commemoravimus, Sacos ad Cappadoces Ponticos progreſſos) ob tam levem conjecturam temere non eſt mutanda.

Atque hæc de Saxonum origine & etymologia hactenus. Ex quibus indigenæ Saxones ſint, an advenæ, non eſt difficile intelligere. Itaq; in hac quæſtione lapſus eſt, quòd Taciti autoritate permotus, qui Germanos omnes αὐτόχθονας eſſe credit, idem

de Saxonibus ſtatuerit. Etſi verò multi viri literati, & in hiſtoriarum lectione multum verſati, Tacito aſſentiuntur, in quorum numero ſunt ex noſtratibus Conradus Celtes, Henricus Bebelius, Andreas Althamerus, Iodocus Wilichius, Wolfgangus Lazius (ſecum diſcordans, ut ſuprà indicavi) & ſimiles, exterorum verò Sabellicus, & Nicolaus Perottus & alii quidam: tamen rationes, quibus Tacitus hanc ſuam ſententiam confirmat, mihi non ſatisfaciũt: quòd advenæ, qui novas ſedes quærebant, non terra ſed claſſibus in eas adveherentur: quòd nemo ſit alienigenarum, qui florentiore ſede in Aſia, Aphrica aut Italia relicta, tantis maris periculis ſe objicere, atque ad tam incultam & horridam regionem contendere velit. Neque enim id quoque temporis Germania ita informis terris, ita aſpera cœlo fuit, ut eæ regiones, quæ ultra eam ad Arcton pertinent: neque ignotus aut invius fuit omninò Oceanus: neque vel voluptatis, vel utilitatis tantùm, ſed & neceſſitatis cauſa commigrationes ſuſceptæ, nec mari tantùm, ſed & terra inſtitutæ fuerunt. Quæ omnia cùm ex aliorum graviſſimorum autorum monumentis, quæ Taciti temporibus extiterunt, tum ex Strabone & Dionyſio Halicarnaſſæo ipſemet apertè cognoſcere potuit. Ille enim lib. 7. tradit, omnium ſeptentrionalium Germanorum commune eſſe, ut facile ſolum atq; ſedes propter tenuitatem victus mutet, quum nec agros colant, nec opes poſſideant, ſed maxima parte ex pecore vivant, eoq; caſas habitent, quas uno die extruant, inſtar Nomadum: quorum etiam more & imitatione, rebus ſuis in currus impoſitis,

Cauſa Migrationum gentium.

cum

cum pecore,quo viſum fuerit,proficiſcantur. Hic verò lib.1.Antiquitatum,vetuſtum hunc morem à multis tam Græcis quàm Barbaris receptum ſcribit, ut quum populi multitudo in immenſum excreviſſet, nec ſatis alimentorum domi omnibus eſſet, aut aëris intemperie terra pauciores ſolito fruges produxiſſet,aut alia calamitas civitatem afflixiſſet, eaq; propter multitudo minuenda eſſet, Deo conſecrantes quæcunq; eo anno nata eſſent, juvenes armatos emiſiſſe,qui,peractis ſacris,ad victus ſedesq; quærēdas ablegati, quamcunq; regionem aut armis ſubegiſſent,aut gratia obtinuiſſent, pro patria habuiſſe,ſedesq; ibi poſuiſſe: Cujus conſuetudinis eodem in loco exemplum refert de Aboriginibus, ut de Samnitib. Strabo lib.5. Ad has cauſas quidam recentiorum hanc quoque adjungunt,quòd qui populi ſuis ſe ſedibus continere cupiebant, vicinarum à tergo gētium excurſationib. perpetuis quaſi vexarentur & pellerentur. Hac igitur coloniarum deductione, & migrādi neceſſitate factū eſt,ut omnes terræ regiones,ſi modò inhabitabiles nō eſſent,hominib. complerētur. Itaq; maxima hiſtoriæ cognitione præditi horū temporum ſcriptores, qui diligentiſſimè primas gentium origines inveſtigarunt, *Philippus Melanthon, Caſpar Peucerus Reinerus Reineccius,Ioannes Goropius*, primos majores noſtros,non modò in iis regionibus, quas in Germania aut tenuerunt aut etiamnū colunt,ortū ſuum non habuiſſe, verùm etiam ex aliis in alias immigraſſe & conſediſſe exiſtimant. Atque hāc ego quoq; amplector ſententiā, quòd eā compluri b. veterū teſtimoniis,& melioribus argumen-

tis comprobatam video. *Wolfgangum Lazium* ideò in his non collocavi, quòd in hac quæſtione ſecum ipſe pugnare videatur. Quòd enim Saxones cum Cimmeriis, Celtis & Turingis fines Tuiſconis occupaſſe referat, paulò antè recitavi. Idem verò in præfatione quum quæ gentes in quib. regionibus conſederint, & ex quib. propagatæ ſint, enumerat, Saxones cum Francis & Turingis ſuis primævis ſedibus manſiſſe, in anguſtias tamen redactos & non minima ſui parte abducta ſubjicit. Porrò ſicut Sacas & ex iis oriundos Saxones produxi ex Aſia, in qua ex oriente verſus ſeptentrionem ſe contulerunt, atque ab Aquilone paulatim in regiones nobis propinquiores proceſſerunt: ſic plerique Germaniæ populi, Suevi, Catti, Alani, Cimbri, Daci, Dani, Getæ, Gothi, eadem ferè ratione & via progreſſi in Europam ſe effuderunt. Ita ut quę ipſis inter ſe in Aſia eſſet vicinitas, eandē propè & in Europa cōſervarēt. Sed de hac ſecūda quæſtione ſatis.

Quòd verò *Kranzius* noſter arbitratur gentem Saxonum, alio nomine, à priſcis autoribus, qui Saxonum nomen non uſurparunt, eſſe appellatam, ejus rei argumentis probabilibus fidem facere debuiſſet. Non enim quia Tacitus in deſcriptione Germaniæ Saxonum non meminit, ideò ſub Cattorum vel aliorum populorum nomine eos comprehendit. Nam nec in iis Sicambros recēſet, quorum Ptolomæus in ſuis tabulis mentionem facit, & ante eum Cęſar, Strabo & Plinius. Nec verò ideo Tacitum eos (ut Rhenanus putat) ſilentio præteriiſſe cenſeo, quòd ſimulatq; ſe Romanis dedidiſſent, translati ab iis in Galliam fuerint. Nam Franci, qui-

el, qui & Sicambri dicti fuerunt, multò poſt illam ipſam trans Rhenum regionem coluerunt. Illæ autem conjecturæ, quibus Krantzius auguratur, ſub Cattis Saxones contineri à Tacito, adeò leves & incertæ ſunt, ut hac una ratione ſubvertãtur, quod à probatis autorib. uterque populus ſimul ante & poſt Tacitum referatur & deſcribatur. Ante quidem, ſi (quod B. Rhenanus ſæpius aſſerit) Ptolomæum vetuſtiori chorographia, quàm Tacitum uſum eſſe verum eſt, ut equidem arbitror: nec Wilichij mihi diſplicet opinio, qui exiſtimat, Ptolomæum ab aliis ſcriptoribus deſcriptiones ſuas mutuatum eſſe: Tacitum verò eum Germaniæ ſtatum, quem ſuis temporibus eſſe & vidit, & ab aliis audivit, poſteris tradidiſſe. Ptolomæus enim non modò in Aſiæ tabulis, ut Sacarum & Saxonum in Scythia intra Imaum, ſic & in ea quæ eſt extra Imaum, Chattarum, Scytharum ſub Caſia regione, ubi antiquiſſimæ eorum ſedes fuerunt, diſertam mentionem facit. Sed & in Europæ tabulis, tam in Germaniæ typo, quàm in explicatione ejus, & Saxones & Chattas ponit: illos quidem ad Cimbricam cherſoneſum, & Oceani littora, inter quos & Suevos, Teuthonarios & Virunos collocat, hos verò cum Tubantis ſub Camanis inter Melibocũ montem & Herciniam ſylvam. At poſt Taciti tempora eoſdem *Sidonius*, Apollinaris in Panegyrico, de laudibus *Aviti* conjungit:

Saxonis incurſus ceſſat, Chattosq́ paluſtri
Alligat Albis aqua.

Ac quum Ptolomæus tam in Scythiæ quàm Germaniæ deſcriptione, & Saxones & Chattas aper-

tè enumeret, valde miror B. Rhenanum, diligentem inprimis antiquitatis inveſtigatorē, ſcriptum reliquiſſe, Ptolomæum Chattorũ non meminiſſe. Nec ullo modo eam quam adfert rationem admittere poſſum, Cattos primùm obſcuros, ſub Domitiano & Trajano demum claros factos eſſe: ſcriptores autē eas Germaniæ nationes, quæ ſuis temporibus non ignobiles fuerunt, cōmemoraſſe. Ut enim maximè demus de Ptolomæo dubium eſſe, num de Chattis Germaniæ populis quid tradiderit: at certè vetuſtiores Tacito & Ptolomæo, Strabo, Vellejus Paterculus & Plinius in Germaniæ populis etiam Cattos apertè numerant. Nam Strabo lib. 7. inter minores Germaniæ gentes, Cheruſcos, Chattos, Gamabriunos, Chattuarios, Bucteros (Tacitus Gambrivios, Chaſiarios, Bructeros vocat) Cimbros, Chaucos, unà cũ aliis refert. Idem ſcribit Germanicum in triumpho filiam Chattorum ducis, & eius gentis ſacerdotem multosq; alios homines, ex devictis Bructeris, Cheruſcis, Chattis & Chattuariis, reliquisq; quos recenſet populis, duxiſſe. Deinde Vellejus Paterculus *Tiberium* Cæſarem Sentio Saturnino mandaſſe ſcribit, ut per Cattos, exciſis continentibus Herciniæ ſylvis, legiones Boiohemum duceret. Plinius quoque ſub Hermionibus, quarta Germanorum gēte Suevos, Hermũduros, Cattos & Cheruſcos complectitur. Sed ne plura, ante Tacitum plures fuiſſe Cattos an non, ex his inſignibus graviſſimorum autorum teſtimoniis conſtat.

Et ſi verò frequentiſſima non apud Geographos modò, ſed & hiſtoricos & Poëtas Cattorum fiat mentio, multæq; cùm apud alias regiones, quas

coluerunt, notæ ſuperſint, tum elegans apud Tacitum extet deſcriptio (qui tradit Cattos ultra eos, qui Decumates agros exercebant, initium ſedis ſuę ab Hercinio ſaltu inchoare, non ita effuſis ac paluſtribus locis, ut cæteras civitates in qua Germania rareſcat, ſed durare colles, paulatimq; rareſcere, ſaltumq; Hercinium Cattos ſuos & proſequi ſimul & deponere, proximoſque Cattis certum iam alveo Rhenum Uſipios ac Tencteros colere) tamen quę gentes hodie eorum regionem habitent, tantopere inter ſe noſtri ſeculi ſcriptores diſſentiunt, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias. Nam Ioannes *Aventinus* nunc pro Francis & Heſſis accipit, nunc pro Heſſis tantùm. *B. Rhenanus* veteres Cattorum ſedes partim à Franciſ, partim ab Heſſis ſive Haſſis occupatas arbitratur. Idem ſentit *Philippus Melanthon*: qui etiam ad Heſſos quod attinet, id ex cognatione nominum colligit, quem ſequitur gener Caſpar Peucerus: qui tamen veteres Cattos Turingiæ partem, vicinam Franconiæ, poſſediſſe cenſet. De Hessis idem etiam ſtatuunt Conradus Celtes, B. Birckhaimerus, Sebaſtianus Munſterus, qui pleriſque hoc videri ſcribit: Wolfgangus Lazius, Georgius Fabritius, Reinerus Reineccius, Henricus Glareanus in genere aliorum ſolùm opiniones refert, quòd Cattorum regionē, quidam hodie Turingos colere, quidam Heſſos & Francos velint. Franciſcus Irenicus varius eſt in hac re. Nam lib. 9. Catti, inquit, Franciæ populi dicuntur, quos Schonerus Mathematicus Saxones, Marlianus Ungaros, Celtes & Cochlæus Haſſos interpretari videntur. Ego potius Cattos Turin-

gos probarem. At lib. II. tradit, enarratorem Ptolomæi juxta Ligios Ungaros ſedes tenuiſſe, alios tamen Suevorum gentes quaſdam (ubi nunc eſt Herenberga) veriſſimè pro Cattis habere, cujus rei veſtigium eo loci repererit. Quendam rerum Germanicarum peritiſſimum Francos dicere: nec abſurdum ſibi videri, ſi nec Haſſi, juxta Celtis opinionem, ſed Turingi dicerentur. Turingis quoque, quia Hercinio ſaltui vicini ſunt, id attribuit Althamerus, quanquam idem pro Cattis Luſatios intelligat. Iodocus Wilichius alios fuiſſe putat Cattos apud Tacitum, à Chattis Ptolomæi. Nam Chattas, quos hic Meliboci montis accolas conſtituit, nobis eſſe Heſſos, & eoſdem eſſe Cattos Melibocos. At illos Ptolomæo eſſe Carithnos. Ut enim Tacito ſunt in eadem ripa Rheni agri Decumates, Catti, Uſipites, Tencteri, Bructeri & Friſij: ſic huic poſt Helvetiorũ eremum eſſe Carithnos, Veſpos, Tingeros, Buſactores, Parvos & Phryſios. *Cattos* igitur apud Tacitum non eſſe Heſſos, ſed qui marchiam Badenſem, Heilbrunnam, *Heidelbergam*, & vicina loca Othonæ ſylvæ (quæ Hercinij ſaltus pars eſt) incolant.

Etſi verò in tanta autorum diſſenſione, ſuum interponere judicium difficile eſt, præſertim qui ſibi vult cavere, ne in finium regundorum controverſiam incidat: tamen quum collatione teſtimoniorum ex veteribus ſcriptoribus à me cõmemoratorum, cum his recentium interpretationibus, non obſcurè deprehendi poſſit, qui horũ illas magis, qui minus attenderint, non abs re eſſe putavi, quid de iis ſentiam breviter explicare. Ut igitur ordiar

diar à Reimundo Marliano, rectius Irenicus ejus mentem in poſteriori loco quàm in priori retulit. Neq; enim Cattos opinatus eſt eſſe Ungaros, ſed Ligiis Ungariæ populis, Cheruſcis, Herciniæque ſylvæ ac Hermunduris proximos eſſe ſcripſit. Itaq; qua in re aberràvit, id Irenicus excepit, & quibus cum illis cōſentit, præteriit. Cattos Ligiis eſſe proximos prodidit, reliquos verò, quos Marlianus adjunxit, prętеriit. Quanquā qui Ligij ſint, ipſi quoq; ſcriptores inter ſe diſcrepant, quos ultra id continuum montiū jugum, quod dirimit ſcindi-q; Sueviam, in plures civitates ſuis temporibus diffuſós fuiſſe Tacitus prodidit. Alij enim Sileſios & ultra Viadrum Polonos eſſe putant: alij Hungaris annumerant. Illorum ſententiæ ſuffragatur & Taciti deſcriptio, & alluſio Lignitij oppidi cum nomine Ligiorum. Horum autem opinioni adjumento eſt, & quòd Danubium Ligios alluere traditum ſit, & quòd Tacitus ſcriptum reliquerit, præfecto Pannoniæ mandatum, ut exercitum cōtraheret ad arcendos Ligios. Iam verò quam veriſſimam idem Irenicus ex omnibus quos retuli interpretationibus judicavit, Cattos olim in eo tractu conſediſſe, in quo hodie Herenberga ſita eſt, hanc ego à Veterum deſcriptione longiſſimè diſſidere arbitror. Cujuſmodi id ſit veſtigiū, quod illic extet, nō enarrat. Regionē iſtam Martianæ ſylvæ, quæ olim Hercinia ſive Orcinia dicta eſt, propinquā eſſe non nego: ſed ſylva illa per totam Europā longè lateq; diffuſa eſt. Nam Cæſar ad fines Dacorum, Geltes ad Boſphorum Euxinū pertinuiſſe ſcripſerunt. Ptolomæus ad Sarmaticos montes ferè producit, Dionyſius

Ligij.

Hercinia.

nyſius Germaniam ei ſubjicit. Ac licet temporis progreſſu, paulatim multis in locis exciſa fuerit, tamen tanta adhuc Iuliani temporibus erat, ut nullam talem in orbe Romano extare noſſet. Quocirca ſicut olim, teſte Cæſare, propter magnitudinẽ, multorum gentium fines attigit: ſic hodie plurimæ ejus rei diverſis Germaniæ partibus reliquiæ ſuperſunt.

Catti. Quod quum ita ſit, non ubicunque Hercinius ſaltus olim fuit, eôdem Catti ſunt aggregandi: ſed in qua parte hæſerint, id notis indagandum eſt in antiquis ſcriptoribus inſignitis. Quibus ſi inſtiteris, vel ex uno Vellejo Paterculo, quæ de Cattis ſcripta reliquit, inveſtigabis regionem Cattorum quam Hercinius ſaltus proſequitur. Nam is Marboduum ejusq; regionem deſcribens, cum Marcomannorum gente ſuis excita ſedibus, in interiora refugientem, incinctos Herciniæ ſylvæ campos (quos profligatis Bojis occuparat) incolere, & Germaniam ad lævam & in fronte, Pannoniam ad dextram, à tergo ſedium ſuarum Noricos habere tradit. Quem quum Tiberius Cæſar diverſis è partibus aggredi ſtatuiſſet, Sentio Saturnino mandaſſe ſubjicit, ut per Cattos, exciſis continentibus Herciniæ ſylvis, legiones Bojohemum duceret (id regioni, quam Marboduus habitabat nomen eſſe) ipſum Cæſarem à Carinuto (qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat) exercitum qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſum eſſe. Præclarum hoc eſt de veterum Cattorum ſede indicium, propterea quòd Bojohemum vel Bojemum, nomen ſuum etiamnum hodie retineat. Ad

quod

quod ſi aggregaris opinionem Irenici, qui Cattos ſedes ſuas Herenbergæ & in ejus vicinia tenuiſſe cenſet, non modò magno à Bojohemo diſtabunt intervallo, ſed nec ex diverſa à Norico parte Bojohemo confines erunt. Apertè enim refert, diverſis è partibus Bojohemum Cæſarem invadere in animo habuiſſe, per ſe quidem, & cum ſuo exercitu à Norico regno, cum legionibus autem duce Saturnino per Cattos & Herciniam. Itaque illic Cattos non habitaſſe, per quos diverſa ex parte quàm per Noricum, Saturninus legiones in Bojohemum duxit, ex hoc Velleji loco certiſſimum eſt.

Proinde aliorum argumentorum expoſitione ſuperſedebo, ex quibus magnam quoque vim habet, quod ex vicinitate aliorum cum Cattis populorum (ut Cheruſcorum, Cattuariorum, Hermundurorum) ducitur: ſed id in confutatione interpretationis Wilichianæ mox perſequar. Nam & is non multum ab Irenico diſſidet, qui Cattorum ſedes conſtituit in Badenſi marchia, non longè ab Herenberga disjuncta, viciniſq; locis ex eo à me ſuprà relatis. Verùm hanc ſuam ſententiam, excepta ſylva Othonica, de qua paulò pòſt, nunquam mihi probaverit. Hac enim præcipua ratione movetur, ut exiſtimet, Cattos apud Tacitum eoſdem eſſe cum Carithnis Ptolomæi, quòd uterque utatur eadem quaſi ſerie in enumerandis populis Germanicam Rheni ripam accolentibus, quos proximè ille Cattis, hic Carithnis, vel præponit vel poſtponit: ita ut ſi quis diligentius inter ſe compararit, probè ad amuſſim omnia convenire, niſi quòd Tacitus initio facto ab Auſtro ad Boream, Ptolo-

mæus

mæus contrà à ſeptentrione uſque ad Alpes procedat. Ac licet, quem uterq; in iiſdem gentibus commemorandis ordinem ſervarit, diligenter perpenderim; tamē tam pulchrè inter ſe, in illis ipſis gentibus recenſendis, utriuſque deſcriptionem convenire, equidem cernere non poſſum. Id obſervavi, abs Wilichio in commemorandis ex Ptolomæo illis gentibus, & ejuſdem ordinem immutatum, & intermedios aliquos populos intermiſſos eſſe. Nā Ptolomæus Helvetiorum eremo proximos facit Viſpos, non Carithnos, ut Wilichius (quos alij Charitinos vocant, & de Wirtenbergenſib. accipiunt) & inter hos ac Tingeros ſive Tenchteros medios ponit Vangiones, Intuergos, Ingriones, ut & inter Tingeros ac Buſactores interjicit Sulebos, Longobardos, Sicambros. Quamobrem perperam eos Wilichius confert cum iis gentibus, quas recto ordine Tacitus recenſet.

Deinde ſuos etiam Cattos Tacitus, & in Germania, & in annalibus finitimos facit Cheruſcis ac Hermunduris ad Albim ſitis, quibuſcum bella geſſerunt. Quin ipſos quoque Cattos non longè Albi abfuiſſe, in iiſdem annalibus indicat, ut & Sidonius in eo quod paulò antè citavi carmine. Ac ut ex Strabone colligi poteſt, Cheruſcos, Chattos, Chattuarios vicinos fuiſſe, ſic ex Plinio Suevos, Hermunduros, Cattos & Cheruſcos: qui Hermiobibus, uni Germanorum genti, eos ſubjicit. Quòd ſi cum his Ptolomæi tabula de Germania conjungatur, perſpicuum erit, ab eo Cheruſcis aggregari Camanos, eorumque regionem ad Melibocum montem uſq; & ſtatim pòſt, ſub Camanis, Cattas & Tubantos,

bantos, nec longè à Cattis Caſuarios (quos Strabo, Plinius & Tacitus Cattuarios vocant) & Suevos Anglos: ut nec procul adeo à Cheruſcis Suevos Senones collocat. Quare ut de aliorum populorum confiniis nullam præterea inſtituamus collationem, quum apud Ptolomæum Chattæ nõ Cheruſcis, ſed & aliis populis (quos cùm Strabo & Plinius cum Cattis enumerant, tum Tacitus iiſdem confiniis jungit) ſint viciniores quàm Carithni, malo illos quàm hos pro Cattis apud Tacitum habere. Adhæc major eſt nominum ſimilitudo inter Cattos & Chattas, quàm inter Cattos & Charithnos. Accedit eodem, quòd ipſemet Wilichius Cattuarios Ptolomæo Caſuarios (quos vicinos Cattis fuiſſe, multorũ teſtimoniis confirmavimus) ab orientali parte Abnobiorum montium, ubi hodie Caſſella Haſſiæ eſt, habitaſſe non multò pòſt tradat. Hæc ergo argumenta multò majoris apud me ſunt ponderis, quàm Wilichij conjecturæ, quibus adductus ſe à communi eruditorum virorum conſenſu diſceſſiſſe profitetur.

Ad reliquos verò noſtræ ætatis ſcriptores quod attinet, eorum, licet diſſidentes admodum, opiniones locum habere arbitror, ſi eas commodè interpretemur, nimirum ſi non eas modò ſedes Cattorũ ſpectaverimus, in quibus primùm in Germania conſederunt, ſed quæcunq; poſtea acquiſiverunt, ſive fines ſuos ex primis illis ſedib. propagarũt, ſive in alias regiones in ſuam poteſtatẽ redactas commigrârunt: quod magis puto. Etſi quæcunq; occuparunt Catti, quemadmodũ Cheruſcos ab iis ſubactos Tacitus in annalibus teſtatur, non ſingulis illis

illis gentibus ſejunctim, ſed univerſis conjunctim aſſignaverimus. Quæ enim hodie *gens Catzenelebogenſis à Cattis Melibocis dicta*, quæ Othonicæ ſylvæ incolæ, quæ fermè H. ſſi, quæ magna ex parte Fráci, quæ Turingi ad ſaltum Hercinium, quæ aliqua ex parte Saxones Hercinij, & in Cheruſcorum finibus, poſſident: ea quondam eatenus Cattorum fuiſſe opinari licet, quatenus regiones illæ vicinitate inter ſe conjunguntur. Ac quidem de Cattis Melibocis, Othonicæ ſylvæ habitatoribus, Francis & multa & certa veſtigia extant: at de reliquis tum paucæ tum obſcuræ conjecturæ. Itaque illis multi excellentium noſtra ætate ſcriptorum, ob veriſimilitudinem, his verò in illa obſcuritate vix unus atque alter veteres Cattorum ſedes deſtinarunt.

Angli. Sed de Cattis ſatis, imò nimium quàm ſatis. Iam verò quum de Anglorum ſeu Angilorum ſeu Angliorum (qui Britanniam de patriæ ſuæ appellatione Angliam vocarunt) etymologia & primordiis, variæ ſint & diſcrepantes inter ſe ſcriptorum opiniones, in eorum quoq; nomine & origine deducendo Krantzium noſtrum lapſum eſſe, qui eos ex Angria educit, mox oſtendam. Huius capitis duas conſtituo partes, alteram de origine & ſede, alteram de vi & ratione nominis. Quod igitur ad priorem attinet, Saxo Grammaticus ab Angulo filio Humbli, gentis Anglicæ principia manaſſe, provinciamque cui præerat, nomen ſortitum prodit. Sed cum in eo præter doctrinam, judicium quoque & fidem eruditi deſiderent, eo miſſo facto, ad recentiores veniamus. Ad alios igitur quod attinet, Paulus Æmilius in annalibus regum Francorum

corum, Andreas Althamerus, Henricus Glareanus, & Iodocus Wilichius ab iis Anglis ſive Angliis eos derivant, quos Tacitus in Germania inter Suevorum gentes enumerat, quæ ab eo in ſecretiora & interiora Germaniæ porriguntur. In eadem ſententia eſt Caſpar Peucerus, qui eos juxta Ptolomæũ Suevos Anglos nominat. Nam hi primo loco à Ptolomæo inter mediterraneos Germaniæ populos ponuntur, quos Orienti propiores Longobardis facit. Iodocus Wilichius hos eorum limites ex Ptolomæo conſtituit. Ab occidente eis confines facit Sicambros, quorum latera claudere ait à meridie Caſuarios, ab Aquilone Chæmas, ab Oriente Dulgumnos & Camanos, quos à Tacito Dulgibinos & Chamavos nominari arbitror. Cæterùm hæc deſcriptio non convenit cum eo quod Peucerus idem notat, ab his *S*uevis Anglis nomen datum oppido Angloen ſive Angelheim in Pomerania: niſi ante Ptolomæum fortaſſe ſedem in ea habuerunt, & poſtea (ut multæ aliæ gentes) paulatim magis verſus meridiem & occidentem fuerint progreſſi. Nam Aquilonarium gentium continuas quaſi migrationes fuiſſe, jam antè ex Strabone oſtendi. Itaque ob frequentes illas mutationes ſedium, Philippus Melanthon, eorum populorum quos unà cum Angliis recenſet Tacitus, veluti, Reudignorum, Avionum, Varinorum, Eudoſum, Suardonum & Nuithonum (ut & ipſorum Anglorum, quos fluminibus & ſylvis muniri ait) nec ſitum rectè monſtrari, nec locum certum aſſignari, nec regiones commodè diſcerni poſſe exiſtimat. Multò verò minus cum hac notatione ſedis An-

glorum congruet, quod Peucerus adjungit Bedam presbyterum prodidiſſe, hos inter Vitas & Saxones ſediſſe, & cum iis in Britanniam, olim Albionem dictam, perveniſſe, eamq; ſui juris atque ditionis feciſſe. Quare Wilichius duplices Anglos, Suevos conſtituit, & mediterraneos illos Ptolomæi, & maritimos Bedæ, inter Iutas (ſive Vitas) & Saxones veteres: atque hos à Britannis accitos, ut Pictos atque Scotos profligarent. Krantzius noſter lib. 1. cap. 20. & Anglorum qui in Britanniam navigarunt veterem ſedem Angariam fuiſſe putat. Poſteriores enim ab ea Anglos, Angiros, L. litera in R. tranſmutata, vocare cœpiſſe, idq; ad diſcrimen Anglorum inſularium, cap. 26. lib. 2. factum ſcribit: inde qui olim Angliæ, pòſt Angariæ duces dictos eſſe. Quod ſi (ut quidam Ptolomæum interpretantur) Suevi Angeli in media Weſtphalia ad fontem Amaſi habitarunt, cui Angaria proxima eſt, parum hæc Krantzij opinio à prioribus differre videtur. Sunt rurſus alij, qui Anglos hos ab Angelis Saxonibus, qui littus maris inhabitarunt, profectos, non à Suevis, cenſeant.

Ac mihi quidem has omnes opiniones ſingularumq; rationes examinanti, poſtrema hæc veroſimillima eſſe videtur. Nam licet ex Cæſare, Strabone, Tacito & Ptolomæo appareat, Suevos eum terrarum tractum habitaſſe, quem hodie bona ex parte Saxones tenent, quum qui ex Suevorum maxima gente præcipui ac (ut Taciti verbis utar) vetuſtiſſimi nobiliſſimique fuerunt, Suevi Senones, iiſque proximi Longobardi, ultra citráque Albim quaſi meditullium hodiernæ Saxoniæ ſuperioris inco-

incoluerint, eademq; inde primordia ducant unde Saxones, iiſdemq; non in Germania modò, ſed & in Aſia vicini fuerint, ut ſuprà demonſtravi: tamen alij populi Suevi, alij Saxones fuerunt, alias illi, alias hi ſedes habuerunt. Eadem ratione Angli, ſive Angeli Suevi (de quibus apud Tacitum & Ptolomæum) ab Anglis Saxonibus Bedæ diverſi fuerunt, & ſeparatas & ſejunctas regiones tenuerunt: ut mox oſtendam. Ac tametſi Beda claſſem illam, quæ in Britanniam venit, ſpeciatim ex tribus fortiſſimis Germaniæ populis conflatam Saxonibus, Anglis & Jutis, & Angliam quidem jam inde uſq; ad ſua tempora habitatoribus vacuam remanſiſſe, tamen generatim antè Anglorum ſive Saxonum gentem accerſitam à rege Virgerio in inſulam primò tribus navibus appulſam ſcribit. Nam & quos Iutas Beda nominat (quos à Gutis dictos, atque nde Iutlandiam nomen habere, plerique noſtra ætate arbitrantur) eoſdem multi Vitas Saxones nterpretantur. Quin ipſe quoq; Beda indicat, Saonum nomine Iuttos comprehenſos, dum ſub ccidẽtalibus Saxonibus Iutarum nationem conneri refert. Sic quoque quum Britannia jam in oteſtatem eorum veniſſet, licet diſtincta eſſent nglorum atque Saxonum regna, aliudque eſſet rientalium Anglorum, alia tum orientalium, m meridionalium tum occidentalium Saxonum gna: tamen poſtquam Egbertus, occiduorum xonum rex, imperio ſuo Cantianum Narthumorum & orientaliũ Saxonum adjunxiſſet, & relia Merciorum orientaliumq; Anglorum ita hulia & infima reddidiſſet, ut nõ multò pòſt in ſuã

Digitized by Google

redegerit poteſtatem : nihilominus, quum commutare inſulæ nomen, & diverſa populorum ſibi ſubjectorum in unum cogere ſubſtituiſſet, ut eodem jure cenſerentur, Britanniam Angliam, & univerſam gentem Anglos appellaſſe, Polydorus Virgilius narrat. Id quod neutiquam ſumma prudentia præditus princeps feciſſet, quum præſertim præcipua jam regna ſuo occiduorum adjeciſſet, & reliqua duo (in quibus & Anglorum orientalium erat) propediem ſibi acceſſura animo præcepiſſet, generiſq; ſui memoriam in inſula illa perpetuam conſervare conaretur.

His igitur ſatis comprobatur, communi illos nomine, nunc Anglos, nunc Saxones, dictos eſſe: ac promiſcuum harum appellationum uſum fuiſſe, ex aliis quoque ejuſdem ſeculi ſcriptoribus cognoſci poteſt. Siquidem Bonifacius archiepiſcopus Magunciacenſis, natione Anglus ſive Anglosaxo (cui antè Wunifrido nomen fuerat) in epiſtola ad Zachariam, *tranſmarinam Saxoniam* vocat. Idem in epiſtola ad Edoaldum Anglorum principem, veram in Germania Saxoniam antiquam vocat, intuitu Angliæ, quaſi illa nova eſſet Saxonia. Eoſdem qui Britanniam ſubjugarunt, & è ſuo nomine Angliam appellarunt, non aliter quàm Saxones Gildos vocat. Paulus etiam Diaconus in Theodoſio Juniore, quum narraſſet Britannos, Scotorum impetus formidantes, ſibi auxilio Anglos advocaſſe, ſtatim ſubjicit gentem Anglorum (ſive Saxonum) Britanniam navibus advectam. Witikindus quoque Saxo, à Britannis Romanorum ope deſtitutis Saxones, ob rerum geſtarum famam,

mam, ſubſidij cauſa accitos ſcribit, eosq; Angloſaxones à ſitu inſulæ nominatos. Hinc ab Anglicarum rerum ſcriptoribus modò Saxones Angli, modò Angloſaxones appellantur. At eos Suevos Anglos dictos, apud neminem veterum ſcriptum legi. Anglos verò Saxones fuiſſe, prçterquàm quòd certo multorum autorum teſtimonio compertum habemus, hac etiam ratione comprobatum video, quòd Suevi mediterranei, Saxones verò maritimi fuerint: ut non ſolùm de illis id in univerſo genere Cæſar docet, ſed etiam ſingulatim de Suevis Angliis & Tacitus & Ptolomæus demonſtrant. Saxones autem littora maris Germanici & Oceani inſulas tenuiſſe, non modò idem Ptolomæus, ut & Stephanus & Oroſius oſtendunt, ſed & multis aliis autoribus, qui circiter hæc tempora vixerunt, quum Angli in Britanniam profecti ſunt, apertum eſt, qui eos piraticam exercuiſſe non obſcurè indicant. Nam mare longè lateque eos prædationibus infeſtum reddidiſſe, & maritimas oras Romani Imperij vexaſſe, inq; fines provinciarum Romanarum quæ Oceano adjacebant, erupiſſe, idem Oroſius, & ante eum Eutropius (de quibus Krantzius lib. 1. cap. 16.) & Sidonius Appollinaris, ſimiliterq; Claudianus, Ammianus Marcellinus, Pacatus Paulus Diaconus, aliiq; ejus generis poſteris tradiderunt: ac cum his Scotos & Pictos ſæpè iidem conjungunt, qui ipſi quoque piratæ & accolæ maris & paludum fuerunt. Ex his Pictos, ab Aquilone profectos Beda autor eſt, Polydorus Virgilius eos Scythiæ populos eſſe affirmat, Iovius ex Norvegia in Britanniam transfretaſſe ſcribit. Hi non

ſolùm ſedes in Britannia minori, ſive ſecunda, ſed & principatum conſtituerant: verùm deleti eſſe dicuntur circiter annum Domini DCCCXL. Ab iis Pictlandia dicta eſt, quæ nunc Laudonia vocatur. Ammianus Marcellinus Pictos ſuis temporibus in duas gentes diviſos fuiſſe, Calydonas & Victuriones prodit. Scotos idem Beda à Circio in Britãniam invectos memorat. Primùm enim Hyberniam, inde extremam Britanniæ oram in Oceano Aquilonari invaſerunt. Hinc Panegyriſtes Hybernos eos vocare videtur, quum Britanniam Pictis & Hybernis aſſuetam hoſtibus ait.

Etſi verò de origine eorum diverſæ ſunt Hiſtoricorum ſententiæ, ut & Iovius annotavit, qui alios ex Hybernia, nonnullos ex Dania Cimbricæ cherſoneſi, vel Gothiæ Norvegiæq; peninſulis originem eorum deducere, quoſdam etiam opinari ex Hiſpania claſſibus advectos: tamen eorum mihi potiſſimùm placet opinio, qui ex Scythiæ populis eoſdem derivant: in quorum numero ſunt Polydorus Virgilius, & Reinerus Reineccius, qui etiam Scotorum nomen ad Scytharum appellationem alludere tradit. Scythas enim vel Scotos, Saxones & inferiores Germanos *Schützen* vocare. Probabile eſt autem paulatim ex Aſia in Europam proceſſiſſe, & in peninſulis modò commemoratis ſedes ſuas poſuiſſe, atque inde in Hyberniam traieciſſe. Nam (ut Polydorus Virgilius prodidit) quum Scoti à Pictis prælio ſuperati ex Britannia aufugiſſent, poſt annos aliquot à Pictis (quibus formidoloſa erat Romanorum potentia) partim ex Hybernia, partim ex Norvegia evocati ad priſtinas ſedes redie-

redierunt. Frequenter quoque cum Saxonibus Franci (quod & ipſi ad mare habitarent) Romanas provincias, præſertim Belgicæ, Armoricæ & Galliæ tractus deprædatos eſſe, Eutropij, Marcellini & Claudiani teſtimonijt cognitum eſt: qui tandem, ut & Belgicam utramque, & Galliam in ſuam adduxerunt poteſtatem.

Sed ut ad inſtitutum noſtrum redeam, Anglos illos in quorum jus & nomen Britannia tranſivit, littus maris habitaſſe, adeò iis autorum locis, quibus ſuprà eos Saxones fuiſſe docui, perſpicuum eſt, ut id revocari in dubium nullo modo poſſe videatur. Nam & qui patrum noſtraque memoria Anglicas hiſtorias contexuerunt, ſcriptis ſuis tradiderunt Anglos è Saxonico littore in Britanniam transfretaſſe, ut ſuprà retuli. Quocirca Wilichius conſtitutis duorum generum Anglijs Suevis, mediterraneis & maritimis, hos Angliam ſibi ſubjeciſſe ſcribit. Quòd maris accolas, rectè: quòd eoſdem Anglos Suevos fuiſſe putat, perperam. Nam poſt Ptolomæum, ante Bedæ ætatem, *Suevos* & *Saxones* ex interiori regione ſe ad littora contuliſſe. vix inveniri aut pro certo adferri poſſe crediderim. At Saxones eos fuiſſe, ac promiſcuè Saxones & Anglos dictos, ita ex iis, quæ diximus, adeò evidens eſt, ut longiorem orationem non deſideret. Ad Krantzium verò quòd attinet, à ſe ipſo in hoc capite diffidere videtur. Nã c.19. lib. 1. infrà, tradit Anglos Saxones, ſeu Saxones cognomẽto Anglos, ſeu Saxones Anglos, (tribus enim his appellationibus utitur) à Britãnis ex proximis Germaniæ littoribus accerſitos, inſulã eã ingreſſos. Notãda dili-

genter hæc verba, *Ex proximis Germaniæ littoribus.* Deinde cap. 20. commemorata ex Beda, tripartita illa populorum qui in Britanniam venerāt, diſtinctione, docet, Britannis ex Anglis Saxonibus, Anglorum nomen inditum. Mox verò cap. 21, quum verba illa Bedæ, quę ſuperiori capite retulerat, Anglorum in Saxoniam patriam, jam inde ab illo in Angliam tranſitu, ad ſua uſq; tempora deſertam perhiberi, in benigniorem partem interpretatus eſſet, ſubjicit, Anglos, teſte Ptolomæo, olim vocatos, ætatis proceſſu corrupto (ut fieri ſolet) vocabulo, L. litera in R. commutata, Angiros dici cœpiſſe, quorum princeps Widekindus Carolo Magno Imperante toti Saxonum provinciæ præfuerit. Idem eodem cap. Anglos Saxones, Angliam de ſuo nomine dixiſſe. Rurſus cap. 22, Widekindum ducem Anglariæ (Angariam vocant) in adminiſtratione fuiſſe, &c. Et paulò pòſt, Carolum Magnum Weſtphalia peragrata, inde obſides accepiſſe, præcipuè ab Anglarijs. Item cap. 22. Angriam pro Anglia ab imperitis ad differentiam Angliæ inſulæ dictam, qui ignorarint, ita ſe honori ſuo detrahere, quòd majorum ſuorum, qui in Britanniam commigrarant, decus obſcurarent.

Quum igitur Krantzius antè tradiderit, ex proximis Germaniæ littoribus Saxones Angliam intraſſe, poſtea autem eos qui Britanniam in ſuam poteſtatem acceperunt, ex Anglia deducat, & poſterioribus temporibus, pro Anglis (ut à Ptolemæo dicuntur) vitioſè Angiros vocatos notet, meritò quis eum ſibi ipſi contrarium eſſe exiſtimaverit: niſi fortè dixerimus, illos Amaſia fluvio in mare

mare devectos, idq́; pro eodem Krantzium habere, atq; ſi protinus ex ipſo littore in Angliam ſolviſſent. Hanc enim ſententiam adjuvare videtur, quòd cap. 13. lib. 1, poſtquam retuliſſet, Strabonem narrare in Amaſi à Druſo Nerone navali prælio victos eſſe Bructeros, addat, *Pars fuit hac Saxonum*, quoniã Amaſia Saxoniam perlabatur, & in Chaucis, hoc eſt, Friſiis mari miſceatur: & inferat, neminem negare poſſe, ducem Romanorum cum mediterraneis Saxonibus manus conſeruiſſe, quando etiam à mari fulminans in Amaſi Bructeros (hoc eſt fluminis accolas, nunc dictos Weſtphalos, olim Saxones, & antè Bructeros) perdomuerit. Equidem vereor ne in hac noſtra interpretatione Krantzium excuſare poſſimus. Nam quum Saxones, Ptolomæus, Eutropius, Stephanus, Oroſius, Paulus Diaconus, in Oceani littoribus, ad Cimbricam Cherſoneſum, inviisq́; paludibus conſtituerunt, nullo modo eam deſignarunt regionem, per quam fluit Amaſis. Neq; deſcriptio Anglorum apud Bedam congruit cum Anglorum apud Ptolomæum, vel Angirorum apud Krantzium ſedibus. Siquidem Ptolomæus Anglos ſuos (quos poſtea Angiros nuncupatos autor noſter affirmat) Mediterraneos, non maritimos, Suevos, non Saxones facit, ut & Anglios ſuos Tacitus inter Suevos recenſet. Porrò in eodem capite 21, hic quoque error nobis objicitur, in quem per Bedam inductus, quòd primos horum Anglorum Saxonum duces ab avi atque proavi ſui nomine Vectim inſulam appellatam eſſe putaverunt: in qua ſua quoque ætate oppidum, arcem & fluvium ejuſdem nominis extitiſſe

Krantzius annotat. Id enim nomen inſulæ Vecti longè ante Saxonum in Britanniam adventum fuit: quemadmodum Ptolomæus in fine capitis tertij, libri vigeſimi primi, quo primam Europæ tabulam explicat, ejus omninò mentionem facit.

Sed præter hunc lapſum, multipliciter Krantzius, in jam commemoratis à me capitibus ferè oſcitanter hallucinatus eſt. Primò quòd Ptolomæi Angelos ſive Anglos, ut maximè (juxta quorundam ſententiam) ad Amaſis fontem habitarint, pro Saxonibus accipiat, quum diſertè à Ptolomęo Suevi nominentur. Deinde quòd Bructeros partem Saxonum eſſe ſcribit, quum nec Ptolomæus nec alij Saxonibus eos finitimos tradant, nec Tacitus Cattorum (quos Saxones Krantzius intelligit) partem aut gentem fuiſſe cõmemorat. Tum quòd Amaſium Saxoniam perlabentem in Chaucis, hoc eſt Phryſiis, exonerari ſcribit. Tantum enim abeſt ut Amaſis veteres Saxoniæ fines attingat, ut nec Viſurgis quidem illos alluat. Ac veteres (ut ex Tacito & Ptolomæo cognoſci poteſt) diſertam & Phryſiorum & Chaucorum mentionem faciunt, & nec in una nec in altera regione Amaſim in mari evolvi tradunt, ſed veluti litem quendam eſſe quo Phryſij à Chaucis diſtinguantur. Ac Ptolomæus quidem eo Phryſios à Chaucis minoribus, ut hos à Chaucis majoribus Viſurgi disjungi docet. Et ſi verò multi recentiorum hodie Chaucos Phryſiorum nomine contineri arbitrantur, tamen qui illi ſint, non conſentiunt, quòd alij Groningenſes, alij Emdenſes, & vicinos terram inter Amaſim & Viſurgim colentes intelligant: ex quibus

bus poſteriores rectius ſenſerunt. Inſcitè autem ex his Munſterus tradit, Amaſim per Friſiam fluentem, antiquos Saxones à Weſtphalis ſecernere, & Viſurgim per veterem labi Saxoniam. Nam (ut dixi) Viſurgis Chaucos minores à majoribus dirimebat. Itaque fœdius erravit, quàm quum Krantzius noſter Amaſim Saxoniam perlabi tradidit. Excuſari enim hic in ea re poteſt, ſi eorum temporum, quibus tractus iſte ad Amaſim Saxonia dici cœpit, rationem habuerimus. At Munſterus liberari à culpa non poteſt, quum diſertè de veteri Saxonia loquatur, cujus fines Albis ad Auſtrum verſus, nõ Viſurgis, terminabat. Ac tametſi Chaucorum minorum ſedes non incommodè hodiè tribuantur Emdenſibus, reliquiſq; Friſiis orientalibus, propter Amaſim in ripa Aquilonari habitantibus: tamen quòd alij illam Chaucorum regionem alijs populis his à ſeptentrione vicinis adſcribunt, ſatius fuerat, ſi vel ætatum diſtinctionem Krantzius adjunxiſſet, vel veterum deſcriptiones ſecutus fuiſſet, vel (ſi novam chorographiam ſpectare voluiſſet) Chaucos ſilentio præteriiſſet.

Sed diutius ac par eſt, in hoc loco hæſi: itaq; reliqua Krantzij errata ſubjiciam. Superſunt autem duo: & quòd Bructeris rectà Saxones ſucceſſiſſe ſtatuat, quum illis pulſis, penituſque exciſis, in regionem eorum Chamavos & Angrivarios immigraſſe Tacitus ſcriptum reliquerit: & quòd originem atque nomen Angriæ acceptum ferat Anglis Ptolomæi, quæ id non ab iis ſed Angrivarijs accepit, quorum memoriam Krantzius omnino prætermiſit. Diverſi autẽ inter ſe non modò hi populi,

puli,ſed & ſedes eorum fuerunt, ut apud Tacitum & Ptolomæum videre licet. Ac tametſi noſtræ ætatis diligens in primis antiquitatis indagator, Suevos Anglos eo loci habitaſſe tradit, prope quem Angria condita eſt, & ad quem quarto Europæ typo (qui Germaniæ eſt) apud Ptolomæum Baſileæ impreſſum minuſculis literis iidem collocati ſunt; tamen ipſe Ptolomæus in tabula quarta, in Germaniæ ſitu deſcribendo, eos Orienti propiores quàm Longobardos facit, protenſos ad Septentrionem uſque ad medium Albis, & verſus Suevos Senones. Nec huic ſententiæ de Angriæ origine & appellatione adverſatur, quòd idem Ptolomæus Angrivanos inter Chaucos majores & Suevos, ponit ad Albim fluvium, cum Angria propter caput Amaſi ſit ſita. Nam Ptolomæus veteres eorum ſedes ſpectavit, quas ad Albim fluvium habuerunt. At tum demum Angriæ nomen dederunt, quando ex ſedibus illis à Chaucis ejecti (ut oſtendi) cum Chamavis, in eam partem quam Bructeri tenuerunt, iis pulſis profligatisq; immigrarunt: ut Tacitus in lib. de Germania indicat. Etſi enim Ptolomæus minor ætate fuit Tacito, tamen antiquioribus tabulis uſum eſſe ex Rhenano annotavi. In utraq; autem ſede Angrivariornm monumenta ad poſteritatis memoriam extant, in priori *Angermundt*, in poſteriori *Angria*, quæ nomen eorum non obſcurè teſtificantur.

Iam verò ſi (ut quidam ex recentioribus exiſtimant) Angrivarij iidem cum Anſibariis ſive Anſuariis fuerunt (tametſi Tacitus ſcriptum reliquerit, Anſibariorum juventutem ad internecionem dele-

delectam) tamen Iuliani temporibus, gentem illam adhuc reliquam fuiſſe Ammianus Marcellinus memorat, quum Iulianum Anſuariorum regionem, licentius extremam Gallorum oram perſcrutantium, ſubitò pervaſiſſe dicit, multisq; ex iis partim captis, partim occiſis, ſupplicibus reliquis pacem ex arbitrio dediſſe. Sed quia *Francos* eos fuiſſe narrat, argumento eſt, etiam tum in illo terrarum tractu Francorum nomen celebratum, ut id Rhenanus probat: ut eos Chaucorum non modò vicinos, ſed & gentem fuiſſe cenſet, quum præſertim his immenſum terrarum atq; inſularum ſpacium autores attribuerint. Sanè Caycorum Caucorum nomine eos Claudianus comprehendit. Ac littora Oceani Germanici eos tenuiſſe, idem Rhenanus egregia multorum autoritate & teſtimonio probat. Porrò Francis, Alemannis, Suevis, aliisq; Germaniæ populis, ſedibus ſuis relictis, Romanorum provincias opprimentibus, armisq; ſubigentibus, Saxones quoque, ubi inſtar illorum, eruptionem in Romanum Imperium molientes, repulſi fuerunt, nec contenti illis maritimis ſedibus, incurſionibusq; piraticis & navalibus deprædationibus moleſti eſſent, paulatim ex littorib. in interiora ſe recipientes, vacuas illorum regiones, qui in Romanorum ditionem irruerant, occuparunt. In his quoque fuit ab Angrivariis, ſive ab Anſuariis, Francis habitata regio, quæ hodie Weſtphalia nominatur. Nec refragor eorum ſententiæ, qui antè Saxones hanc terram quàm Suevorum ſedes invaſiſſe arbitrantur. Id etiam Krantzio do, inde Saxones commigraſſe in proximas ad Viſurgim regiones.

Franci.

Digitized by Google

giones. At verò ea ætate, quum Saxones in Angliam tranſgreſſi ſunt, in ipſis locis habitaſſe, in quibus Angria ſita eſt (ut Krantzius putat) niſi veterum teſtimonio revinctus, nunquam credidero. Multò verò minus is mihi perſuaſerit, primitus Saxoniam fuiſſe. Ut verò ea potiti ſunt Saxones, quin ex præcipuis eorum ſedib. fuerit, inde opinari licet, quòd quum, creſcente eorum potentia, duodecim duces creaſſent, qui adminiſtrationi reipublicæ ſuæ præeſſent, quorum uni tempore belli imperium committebatur, ex eorum ordine Angriæ quoque duces magnæ autoritatis fuerunt. Inde oriundus fuit *Widekindus*, cui à Saxonibus, in bello quod *Carolus Magnus* triginta annis cum iis geſſit, ſumma rerum delata fuit. Unde & regem in quibuſdam codicibus nominatum fuiſſe author noſter libr. 2. cap. 22. refert. Primus hic Caroli Magni auſpicijs cum ſua gente religionem Chriſtianam amplexus eſt, ex quo præſtantiſſimi Imperatores, Henricus & tres Othones, nobiliſſimam generis antiquitatem ducunt. Sed in explicatione prioris partis hujus loci, de Anglorum primordiis, provectus ſum longius quàm initio conſtitueram.

Reſtat altera pars, de etymologia ſive vi nominis, quam paucis delibabo: nam & in ea inter ſe diſſident. Ac antè, in principio prioris partis, indicavi, Saxonem Grammaticum ab Angulo filio Humbli Anglorũ nomen deducere; qui quid id ſignificet, & cujus linguæ ſit, non explicat. Widikindus Saxo, Anglos Saxones dictos eſſe ſcribit, quòd inſula, quam ditioni ſuæ adjunxerunt, in angulo quodam maris ſit ſita. Rectius alij, qui Angliam velu

veluti noſtri orbis angulū interpretantur: qui magis à Latina quàm Germanica voce derivationem ſuam petere videntur. At Aventinus & Goropius noſtræ linguæ hoc nomen acceptum ferunt. Ille vocabula hæc *Angel* & *Engel* tribus modis à nobis accipi tradit: nunc pro hamo, ſive aculeo: nunc pro cardine, nunc pro limite. Atq; hinc generatim Angulos Ptolomæo, & Anglos Tacito dictos exiſtimat. Hic verò Anglos nominatos à prima ſignificatione, qua hami piſcatorij ſignificantur, atque hoc nomen ipſoſmet Anglos Saxones ſibi ſumpſiſſe, quaſi dicerent ſe hamos eſſe, omnia quæ in mari invenirent, attrahentes. Etſi verò Suevi Angli longè à mari fuerunt ſecluſi, tamen eoſdem quoque Angelos, vel Anglios, vel Angilos, ab hamis nominatos eſſe, quòd Suevi hi Sicâbris & Ubiis proximi, finitimorum omnia raperent, & quaſi adhamarēt. Equidem minimè ab horum ſententia diſceſſero, qui Germanicum vocabulum eſſe ſtatuunt, quamvis malim cum Aventino, à generali quàm ſpeciali ſignificatione & vi nominis deducere, & certā nominis rationem cujuſq; judicio arbitrióve relinquere. Ac tametſi plures non diſſimiles quæſtiones & loca ab hujus operis argumento non aliena nobis Krantzius in his libris ſuppeditet, quorum tractatione, tum quæ in hoc operē coargui poſſint, ſignificaretur, tum in qua varietate ac diſcrepantia hujus generis ſcriptores conſtituti ſint, oſtenderetur, tum etiam quæ plurimum veroſimilitudinis habeat declaretur: tamen quia cum de aliis capitibus à me ſuprà propoſitis, tum de prima parte hujus poſtremi pluribus verboſiusq; diſputavi, quàm vel

vel præfationem deceat, vel mea fuerit voluntas, harum diſceptationem (præterquam quæ mox de Hamburgi etymologia ſum diſerturus) prætermittere viſum eſt: ne ſi eaſdem explanandas ſuſcipiam, quid mihi in hoc genere ſcriptionis propoſitum ſit, non ſatis animadvertiſſe videar. In ſuperiorum verò capitum explicatione, idcirco ſum diutius immoratus, & ut intelligatur in his lubricis quæſtionibus facilè Krantzium errare potuiſſe, quòd in iis admodum proclive ſit labi, quum earum dijudicatio, ex conjecturarum potius collectione, quàm rationum momentis conſtet, & ut eluceſcat, quæ in tanta opinionum varietate quàm proximè ad veritatem accedat.

Sequitur ut his relictis, nos ad ea quæ Krantzius in hoc opere præſtitit, referamus. Ac quidem neminem mihi ex iis legere contigit, qui res Saxonum literis conſignarunt, qui vel plura de illis vel majori diligentia Latina lingua ſcripſerit, nedum, qui ab eo tempore, quo nomen eorum Romanis innoteſcere cœpit, uſque ad hoc ſeculum, hiſtorias eorum hinc inde diſperſas collegerit, & in unum quaſi corpus coegerit. Neque enim ſolùm ea perſtrinxit, quæ Romani autores de Saxonibus memoriæ prodiderunt, quorum primam à Ptolomæo mentionem factam notavit, ſed & quæ poſt eos tam exteri quàm rerum Saxonicarum ſcriptores collegerũt, in hoc opus contulit. In his fuerunt Witikindus Saxo, Babo Corbejenſis abbas, Helmoldus, Petrus Damianus, Hermannus Contractus, Albertus abbas Stadienſis, Henricus Erphordienſis, & Hermannus Chronicorum compilator.

Cranzij laus.

Quin

Quin etiam quorumcunq; Chronicorum & annalium, in præcipuarum ferè totius Saxoniæ eccleſiarum, nonnullarum etiam civitatum bibliothecis & tabularijs deliteſcentium copiam & facultatem habere potuit. Iis pervolutatis, quicquid hujus argumenti eſſe duxit, excerpſit, & in lucem protulit. Itaque non tam pervulgata quàm ex manuſcriptis libris eruta, in hoc opus ſuum, obſervata temporum ſerie, digeſſit, quo amplius mille annorum memoriam complexus eſt. Ac quidem quæ ex Romanorum aliorumq; hiſtorijs in promptu ſunt, vel in exteris acciderunt regionibus, ea paucis attigit: quæ verò ex reconditis, in lucem antè non editis, annalibus & Chronicis memoria digna exiſtimavit, ac in Germania & Saxonia, tum ab Imperatoribus Germanis, tum à Saxoniæ principibus ac proceribus, inde à Carolo Magno, geſta fuerunt, accuratius & diligentius proſecutus eſt. Quum igitur res cùm aliorum, tum Germanorum, inprimis verò Saxonum, cognitione digniſſimas poſteritati commendarit, & vix ulla horum librorum exęmplaria in bibliopolijs venalia eſſent, ac non immeritò ab antiquitatis ſtudioſis deſiderarentur, jam annos aliquot notitia & amicitia mihi conjunctos typographos ad opera hæc iterum excudenda adhortatus ſum. Quem laborem, quòd & reipub. utilem & ſibi fructuoſum fore ſperaret Andreas Wechelus ſuſcepit. Ac dum in eo laboraret, ut & emendatiores hos libros, & ad legẽdum accommodatiores emitteret, ecce ſuperiori anno ab hæredibus Quentelij iiſdem de cauſis inductis, impreſſi prodierunt. Qui licet Wechelum

anteverterint, tamen nec hic, quòd jam hoc opus prælo ſubmiſerat, ab incœpto deſiſtendum ſibi putavit; quum præſertim & ſummas rerum, quæ tractarentur, & annorum ſeriem atq; numerum in margine annotari curaſſet. Sed & alia opera, quæ lectoribus & plus utilitatis attuliſſet, & gratior futura fuiſſet, acceſſiſſet, niſi ad finem perducta operis huius editio, ab eo differri amplius non potuiſſet. Quid verò præterea ab utroque typographorum, in huius operis divulgatione præſtitum ſit, non mihi hîc exponendum, ſed lectoris iudicio permittendum eſſe putavi, ne in alterum propenſior, ab altero alienior eſſe videar.

Dedicatio ad Coſſ. & Senatum Hamburg.

IN veſtro verò nomine quòd hanc Crantzii Saxoniam apparere volui: & argumento libri, & auctoris conditione, & quorundam veſtrorum Senatorum erga me benevolentia ſum adductus. Nam in hoc libro cùm de univerſa Saxonia, tum nominatim de civitate veſtra agit (quam ad Saxoniam ab omni memoria pertinuiſſe affirmat) ſententiam etiam ſuam de eius origine & vi nominis explicat. Quemadmodum autem in originibus rerum & rationibus nominum tradendis, de quibus certi nihil proditũ eſt à veteribus, diverſæ & diſcrepantes ſunt doctorũ ſententiæ: ſic & de etymologia urbis veſtrę docti inter ſe diſſentiunt. Nam pleriq; à *Jove Hammone Hamburgum* dictum putant, quòd Iovis effigies à *Carolo Magno* in urbe veſtra everſa eſſe feratur: de qua auctor noſter lib. 2. c. 16. In hac opinione ex recentioribus ſunt Conradus Celtes, Franciſcus Irenicus, Andreas Althamerus. *Krantzius* noſter lib. 1. capit. 11. nomen eius refert

ad Ha-

ad Hamam pugilem gentis Saxonicæ, quem apud vos certamine à Starcatero Dano victum ſcribit. *Johannes Goropius* urbi veſtræ Germanicum nomen & originem aſſignat. *Ham* enim præcipuè pernas ſalitas & fumo ſiccatas ſignificare aſſerit. Itaque quum Hamburgum in inferiori Saxoniæ parte princeps & antiquiſſimum oppidum fuerit, in eo celeberrimum ſalſamentorum & carnis porcinæ fumo duratæ emporium fuiſſe: ac quum inde Saxones maritimi viciniq; populi navibus ſuis in mare infeſtis commeatum ad diuturnas navigationes neceſſarium petere ſolerent, locum hujus mercatus Hamburgum nominaſſe. *Caſpar Peucerus*, in ea vicinoque tractu, veſtigia appellationis Gambriviorum impreſſa remanſiſſe arbitratur. Ac tametſi ſatius fortè ſit in hac opinionum varietate & rationum inopia judicium ſuſpendere, quàm ex iis unam aliquam aſſenſione comprobare: mihi tamen poſtrema maximè probabilis eſſe videtur. Etenim primam opinionem ipſemet Krantzius improbat, qui ſimulachrum illud Jovis non agnoſcit, & quod perhibetur de ejus demolitione, commentum eſſe exiſtimat: ac Hammonem à Germanis cultũ eſſe, apud nullum probatorum auctorum legi. Neq; etiã ab Hama vocatũ eſſe arbitror, quum ſi quis pugnæ illius cum Stercatero (ut à Krantzio deſcribitur) περιστάσεις paulò diligentius examinarit, fabulam potius quàm hiſtoriam eſſe cognoſcet. Ac ut duellum illud ſit confectum, unde conſtabit, vel eo in loco illud commiſſum, ubi urbs veſtra eſt cõdita, vel inde id nomen fluxiſſe? Equidem Krantzium in hanc falſam opinionẽ aucto-

Digitized by Google

ritate Saxonis Grammatici diſceſſiſſe reor, quem utinam tanti non feciſſet, nec quæ ille ſcripta reliquit, protinus rata habuiſſet: ſed in diſcriminandis fabulis ab hiſtorijs ſuum quoque judicium adhibuiſſet, præſertim in iis, quæ in opera ſua retulit. Iam verò non tantum apud me conjectura Goropij valet, ut niſi eam aliis adminiculis corroboraverit, ſtatim ei aſſentiri queam. Non enim video, quamobrem illum carnis porcinæ mercatum veſtræ potiſſimùm Urbi attribuat, quum & aliæ quoque in eadem regione extiterint urbes & oppida non minus commoda piratarum acceſſu & commercio, ut ex Ptolomæi tabulis patet, nec diverſa in his atque illic vivendi conſuetudo obſervata fuerit.

Et ſi verò urbs veſtra Germanicæ appellationis originem præ ſe ferre videtur tamen quum Gambrivij quoq; antiquiſſimi Germaniæ populi fuerint, & prior ſive ſyllaba ſive vox nominis non illi propria, ſed toti vicinitati communis ſit: conſentaneum eſt à Gambriviis reliquum eſſe. Nam licet Gambriviorum ſedes alij in aliis locis conſtituant, atq; ex ijs quidam Cameracenſes, quidam Sicambros manaſſe opinentur: tamen veriſimilius eſt, eos Cimbrij & Marſis finitimos, Albis ripam Aquilonarem habitaſſe. Atque ejuſmodi nominum mutationes in multis regionibus, civitatibus, oppidis, pagis atque locis à doctiſſimis viris obſervatas, eorum ſcripta teſtantur. Nec dubium eſt, quin Gambrivium majorem cum Hamburgo cognationem habeat, quàm Treva: quam apud Ptolomæum urbem B. Birckamerus de veſtra urbe accipit.

pit. Quòd ſi verò rationem hujus nominis quis ex noſtra lingua reddere velit, æquè ea à genere retis piſcatorij (*quod Hamen vocamus*) quàm à pernis infumatis deducere poteſt. Quin hæc etymologia cum ſententia Goropij, de Anglorum ſimiliumq; Germaniæ populorum appellationibus, multò magis congruit, atqne ea quam de vi nominis veſtræ urbis exponit. Nam quum ille Anglos Saxones tum Holſatorum, Dithmarſorum & Hãburgorum ſedes tenuiſſe, tum propter ſtudium in mari prædandi ac aliena acquirendi, ab hamo piſcatorio *Angel*, nominatos ſtatuat: eadem ratione Hamburgum quoque, præcipuam eorum urbem, ab alia voce, idem illorum rapiendi deſiderium notante (id eſt à genere retium piſcatoriorum) appellatam eſſe, appoſitè magis quis æſtimaverit, quàm ab illa vocis *Ham* ſignificatione; unde Goropius vim nominis derivat. Perinde enim ut hamo, ſic retibus quoque (quæ à nobis *Hamen* dicuntur) piſces capiuntur. Itaq; tam convenienter hac voce, atque hami piſcatorij, appetitio illa aliena acquirendi exprimitur: à qua ut generatim Germanos quaſi *Berman* (id eſt Viros acquirendi, congregandiq; ac corradendi deſiderio captos) ſic ſpeciatim pleraſq; eorum gentes dictas eſſe ille quidem cenſet. Quare ut bellè omnia hæc inter ſe conſentiant, multò probabilius Hamburgi nomen ab hac retis piſcatorij, quàm illa carnis porcinæ ſignificatione, mea quidem ſententia, petere licet. Atque hæc jam à me expoſita ſunt, non quòd penitus ita ſentiam, ſed quòd ad ſententiam Goropij propius accedere videantur. Quo ipſo loco

admonitus, prætcrire non potui quod ad inſignem veſtram laudem redũdare exiſtimavi. Quàm enim olim primi illi Saxones piraticæ dediti fuerunt, tam vos majoresq́; veſtri ejus generis prædones exoſos habetis: in quos graviſſimè vos animadvertiſſe, & Krantzius ipſe teſtatur, & noſtra memoria compertum eſt. Sed de civitatis veſtræ etymologia ſuum cuiq; ſit judicium. Equidem in hac re tantis vetuſtatis involucris implicata, licet nõ deſit quod opiner, tamen nihil habeo quod affirmem.

Quòd ergo (ut ad rem redeam) Krantzius magni exiſtimaverit intereſſe cùm ad nationis tum patriæ ſuæ laudem, rerum præclarè geſtarum memoriam literis mandare, non minus ad vos quàm ad alios Saxones, hujus operis argumentum pertinere perſpicuum eſt. Ac quidem hæc prima cauſa vobis cum aliis eſt communis, altera verò propria veſtra. Nam auctor apud vos natus eſt, ex honeſta & antiqua familia oriundus, in veſtra ſchola optimarum artium diſciplinis inſtitutus, in ſummo apud vos Eccleſiaſtico collegio ſacerdotio dignitateq́; auctus, &, ut illis temporibus, ſacras literas docuit, & in rebus divinis populum inſtituit, ſua quoque in reſpondendo de jure opera civibus veſtris adfuit. Tantos enim & in Theologiæ & juriſprudentiæ ſtudio progreſſus fecit, ut ſumma honoris inſignia in utroq; ſit adeptus. Antiquitatis verò & hiſtoriarum cognitioni adeo fuit addictus, ut in civitate veſtra cùm alia opera tunc hanc ipſam hiſtoriam conſcripſerit, ac apud vos, quem à Deo ſpiritum accepit, reddiderit, præclaraq́; hæc ingenij doctrinæq́; ac induſtriæ monumenta reliquerit. Nec

ſolùm

ſolùm parentes veſtri viventem ſingulari humanitate & magnis honoribus proſecuti ſunt, verùm etiam mortuum dignis epitaphij laudibus affecerũt. Quod ut ad perpetuam poſteritatis memoriam duraret, paucis ab annis vir excellens D. Michael Rederus, veſtræ civitatis advocatus & Syndicus, ac ejuſdem apud vos collegij (ut vocant) Decanus, reſtitui & exornari curavit. Quare quum totus ille veſter ſit, nec de eo vobis cum alijs ſit pugnandum (ut multæ olim Græciæ civitates de Homero inter ſe contenderunt) ſub nullius potius quàm veſtro nomine hæc Saxonia in manus hominum emitti debuit. Quid quòd veſtræ civitati hanc ille gratiam retulit, quòd eam antè celebrem, ſcriptis ſuis illuſtriorem reddiderit? Quod officium fortaſſe cumulatius præſtitiſſet, niſi collegij ſui, in quo decanatus munere functus eſt, ſtudioſior fuiſſet. Quanquam quum omnes omnium charitates patria complectatur, nihil cuiquam ſecũdum Deum ea prius nihilq; antiquius eſſe debeat.

Ad has priores cauſas accedit & hæc, quæ licet cum illis conferenda non ſit, tamen non parum momenti habet: quòd ampliſſimorum virorum Dn. Hieronymi & Iohannis Hugenorum, quos ex ſenatoribus legatos ad proxima comitia hîc celebrata miſiſtis, magna erga me fuit humanitas & benevolentia, & mea cùm de aliis veſtræ Reip. viris conſularibus ac Senatoribus, tum de his ipſis præclara exiſtimatio animiq; inductio: ex quibus alter hinc diſceſſurus ſuæ etiam benevolentiæ pignus & memoriæ monumentũ domi meæ reliquit. Multi etiam ſunt anni, quum mihi apud Andes cũ Theo-

Digitized by Google

dorico Mollero, ex veſtro ordine nato, atque excellēti ingenio & ſingulari juris cognitione prædito adoleſcēte, magna fuit & conſuetudo & ſtudiorum communicatio. Sæpe etiam Veſtrates, qui *dum Heidelbergæ jus civile profitebar*, juriſprudentiæ ibi operam dabant, multos ex vobis ab eximia humanitate, inſigni prudentia, ſingulari eloquentia, exquiſita doctrina & admirabili virtute commendarunt. Eadem multò magis mihi prædicavit *Joachimus Willerus*, in hac ætate egregius juriſconſultus, civis veſter, mihiq; magna neceſſitudine conjunctus, qui ſingulatim complures etiam commemoravit, auctoritate, dignitate & amplitudine præſtantiſſimos viros, quorum non modò ad tuendam Rempublicam excitatus ſit animus, ſed & voluntas confirmata. Ac quum Plato eas demum beatas fore Reſpub. putet, quas aut docti aut ſapientes homines regere cœpiſſent, aut qui eas regerent, multum ſtudij in doctrina & ſapientia collocaſſent: fortunata quoque veſtra civitas ſit oportet, cujus gubernationi tot clariſſimi & virtute & doctrina viri præſunt. Itaque quum illos, in quibus excellentes illas & ingenij & animi dotes eluceſcunt, ſemper plurimi fecerim, non alienum exiſtimavi, in hac præfatione cùm erga vos omnes hoc meum ſtudium animiq; affectionem teſtificari, tum erga illos, quorum explorata eſt mihi benevolentia, gtatam voluntatem declarare.

Quocirca ob hanc quoque & veſtræ erga me benignitatis memoriam, & mei erga vos amoris & obſervantiæ ſignificationem, meam operam

non

non ingratam vobis fore ſpero ; ac ut poſtrema cauſa tanti ponderis non ſit, tamen priores duas pro tam gravibus & juſtis habeo, ut non dubitem, quin vel earum ſolùm intuitu hoc meum ſtudium ſitis in bonam partem accepturi. Bene valete. Spiræ Cal. Martij 1575.

NICOLAI CISNERI
DE HISTORICIS GERMANIÆ ET OPERE HIſtorico D. Simonis Schardii; iisq; legitimo ordine diſponendis Epiſtola

Ad

Henricum Petri Basileensem.

Occaſio & argumentum Epiſtolæ.

CL. V. D. Simon Schardius Iuriſconſultus & hiſtoricus præſtantiſſimus, olim Illuſtriſſimi Palatini Wolfgangi, Ducis Bavariæ, & Biponti, &c. Conſiliarius, poſt Imperialis Cameræ, quæ Spiræ eſt, aſſeſſor, Collega Ciſneri cõjunctiſſimus, pro ſingulari ſuo, in rem publicam & literariam ſtudio, præter alia plurima ingenij & doctrinæ monumenta, reliquit etiam hiſtoricum opus in IV. tomos diviſum, quorum Primus Antiquæ Ger-

Digitized by Google

maniæ deſcriptionem ex autoribus priſcis & recentioribus continet. Alter ea, quæ Imperio Cæſaris *Caroli V.* geſta. Tertius, quæ in gubernationem *Ferdinandi* inciderunt, ab anno Domini M D LVIII. ad finem anni LXIII. Quartus ea, quæ poſt acciderunt, Imperante *Maximiliano II.* uſque ad annum M D LXXIV. complectitur. Prodijt illud ex officinâ Henrici Petri Baſileæ anno M D LXXIV.

Ac conſtituerat quidem autor, ut ex præfatione Operis patet, abſolutam Germanicarum rerum hiſtoriam in lucem proferre, & poſteritati conſecrare, ſingulorumque annorum geſta adjungere; ſed oppreſſus morbo fatalique neceſſitate, tomum quartum non abſolvit, nec niſi ad medium Annum M D LXXII. perduxit; quo ipſo, dum in iſto volumine deſudat, in vivis eſſe deſiit. Itaque Typographus Henricus Petri, D. Ciſnerum, quem in hoc genere diu verſatum, & omnis hiſtoriæ cognitione plæriſque præſtare noſſet, impensè rogavit, ut quæ ad opus iſtud ornandum & abſolvendum pertinerent, adjiceret. Qui hac epiſtolâ, judicium ſuum de Schardij tomis aperit; quid in ijs deſideret, & quo ordine Hiſtorici, qui de Germaniâ ſcripſerunt, juſtâ & luculentâ methodo diſponendi ſint, oſtendit; operamque ſuam, in adornando & edendo meliori Theſauro hiſtoriarum, pollicetur: quod utinam, uti voluit, præſtare potuiſſet: verum ipſe quoque, plurimis occupationibus, tandem morte præpeditus, exſpectationi non ſatisfecit. Interim tomis Schardij ornandis non defuit. Hanc autem

autem epiſtolam, quam ex chartis ipſius ſitu obductis, erui & emendavi, lectoribus gratiſſimam fore nullus ambigo.

Q. R.

SALVTEM.

VIR clariſſime. Litteras tuas, unà cum quatuor hiſtoriarum tomis, attulit mihi tabellarius Argentoratenſis, &c. Utinam verò tomos illos multò ante habuiſſem, quàm à te impreſſi ſunt, eoſque recognoviſſem. Nam re cum doctiſſimis, qui hic ſunt, viris communicata, ſuadere tibi planè non poſſum, ut Opus ita exire ſinas; multò minus, ut inſcribas, *Theſaurum hiſtoriarum*. Cùm enim omne id tempus, quod mihi ab occupationibus judicialibus reliquum fuit, in lectionem horum librorum impenderim; non pauca inveni, quæ diſplicuerunt. In primo tomo rectè initium factum eſt, à generalibus, de Germaniæ deſcriptionibus & hiſtorijs. Sed argumentum hoc totum non particulatim perſequendum erat. Et plurima ſunt ejus generis omiſſa. Vetuſtiſſimi etiam quique primo loco, atque ita ordine collocandi fuiſſent. Præponenda ergo illa ſunt *Cornelio Tacito*, quæ de Germaniâ generatim ſcripta exſtant apud *Plinium* & alios, qui ætate Tacitum anteceſſerunt.

Proximè autem eidem ſubjicienda, quæ de eâdem materiâ ex PTOLOMÆO, Itinerario Antonini, Pomponio Mela, & Vadiani commen-

commentario in eundem, Solino, Notitia utriuſq; Romani imperij, Sexto Rufo, Euſebio, Procopio lib. 1. Paulo Diacono lib. 1. Ammiano Marcellino, & alijs ſcriptoribus peregrinis, Latinis vel Græcis, excerpenda, eaque digerenda ſecundum ordinem temporum, uſque ad hoc noſtrum ſeculum. Eadem ſeries ſervanda in noſtris ſcriptoribus Germanis, qui generaliter ſitum, mores, & populos Germaniæ deſcripſerunt; ex quibus tu Birckheimerum, Bebelium, Wimphelingum, Peutingeri ſermones, (ex quibus ſecundum caput planè non pertinet ad noſtrum inſtitutum) Gebwilerium, Celtem, Huttenum, Arminium, cui adjungi debet opuſculum ejuſdem de non degeneri ſtatu Germanorum; Æneam Sylvium, Munſterum, non obſervato ordine temporum (qui facilè ſervari potuiſſet) in hoc primo tomo es complexus. Verùm his alij quoque addendi fuiſſent; ut generalia ea, quæ exſtant apud Beatum Rhenanum de Germaniâ, veluti à principio; *Germania vetus*, &c. *Germania recentior*, &c. uſq;, *Germanorum quorundam Septentrionalium*, &c. ex libro 1. ex lib. 2. *Germanicum regnum*; *Romanum Imperium*; *ſtatus Germaniæ* ſub Imperatoribus Germanis, &c. Item ex Franciſco Irenico; ex Ioanne Aventino ea, quæ ad generalem Germaniæ ſtatum pertinent. Item, explicatio illa veterum Germaniæ populorum Caſpari Peuceri, quam in Chronicis, lib. 4. Carolo Magno præpoſuit. Præterea ex Wolfgangi Lazij libris de migrationibus gentium, quæ in principio cujusque libri tractare ſolet. Item ex libris de Romano Imperio, eo in loco,

loco, in quo deſcribit Romanorum in Germaniâ provincias.

Poſt has deſcriptiones generales populorum & morum Germanicorum, rectè adjici potuiſſent hiſtoriæ aliquot veterum Germanorum, veluti de *Arminio* Ulrici Hutteri dialogus, Georgius S. Palatinus, & alij. Atque hæc omnia in unum corpus ſimul redacta, juſtum conficerent tomum, in quo veluti ſub faſce quodam ſimul colligata, quæ generaliter de Germania hinc inde ſcripta exſtant, lector haberet.

Secundus tomus conſtituendus eſſet de ſpecialibus & particularibus populis Germanorum; atq; deſcriptiones hujuſmodi ordine quoque colligendæ & diſponendæ fuiſſent. Itaque in hoc genere non uno modo peccatum eſt: Primò, quòd hæc ſpecialia generalibus ſunt immixta. Secundò, quòd confusè nullâ ætatum, autorum, & ordinis ratione habita ſunt edita. Tertiò, quòd plurima omiſſa, & vix tertia pars congeſta ſit in primum tomum, & aliquando inter ipſa generalia, ita ut & generalia præcedant & ſequantur. Exempla habes in Bebelio de laude Suevorum, &c. quamvis excuſari id poteſt; quia ejuſdem autoris alia quædam ſunt conjuncta. At nulla eſt ratio, cur inter generalia pagina 301. epitome Tritenhemij, de origine Francorum poſita ſit. Nam ſequuntur poſtea univerſalia de Germaniâ Wimphelingi, Hutteni, Gebwilerij, Celtis, Æneæ Sylvij, Munſteri, &c. Hæc cum Ægidio Schudo & Heroldo de Rhetiâ Alpinâ & littorali, & Glareano de Helvetia, &c. Huberto Leodio de Tungris & Eburonibus, P. Divæo, de antiquitatibus

tatibus Galliæ Belgicæ, ſubjicienda ſimul fuiſſent, & continuâ ſerie, generalibus non immiſcenda: particularia ſive ſpecialia utroq; tomo complectenda fuiſſent. Multò verò minus his adjungi debuit Chronicon illud monachi Hersfeldenſis (is eſt Lambertus Schafneburgenſis) quod inſertum eſt primo tomo, paginâ 694. cum nec ad generales nec ſpeciales Germaniæ deſcriptiones pertineat, ſed paucis antiquioribus hiſtorijs ab initio notatis, & quorundam Imperatorum rebus aliquib. geſtis; præcipuè tractet de vitâ & actis Heinrici IV. Imperatoris. Quod cum nec prioribus nec poſterioribus congruat, ſeparatim Chronicon illud, vel cum ejuſdem argumenti aliis libris edendum fuiſſet. Nam de vita & rebus geſtis *Heinrici IV.* hos autores ſcripſiſſe, & ſeparatim exſtare reperio. Anshelmum Lucenſem & Wilhelmum Girſavenſem, qui pro Papa Gregorio VII. ſive Hildebrando, contra Pontificem ſcripſit Hersfeldenſium Theologus; ita Aventinus libro V. Annalium. Hunc puto fuiſſe Hardewicum Abbatem Hersfeldenſem, virum doctiſſimum, quem Henricus IV. creavit Archiepiſcopum Magdeburgenſem: Item

Hugonem Alſatium, qui tutatus eſt partes Imperatoris; meminit Aventinus.

Marianum Scotum, cui & ſocijs ejus, multa conceſſit Henricus IV. privilegia, eosque immunitatibus donavit.

Wenceslaum Abbatem Altaichij inferioris, qui & annales Bojorum ſcripſit: is cum Annone

Archie-

Archiepiſcopo miſſus eſt à Cæſare Henrico IV. ad Pontificem legatus: & fuit illi à Conſilijs.

Librum incerti autoris, de Henrico IV. ſub ejus imperio ſcriptum, quem Aventinus tradit exſtare in Bibliothecâ Ratisbonenſi.

Idem meminit annálium manuſcriptorum de Henrico IV. ab anno M LIX. uſque ad annum M C XLV.

Paulum Bernridenſem Canonicum Auguſtanum: &

Gerochum Reichensbergenſem, Ratiſbonenſem Canonicum; qui de diſſidio illo inter Cæſarem & Pontifices ſcripſerunt; verùm adeò Hildebrando dediti fuerunt, ut propterea in exilium ſint acti. Meminit Aventinus lib. V.

Idem tradit in Bojaricis Bibliothecis exſtare epiſtolas, diplomata, reſcripta, edicta, Henrici IV. & Hildebrandi; ultrò citroque miſſa, ex quibus vitam Henrici, ipſe bonâ fide compoſuerit.

Impreſſos autem hos invenio. De ſchiſmate inter Henricum IV. & Gregorium VII. librum repertum in Fuldenſi Bibliothecâ. Moguntiæ, anno M D XX. editum.

Lamberti Schafnæburgêſis Chronica, de Henrico IV. Tubingæ impreſſa.

Carmen Hexametrum de rebus geſtis Henrici IV. ſuo tempore venale circumgeſtatum Aventinus tradit.

Aventinum,

Stumpfium qui Henrici IV. vitam & res geſtas Germanicè multis deſcripſit.

Suffe-

Suſſerum de bello Saxonico, ab Henrico IV. geſto. Orationem Philippi Melanchthonis, de Henrico IV. & Rodolpho Duce Sueviæ, anti Cæſare à Pontifice conſtituto.

Marianus Scotus monachus Reginoburgenſis, Otho Friſingenſis, & ipſe Reginoburgenſis monachus, Hermannus Veringenſis, ſub Henrici quarti imperio floruerunt, ut & Abbas Altaichij: ſed noſtrâ ætate doctiſſimè ſcripſit Stumpſius. His addi poſſet vita Heinrici quinti, filij Heinrici quarti, cùm ab aliis, tùm tribus libris deſcripta, à Davide Scoto, ſocio Mariani, ejuſdem Heinrici quinti conſiliario.

At particularibus illis gentium & populorum Germanicorum deſcriptionibus, ſi non quæ de Aboriginibus, Bojis, Senonibus, Cimbris, Marſis, Celtis, Chaucis, Cheruſcis, Tauriſcis, Iapygibus, Tribocis, Hermunduris, Ariis, Saxonibus, Venedis, Marcomannis, Getis, Alanis, Herulis, Rugis, Gepidis, Burgundionibus, Alemannis, Quadis, Hunnis, Longobardis, & ſimilibus vetuſtis Germaniæ populis, à Polybio, Iulio Cæſare, Diodoro Siculo, Dionyſio Halicarnaſſæo, Livio, Vellejo Paterculo, Lucio Floro, Tacito in annalibus, Suetonio, Appiano, Arciano Nicomedienſi in Alexandro; Dione, Iulio Capitolino, Ælio Lampridio, Trebellio Pollione, Herodiano, Flavio Vopiſco, D. Hieronymo, Euſebio, Claudiano, P. Oroſio, Eutropio, Beda, Ammiano Marcellino, Caſſiodoro, Iſidoro, Martiano Capella, Iuſtino, Suida & alijs ejusgeneris autoribus memoriæ tradita ſunt, at certè inſigniores loci, Chorographiæ, & topographiæ,

graphiæ, de Bohemis, & Bojarijs, Sicambris, & Francis, Vandalis, Saxonibus, Gothis, Danis, Suecis, Norwegis, Friſijs, Weſtphalis, Batavis, Chattis; Turingia, Miſnia, Tractu Rhenano, Alſatia, Helvetia, Suevis, Vindelicis, Noricis, Auſtria, Charionibus, Rhætis, ſimilibusq; Germaniæ nationibus, tum ex veteribus tum ex recentioribus ſcriptoribus, ne opus hoc mutilum mancúmve ſit, adjiciendi, iisq; ætatum & temporum ratione habitâ nunc præponēdi, nunc ſubjungendi eſſent. Exempli causâ Bebelij libello de laude Suevorum anteponendum eſt principium libri quarti commentariorum Cæſaris de Suevis; ſubjicienda, quæ de Suevorum origine, & ſitu Aventinus in principio libri ſexti ſcribit. His addendum principiū Wolffgangi Lazij, libro octavo de migrationibus gentiū, & caput de Suevis ex Boëmo de morib. omniū gentiū. Inſigniores dico, quia breviores notationes aut narrationes de Suevis, cujuſmodi ſunt apud Iul. Cæſarem libro 1. Vellejum Pat. Tacitum in hiſtoriâ Auguſti, præſertim lib. 12. Lucanum lib. 1. Silium Italicum libr. 2. Claudianum pluribus in locis, Ammianum Marcellinum, Arrianum, Iuſtinum lib. 38. Sidonium Iornandum, Flavium Vopiſcum, Auſoniū & alios ſimiles, aggregandi ſunt ad Strabonē, Piniū, Ptolemæū, & eiuſdem generis reliquos, qui generatim de ſitu & morib. Germanorum ſcripſerūt, à me ſupra relato in primū tomum.

Idem inſtitutum retinendum erit in Francis. Nam Tritenhemio de origine gentis Francorum præponenda ſunt, quæ de iiſdem memoriæ commendavit Procopius, Sidonius, Agathias, Paulus

Digitized by Google

Diacon⁹,Otho Friſingēſis,Blōd⁹,Sabellic⁹,Albertus Krātzius. Subdēdæ autē deſcriptiones Franciæ, Francorumq;, & origines eorū apud Aventinū lib. 4.à fol.313. uſq; ad 318. apud Laziū in princip.lib.3. apud Hermannū comitē Nuewriū: in præfatione ad Eginhardū de vitâ Caroli Magni. Sed quia,ut tibi ſignificavi,de Frācis propriū op⁹ colligo;quæ de ijs ſparſim tradita ſunt à D.Hierony.Euſebio,Evagrio,Sulpitio Severo, Oroſio, Caſſiodoro, Eutropio, Amiano, Marcellino, Claudiano, Flavio Vopiſco,Luitprādo Ticinēſi, Suida,Martiano Capella, Ant.Bonfinio,Platina & alijs;ad id referemus,ut & rerum Francicarū ſcriptores, Hunibaldū,Eginhardum,Adonē Viennenſem,Aimoniū monachū, Georgiū Turonenſem, Annales regū Francorum ſcriptos à monacho quodā Benedictino Wunifridū Maguntinenſem epiſcopū,Werinbertū S.Galli Abbatē,Volcomarū Furſtenfeldenſē Abbatē,Hermannū Abbatē Altaichij inferioris,Clementē Scotū,Reginonē,Sigebertū monachū Gemblacēſem, Turpinū verum,non fictitiū,Joh.Tritenhemium, Paulū Æmiliū,Robertū Gaguinū,Nicolaū Gilliū, Majerū,Buſcherū,Mūſterū & alios recētiores. Eadē ratio ſervāda erit in aliorū populorū deſcriptionib.quorū hîc inter ſpecialia,nulla fit mentio. Addēda igitur Bohemia Æneæ Sylvij,& Bojemi Bojaria&Bojariorū deſcriptio ex Avētino,Lazio,Appiano juniori; Auſtria Lazij,& Cuſpiniani; Gothiæ, Suediæ,Norwegiæ ex Joh.Magiro ut & aliorū populorū ex Staniſlao ejuſdē fratre. Gothię quoq; deſcriptio eſt apud Procopiū,Agathiā,Sidoniū Apollinarē,Daniæ & Saxoniæ ex Alberto Crātzio,ut & Vandaliæ:Itē origines Saxonū ex principio libri V.

Avẽtini. Rheni deſcriptio à primis ejus fontib. uſq; ad Oceanũ Germanicũ cum ex alijs, tũ ex Bernhar. Mollero, Auſonij Moſella, Nicer ſive Neccarides Ioachi. Mynſingeri, Danubi⁹ cũ aliorũ tũ Auſonij, & Am̃iani Marcellini, Miſnia & Turingia Fabritij, ut & Saxonia ejuſdẽ. De ſitu & morib. Hollandiæ Chryſoſt. Neapolitanus. Batavia eorumq; mores & laudes Eraſ. Roterodami, & Gerardi Noviomagi. Deſcriptio Ultrajectinæ diæceſis Gerardi Liſtrij; Alſatia Beati Rhenani. De Vindelicis Avẽtin⁹ lib. 2. Idẽ de Chariõnũ ſitu & origine lib. 6. ad fi. Greichgoja D. Chytræi, Norimberga Eobani Heſſi. Sed ejuſdẽ Germaniæ noſtrę doctę & elegãtes deſcriptiones alię multæ exſtãt, quę ex ſeparatis illis opuſculis adjungi poſsũt, & juſtũ tomũ cõſtituũt. Ego illas modò annotavi, quæ jã in mentẽ venerũt. Quod ſi igitur res nobis eſſet integra, egregios duos tomos, in hoc argumẽto conficerem⁹, primũ de generalib. ſive univerſalib. ſecũdũ de ſpecialib. ſive particularib. populorũ, & morũ cujuſq; Germanicæ gentis deſcriptionib. quæ in tui operis primũ tomũ nullo ordine, ſed confusè, nec integrè, ſed vix ex dimidiâ parte congeſta ſunt. Sed quia tu & indicẽ jã eidẽ tomo præpoſuiſti, & ſingulas paginas numeris annotaſti, id fieri jã amplius nõ poteſt. Nec verò ſuadere tibi poſsũ, ut cũ ingenti ſumptuũ jacturâ abjicias, nec rurſus, ut ita edas. Non modò enim nulla inde laus vel ad collectorẽ, vel ad te ꝓficiſcetur, ſed apud omnes eos q in hoc genere ſtudiorũ verſati sũt reprehẽſio potı⁹ ſequetur. Et cũ op⁹ planè ſit im pfectũ ac mancũ, parvũ etiã fructũ inde lector pcipiet, cum ꝑfectius & in meliorem ordinem digeſtum ſit

deſideraturus. Exiſtimo autem D.Schardium, piæ memoriæ, diſtentum pluribus occupationibus, & qui multis ſimul typographis in alio atq; alio genere operam ſuam navare voluit, non ante ideam hujus ſui inſtituti ita animo complexū eſſe, ut accuratius de generalibus ad primum tomum, & ſpecialibus ad ſecundum tomum pertinentibus cogitarit, atq; conquiſiverit: ſed uti ſibi quodque vel ad manus fuit, vel ab amicis obiter ſuppeditatum, ita ad te promiſcuè miſiſſe, eoque factum, ut illa tantum, nullo ſervato ordine, in primum tomum conjecta, & abs te excuſa fuerint. Cæteroquin ſi quæ utrique generi, tam particularibus quàm univerſalibus deſunt ut adjungi debent, ab eodem jam ante collecta fuiſſent, & ad ſuam quamque claſſem digeſta, duos tomos conſtituiſſet, alterum generalium, alterum ſpecialium populorum & regionum Germaniæ deſcriptionum. Quare nunc nobis in id incumbendum eſt, ut rationem ineamus, qua & tibi tum pro ſumptibus atque laboribus impenſis, tum lectoris utilitati, tuæque & collectorum famæ & exiſtimationi conſulatur.

Id hoc modo non adeò incommodè fieri poſſe cenſeo. Primo ut vel in ipsâ epiſtolâ dedicatoriâ, vel in præfatione ad lectorem, & tu & D.Schardius excuſemini, cur hæc ſine ſerie edita ſint, & ex parte tantum. Deinde ut ſignificetur, in appendice, (omninò enim appendix conficienda eſt eorum, quæ deſunt, ad hoc argumentum inprimis accommodata in utroque genere) multa, quæ deſiderari poſſint, adjecta, in quibus licet & ordinem in diſponendo generalia & ſpecialia ſimus diligenter ſerva-

ſervaturi, & accuratam rationem ætatum & temporum habituri: tamen ut lectorem etiam levemus moleſtia in ijs, quæ jam confuſim in primum tomum collata ſunt, proponemus ſeriem & catalogum omnium librorum ſingulatim, tam eorum, qui jam impreſſi ſunt, quàm qui in appendice continentur. Sicut autem ſi res eſſet integra, duos tomos confeciſſemus, priorem generalium, poſteriorem ſpecialium: ita in catalogo illo duos ordines conſtituemus eorundem. Poſthæc in priori ordine generalium recenſebimus, autores ſecundum ætates & tempora, quibus vixerunt, & paginam annotabimus, ubi eius initium reperitur, ſi in jam impreſſis; ſimpliciter; ſin in appendice, nominatim appendicis mentionem faciemus. Quod ut intelligas, exempla aliqua ſubjicere libet.

Omnium ſcriptorum, qui generatim de Germaniâ quid tradiderunt & reliquerunt, vetuſtiſſimus eſt Beroſus. Sed quia non eos ſingulatim in hos tomos referemus, qui vel mentionem tantum Germaniæ fecerunt, vel pauca de eâ tradiderunt: ſed apud quos inſignes ſunt de Germaniâ Germanorumque moribus loci, ſi primum locum non daturi ſumus Beroſo, vel qui eum inter alios proximè ſequitur, Dionyſio de ſitu orbis; at certè tribuemus Iulio Cæſari, qui in libro VI. commentariorum præclarè ſcripſit de Germanis. Ergo juxta ætatem cujuſque ita annotabimus.

Beroſus, &c. lib. ---- cum Ioannis Annij commentario p. 1. in append.

Dionyſius, &c. -- -- -- -- p. in append.

Iulius Cæſar, &c. -- -- -- p. -- in append.

Sin autem breviores locos ex Beroſo & Dionyſio prætermittere placuerit, tum notandæ numeris paginæ, cum appendix impreſſa fuerit, ita:

Iulius Cæſar lib. 6. &c. cum Petri Rami commentario. -- p. 1. in app.

Strabo lib. -- &c. cum brevi explicatione, &c. p. -- in appendice.

Plinius lib. -- cũ expoſitione, &c. p. -- in appen.

Cornelius Tacitus de German. morib. &c. cum Andreæ Althameri ſcholijs, &c. pag. 1.

In eundẽ Iodoci Wilichii cõmentarius, &c. p. 73.

In eundem Henrici Glareani, &c. ſcholia, &c. pag. 179.

Phil. Melancht. de vocabulis regionum & gentium, quæ recenſentur à Tacito, &c. pag. 193.

In eundem Andreæ Alciati annotationes, quæ exſtant in ſecundi tomi fine, col. 568. p. -- in app.

In eundem Æmilij Ferreti annotationes, &c. p. -- in append.

C. Ptolomæus, &c. cum cõmentarijs. p. - in app.

Itinerarium Antonini II. &c. p. -- in append.

Pomponius Mela, &c. cum Vadiani, &c. commentario p. -- -- in appendice.

Solinus p. -- in appendice.

Sextus Rufus, &c. p. -- in appendice.

Ammianus Marcellinus lib. -- p. -- in append.

Notitia Romani imperij in occidente, &c. cum comment. p. -- in append.

Procopius lib. 1. &c. p. -- in appendice.

Paulus Diaconus lib. 1. &c. p. -- in append.

Et ſic ordine progrediendum, donec veniatur ad ſuperioris & demum ad hujus ætatis ſcriptores, &c. veluti, Æneæ

Æneæ Sylvij Germania, &c. p. 449.
Conradus Celtes de ſitu & moribus Germaniæ. p. 445.
Raphaël Volaterranus -- p. in appendice.
Iacobi Wimphelingi epitome rerum Germanicarum p. 349.
Bilibaldi Pirckheimeri Germaniæ explicatio. p. 200.
Conradi Peutingeri convivales ſermones, &c. p. 401.
Heinrici Bebelij de laude, antiquitate, imperio, victorijs, rebusque geſtis veterum Germanorum p. 256.
Ejuſdem oratio de Maximiliani I. Cæſaris, atque Germaniæ laudibus, p. 221.
Ejuſdem demonſtratio, Germanos eſſe indigenas, &c. p. 173.
Ejuſdem apologia pro defenſione Imperatorum. p. 241.
Item, Imperatorem Chriſtianum jure Chriſtianiſſimum eſſe dicendum, &c. p. 254.
Ulrici Hutteni Arminius, de laude Germanorum, p. 425.
Ejuſdem de non degeneri ſtatu Germanorum, in app. -- p.
Beati Rhenani, &c. Germania vetus in app. p. --
Eiuſdem Germania recentior, &c. in app. pa. --
Germanicum regnum, Romanum imperium, ſtatus Germaniæ ſub Impp. Germanis, &c. in appendice. p. --
Franciſcus Irenicus -- in app. p. --
Iohannes Aventinus in app. p. --

Sebaſtiani Munſteri Germaniæ univerſalis & particularis veteris & novæ deſcriptio p. 467.

Libertas Germaniæ ſcripta ab Hieronymo Gebwilerio,&c. p. 433.

Hiſtoria Georgij Spalatini de Arminio duce Germanorum p. 501.

Wolffgangi Lazij de Republic. Roman. lib. p. in append.

Caſparus Peucerus t. -- pag. in append.

De nominibus propriis Germanorum opuſculum, &c. p. 816.

His ita in appendice etiam alij eadem ratione addi poſſunt, qui interea conquirentur. Ex hujuſmodi indice lector facilè videre poteſt, quem ordinem in legendo obſervare debeat, ſine magno labore, perinde atque eodem ordine & ſerie hi libri excuſi fuiſſent.

In poſteriori Tomo tametſi ratione ordinis varij modi inſtitui poſſunt, vel vetuſtatis vel dignitatis intuitu, ita ut digniſſimi Germaniæ populi, vel vetuſtiſſimæ gentes primo loco collocarentur, atq; ita vel ad infimos, vel ad recentiſſimos perveniretur: qui tamen duo modi, quia periculoſum eſt de his cenſuram ferre, mihi diſplicent, vel ut ab orientali Germania in occidentalem deſcendamus hoc modo, Auſtria, Bohemia, Bojaria, Noricum, Suevia, Franconia, &c. vel à ſeptentrionali ad Meridionalem plagam progrediamur, vel contra, qui mihi modus magis probatur; tamen idem ordo, qui in priori genere in hoc quoque mihi potiſſimum placet, ut in diſpoſitione cujuſque ætatis ratio habeatur. Et quia in hoc ſecundo genere, ut ex præ-

Digitized by Google

ex præcedentibus colligere potes, appendix plura continebit, quàm quæ de ſpecialibus populis jam ante exſtant in tomo à te impreſſo, ejuſmodi catalogum hîc quoque adſcribere, nimis longum fuerit. Ad te verò ea, ut primum me certiorem feceris de tuâ voluntate, ordine mittam. Interea tomum quartum, antequam appendicem adjunxeris, nolim te publicare. Nec verò ille conjungendus eſt cum reliquis tribus, quibus cum nullam habet argumenti cognationem. Nam reliqui tres ea complectuntur, quæ acta ſunt ſub Caroli, Ferdinandi, Maximiliani II. imperio. At verò in primo tomo de ſitu moribusq; Germaniæ populorumque ejus, generales & ſpeciales deſcriptiones continentur. Chronicon enim illud de Heinrici IV. rebus geſtis, inſertum quidem eſt eidem tomo ad finem, ſed ad id inſtitutum non pertinet, ut ante oſtendi. Nihil autem abſurdius, quam aliorum Imperatorum actis, & quæ ſub iis memorabilia acciderunt, non præmiſſis, vel cum illis Germaniæ deſcriptionibus, vel etiam cum chronico illo, de quibuſdam Heinrici IV. geſtis, uſque ad electionem Rudolphi Suevi, continuare velle rectà noſtri ſeculi hiſtoriam: Quis vel mediocriter doctus, aut in hoc argumento paululum verſatus, id non improbaret, non repræhenderet? Separatim igitur utrumque opus eſt edendum. Prius, ſi adhuc commodè fieri poſſit, duos juſtos tomos conficeret, priorem de generalibus, ſecundum formam catalogi à me præſcripti: poſteriorem de ſpecialibus.

Quare cogitavi an non particularium princi-

pio, in appendice, præmitti poſſit hic titulus:

De Germaniâ ejusq; ſitu, & Germanorum vitâ, victu & moribus, tomus ſecundus, qui ſpeciales & particulares Germaniæ populorum, gentium, & nationum deſcriptiones, ſingulatim ex variis authoribus & opuſculis collectus, complectitur.

Nam præfationi ſive indici, in quo prima pagina tollenda eſt, ad tomum jam impreſſum hæc præponenda eſt inſcriptio.

De Germania ejusque ſitu & Germanorum vita, victu, & moribus tomus primus, qui generales totius Germaniæ, ejusque populorum deſcriptiones cum ex præcipuis exteris ſcriptoribus, tum ex varijs, Germanorum libris & opuſculis, in unum quaſi corpus redactas continet.

Principalis autem titulus in hunc modum concipiatur.

De Germaniâ eiusque ſitu, & Germanorum vitâ, victu & moribus opus, (corpus) (penus) (theſaurus) in duos tomos diviſum, quorum prior generales totius Germaniæ, eiusque populorum, &c. Poſterior ſpeciales, ſingulares, & particulares Germaniæ, gentium, populorum, nationum & regionum deſcriptiones topographias, chorographias, ſub ſe in unum quaſi faſcem (corpus) redactas, & cum ex præcipuis exterorum ſcriptorum, qui eâ de re quid memoriæ prodiderunt, tum ex variis domeſticorum autorum, qui idem argumentum tractarunt, libris & opuſculis magnâ diligentiâ, curâ & ſtudio collectas, & additionibus quibuſdam illuſtratas continent, cuius utilitatem, ordinem & ſeriem lector ex præfatione (vel epiſtolâ dedicatoriâ) intelliget, percipiet.

Sin

Sin autem tibi ita duos tomos conſtituere jam incommodum videtur, ponendum erit, in duos ordines diviſum,&c. & poſtea aliquando, ſi omnia hæc exemplaria diſtracta fuerint, duos tomos facere, eumque ordinem, qui in præfatione propoſitus eſt, in imprimendo ſequi poteris. Multò autem & pluris, & melius, & commodius & facilius utrumque opus ſeparatum per ſe vendere poteris, quàm ſi ita, ut inſtituiſti, coniungas, cùm nulla ratio ſuadeat ea, quæ omninò diverſi ſunt argumenti ſimul & unà excudere; neque in eo iuſtam omnium doctorum, & in hiſtoriis exercitatorum lectorum repræhenſionem effugere poſſis. Atque hæc de priori opere.

Poſterius opus, ad quod ſecundum, tertium & quartum tomum à te impreſſos refero de iis, quæ acciderunt ſub *Carolo V. Ferdinando, Maximiliano II.* inſcribere potes, *Noſtri temporis hiſtorias præcipuarum rerum, quæ tum ab ipſis geſtæ ſunt, tum eorum ætate non in Europâ modò, ſed & in Aphricâ & Aſiâ contigerunt, magnâ curâ, diligentiâ & ſtudio ex præcipuis & variis eorundem temporum ſcriptorum hiſtoriis, annalibus & commentariis collectas, &c.* cum epitoma rerum ſub Ferdinando & Maximil. II. geſtarum *à Simone Schardio conſcripta.*

Sed quia ita nec notæ numerorum, quæ in ſingulis paginis exſtant, nec inſcriptiones tom. 2. 3. 4. excuſari poſſunt, non abs re fore putavi, ſi ſecundo tomo, præponamus primum tomum eorum, quæ Maximiliani I. imperio acta ſunt, & evenerunt; eodem modo prorſus, ac meliori ordine, quàm qui ſervatus eſt in tomo ſecundo, Et quia ſub

ſub Maximil. I. ſive regno ſive imperio, multa admodum inſignia & memorabilia in orbe terrarum evenerunt, ſi ea ſtudioſè colligantur, tantum ferè foliorum conficere poſſunt, quantum eſt in primo à te impreſſo tomo. Atque ita non modò primus tomus repræſentaretur, & hoc opus alterum quatuor tomis conſtaret; Sed & noſtri ſeculi ſive temporis ab imperio Maximiliani I. quod iniit anno M CCCCXC III. uſque ad annum LXXIII. integram habituri eſſemus hiſtoriam. Quòd ſi altius repetere velimus, ab ejuſdem regno, quod ei delatum eſt anno Domini 1486. ferè integri ſeculi, hiſtoriam quatuor his tomis concluſam habebimus. Hoc opus quàm ſit plauſibile futurum, dici non poteſt: Confirmare tibi poſſum, multò id vendibilius fore, quàm ſi ita primum tomum, qui non eſt ejuſdem argumenti, conjungas cum tribus illis. Neque ſolùm multò magis Reipublicæ conſules, cujus te ſtudioſum eſſe ſcio, ſed & plus inde commodi atque lucri percipies. Primò enim pro uno opere malè inter ſe convenienti, duo habebis ſegregata, & optimè inter ſe congruentia. Alterum duorum tomorum, nimirùm de Germania Germanorumq; populorum vitâ, victu & moribus juſtum & integrum: Alterum verò unius ferè ſeculi vel noſtri temporis hiſtoriarum quatuor tomorum, quatuor Cæſarum, ſibi continuâ ſerie ſuccedentium imperijs diſtinctum, continens integrum & perfectum corpus. Deinde quod utrumque opus, per ſe plauſibilius & vendibilius erit, quàm id, quod jam à te impreſſum eſt, nec cohærens, nec plenè collectum, nec

ritè

ritè digeſtum. Obſecro igitur te, ne te ejus moræ pœniteat, dum hæc ita perficiantur. Nec verò te debet ejus moræ tædere, cum fructuoſa tibi potius quàm damnoſa ſit futura: cùm & Reipublicæ literariæ hoc modo magis ſit conſultum; & privatis tuis rationibus proſpectum: ad quas multò plus commodi accedet, & ubertate ſua tarditatem utrumque opus non modò compenſabit, ſed & ſuperabit. Satius autem videtur, ut priori loco opus hiſtoriarum noſtri ſeculi vel temporis perficiamus. Nam non modò utilius id erit, ſed & laudabilius. Egregiam enim operam D. Schardius, piæ memoriæ, præſtitit in epitomâ conſcribendâ rerum ſub Ferdinando & Maximil. II. geſtarum, quæ unica mihi maximè placet. Cæterùm in colligendis opuſculis, vellem eum & in addendis nonnullis maximi momenti hiſtorijs, quas præſertim in ſecundo tomo ſub Caroli Imperio omiſſas cognovi, & quibuſdam prætermittendis, quæ impreſſa exſtant, & in omnibus ijs ordine, & juxta temporum ſeriem digerendis diligentiorem & cautiorem fuiſſe. Sed & his, quoad poterimus, medebimur, & ubi non poſſumus remedium adhibere, excuſabimus. Reliquum eſt, ut quid tibi videatur, mihi quamprimum reſcribas. Reſpondiſſem citius ad tuas literas binas, ſed præterquam quod legationibus quibuſdam ad Electorem Palatinum, & alios proceres, ob rem frumentariam mihi ab ampliſſimo collegio noſtro impoſitis impeditus fuerim, quicquid mihi temporis ſuperfuit, omne & in legendis ijs, quæ mihi à te miſſa ſunt, & in his literis exarandis cum impenderim, citius

tamen

tamen eas perficere non potui. Proximè ad te ſcribam ſpeciatim magis, quæ mihi in ſecundo tomo, qui eſt de Caroli V. Imperio, annotare viſum fuerit; primum tomum, de ijs, quæ Maxim. I. regnante facta ſunt, intra annum, Deo volente, abſolvam, & intrà idem tempus, tum ad finem perducam quartum tomum in duorum annorum 72. & 73. rebus geſtis adjungendis, tum in appendicibus ſupplebo, quæ ex aliorũ opuſculis deſunt, in iiſdem tribus tomis, quorum multa in ſecundo tomo, pauciora in tertio & quarto deficiunt. Quod ſi tibi viſum fuerit adiectis appendicibus interea ſecundum & tertium tomum divulgare non repugno. Malim tamen te ad annum differre, donec ſimul omnes quatuor tomos perfeciſſemus. Omninò autem, ut ad proximas nundinas ipſemet Francofurtum eâ de cauſâ proficiſcar neceſſe eſt. Nam Mareſchallus ne dimidiam mihi quidẽ partem eorum attulit, quæ annotaveram. Te quoque vehementer oro, ut omnium hiſtoriarum Germanicarum & hujus ſeculi intra annos 100. excuſarum, vel à vobis Baſileę, vel quas in veſtris bibliopolijs habetis, mihi quamprimum indicem mittas, ut videam, quæ mihi deſint. Eorum quoque mihi copia facienda eſt, quæ à D. Schardio reliqua habetis in annum 72. nam ultima pagina ſatis oſtendit, vobis adhuc quædam ſupereſſe. Conſtare autem mihi debet, ubi deſierit, ut ibidem incipiam. Abſoluto hoc opere intra ſex menſes alterum opus perficiam, quod eſt de Germaniæ generalibus & ſpecialibus deſcriptionibus. Inde de rebus Franciſcis opus, quod interea intermittam, & in his, quoad li-

ad licuerit per occupationes judiciales, totus ero. Oro autem te, ut quamprimum reſcribas, & catalogum fieri cures, de ijs hiſtorijs, quas apud vos habetis. Bene vale, vir ornatiſſime. Spiræ 16. Decembris, Anno M D LXXIII.

Tuus

NICOLAUS CISNERUS.

NICOLAI CISNERI

PRÆFATIO IN TOMUM PRIMUM HISTORICI Operis D. SCHARDII.

CUm in omni diſciplinarum genere, tum in hiſtoriis legendis utile eſt, quæ diſperſa & ſegregatim hinc inde de eadem materia à diverſis authoribus ſcripta ſunt, ea undiq; congregata conjungere, & in unum quaſi corpus cogere. Itaq; licet Simon Schardius, *vir doctus & hiſtoriarum ſtudio admodum deditus, pro eo munere, quod geſſit, magnis multiſq; occupationibus diſtineretur; tamen ſubciſivis horis, & generales & ſpeciales de Germania & Nova & Veteris ſitu, Moribus, Populis, atq; Regionibus deſcriptiones quaſdam, ex multis & variis, tum vetuſtis, tum ſuperioris ætatis, noſtræq; memoriæ authoribus collectas in unum volumen retulit. Quo autem conſilio hujuſmodi deſcriptionibus primum locum hujus Operis tribuerit; non eſt, quod*

quod Lector admodum ſit ſollicitus? Nec offendi magnopere debet, ſi fortaſſe non accuratam rationem, vel in congerendo, vel in diſponendo adhibitam eſſe, in hoc Tomo intellexerit. Id igitur potius humanus Lector ſpectet, multorum diverſorum authorum varia opuſcula ejuſdem ferè generis ſub unam veluti claſſem redacta eſſe, quæ nec paſſim in Bibliothecis extent, nec ubiq; ſint etiam in celebribus Bibliopoliis venalia. Hac de cauſa etiam Chronicon illud monachi cujuſdam Herveldenſis, quod præcipuè ad vitam & res geſtas Henrici IV. pertinet, licet cum argumento hujus Tomi non congruat, tamen quia antea paucis viſum eſt, ei eſt inſertum. Quòd ſi jam hunc laborem Lector boni conſuluerit: curabitur, ut in quibus vel judicium, vel ordo deſiderari poteſt, ea omnia temporis progreſſu emendentur & perficiantur, qua in re vir quidam eruditus & magna hiſtoriarum cognitione præditus, Typographo operam ſtudiumq; ſuum promiſit. Bene vale. Calendis Auguſti. Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto.

FINIS LIBRI II.

NICOLAI
CISNERI IC.
Opuſculorum
LIBER III.

Qui continet

ORATIONES DE

Iuris origine: num id opinione conſtet.
Iuriſprudentiæ dignitate, &
Fr. Duareni operibus.
Iuriſconſultis antiquis Romanis, eorumq́ ſucceſſoribus.
De juris Profeſſoribus & auditoribus.
De Ioh. Mylæo, I. V. D. Profeſſore Heidelb.
De cæde Germani cujuſdam Biturigib.
De Legib.
Ad Ariſtotelis Ethica. &c.

Digitized by Google

ORATIO

DE ORIGINE IVRIS, & illa nobili Quæſtione,

Naturáne Ius an opinione conſtet?

HABITA à

D. NICOLAO CISNERO JURISCONSULTO,

Cùm Profeſſionis Extra-ordinariæ Heidelbergæ initium faceret

Calend. Quinctil. ANNO M. D. XXC.

CUM non ſolùm ad hanc ſcholam multos cùm literarum, tùm juris ſtudioſos; ſed omnis ordinis ampliſſimos & clariſſimos viros, & Collegij noſtri & honoris mei cauſa, publicis privatisq; negotiis ſuis poſtpoſitis, cōveniſſe omni ex parte conſpiciam: In id mihi ſumma cura ſum-

Digitized by Google

mōq; ſtudio incumbendum eſſe intelligo, ne fruſtra ad hunc cœtum Academicum ornandum acceſſerint: ſed aliquem inde fructum referant.

Quoniam verò, quibus illi & ingenij dotibus, & doctrinæ prudentiæq; laudibus præſtant; eæ in me ſint exiguæ, tametſi ea facultas me deficiat, quam hic ornatiſſimus cœtus inquirit, ad quem nihil niſi perfectum arte, elaboratum induſtria adferre oportebat; nec eorum de me expectationi reipſa ſatisfacere potero: tamen pro ſua & humanitate & erga me benevolentia ſpero eos promptæ in me voluntatis ſignificationem boni conſulturos, & me præfantem benignè audituros.

Finis hominis. Ac primò, quod à Deo Opt: Max: ſemper deprecari debemus, ut, quando ille ad ſui gloriam, ſocietatem inter nos, utilitatem Reipublicæ, & ſalutem noſtram, nos creavit: ad eum ſcopum omnes cogitationes actionesq; noſtras aggregemus: idem nunc in hoc celeberrimo conventu ab eodem precor, ita mihi gratia ſua præeſſe velit, ut in hoc interpretandarum legum munere, omni animi contentione iſtuc aſpirem, cumq; mihi finem propoſitum habeam, quem ipſemet in conſtitutione Iuris ſpectavit.

Ortus juris à Deo. Eſt enim ortus juris à Deo, qui à principio eam vim homini indidit, ut & mens turpia ab honeſtis ſecerneret, & voluntas illa averſaretur, hæc perſequeretur, & appetitus rationi obtemperaret. Ac quidem & harum facultatum conſenſione homo ſuapte ſponte ad benè beateq; vivendum ferebatur. Quin virtutis actione abſolutâ nihil ſibi prius, nihil antiquius ducebat. Hoc enim, cum natura

hominis

hominis integra eſſet, proprium eius erat officium, & quo felicitatem quoq; ſive ſummum bonum ejuſdem, Ariſtoteles lib. I. de moribus ad Nicomachum inveſtigare conatus eſt. Nam finis cuiuſq; ultimus, qui & finis bonorum dicitur, in cujuſq; officio & munere eſt poſitus. Atqui proprium hominis à Deo conditi munus erat, ex virtute vivere. Quare & in virtutis actione completa, ut quæ ex præſtantiſſimis ejus facultatibus proficiſcatur, beatitudinem, ſive ſummum hominis bonum Ariſtoteles locavit. Quod ſi homo, ut ab initio à Deo factus, incorruptus manſiſſet, quod omninò exiſtimavit Ariſtoteles; vera hæc eius de ſummo bono eſſet ſententia: qua de re jam olim pluribus diſſerui. In prima ergo hominis conditione Ius non in tabulis aut ære, ſimilíve materia: ſed in ipſis hominum animis inſcriptum, inciſum & inſculptum erat. Elucebat enim in eo imago Dei, qui ad ſui ſimilitudinem eum formârat. Similitudo autem hæc cernebatur in Sapientiâ, Iuſtitiâ, aliiſq; honeſti partibus, & cumulata bonorum complexione. Hæc erat illa ætas aurea, de qua Poëtæ

——— ——— Quæ vindice nullo
Sponte ſua, ſine lege, fidem rectumq; colebat.
Pœna metusq; aberant, nec verba minantia fixo
Aere legebantur, nec ſupplex turba timebat
Judicis ora ſui. &c.

Poſtquam lapſu primorum parentum συμφωνία illa inter ſe facultatum animi perturbata eſt, idemq; eis accidit, ut fidibus plurimis, cum nulla earum numeris contenta eſt, ut concẽtum (harmoniam) ſervare poſſint, incontentæ exiſtant: Sic indies

magis atque magis mens obſcurata, voluntas ab appetitu & vitioſis affectionibus in tranſverſum rapta eſt. Cùm igitur & notitiæ illæ, quas Græci ἐννοίας vocant, à Deo animis hominum impreſſæ, tanta caligine involverentur, ut vera à falſis, honeſta à turpibus, juſta ab injuſtis vix diſcriminare poſſent, & quid faciendum fugiendumq; videre; cùm appetitus, qui lege naturæ ſubiecti ſunt, rationis latius evagantes obedientiam abjicerent; ut conſociatio hominum, incolumitasq; civitatum ſervaretur, leges ferre & præſcribere oportuit, quæ & honeſta imperarent, & contraria prohiberent, quarumq; autoritate homines cogerentur, domitas habere libidines, refrenare cupiditates, & ab alienis abſtinere. Hoc enim in Iure ſtatuendo ſpe-
" ctandum eſt, ut honeſtè vivatur, ut nemini nocea-
" tur, ut ſuum cuiq; tribuatur. Siquidem ad juſtitiam jus omne eſt referendum, qua ſocietas hominum inter ipſos & vitæ communitas quaſi continetur. Nam poſt verum Dei cultum, qui in ſacroſanctis literis traditur, ſuprema lex in rebus huma-

Lib. 1. Offic. 1.

nis nobis Reipublicæ ſalus eſſe debet. Itaq; Cicero hæc fundamenta Iuſtitiæ ponit, ut ne cui noceatur, ut communi utilitati ſerviatur, ut ſuum cuique tribuatur, ut rerum contractarum fides ſervetur.

*L. Iuſtitia. in 1. Reſp.
*§ Iuris præcepta. Inſt. de Iuſtitia & jure.
*Lib. 3. Off.

Eadem his tribus præceptis Iuris comprehenderunt *Ulpianus* * & *Juſtinianus* *, quæ modò poſui. Idem Cicero * tradit, non hoc ſolùm naturâ, id eſt jure gentium; ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis civitatibus Reſpublicæ conſervantur, eodem modo conſtitutum eſſe, ne cui liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. Hoc enim ſpecta-

ſpectare leges, hoc velle, incolumem eſſe civium conjunctionem, quam qui dirimant, eos morte, exſilio, vinculis, damno coërcere.

Verùm in his tenebris mentis, in hac voluntatis depravatione, vitioſitate appetituum, & contumacia perturbationum animi, multi ſæpè populi & civitates in jure ponendo ab his fundamentis & & regulis receſſerunt. Etenim id potius, quod ſibi commodum, quod opportunum, quod gratum viſum, quàm quod cum normâ Iuſtitiæ congrueret in legibus ſciſcendis, moribus recipiendis, ob oculos poſuerunt. Quo factum eſt, ut non modò alij populi, & civitates alia atq; alia jura civilia; ſed inter ſe concertantia induxerint. Itaq; & olim fuerunt, & etiamnum ſunt non pauci, qui dubitarint, *Jus naturâ ſit, an opinione.* Recordor quoſdam magnos viros non diſputationis causâ, ſed ex animo aſſeruiſſe, jus ex opinione conſtare.

Quanta enim hujus vis ſit in omnibus humanæ vitæ partibus, quoquo verſus mentem atq; oculos converteris; nemo eſt, quin intelligat. Teſtatur hoc Græcorum proverbium, ἡ δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν. Ac quidem de delectu ſcriptorum & genere orationis ſive dicendi, jam pridem hoc conqueſtus eſt eximius noſtri temporis orator, quod plures adhuc ineptis & ſtultis & barbaris, quàm cultis & prudentibus & ornatis ſcriptoribus delectentur. Vim enim fieri noſtra ætate literatis præclaroq; judicio præditis hominibus, non armis; ſed opinionibus; vulgusq; nihil niſi petulans & diſſipatum & fluens in oratione credere eruditum eſſe. *Opinionis vis.*

Veniamus nunc ad Iuriſconſultos, quibus ſi ul-

Digitized by Google

liſ alijs, naturalis ad diſſentiendum ineſt facilitas. Unde & Fabio teſte, illis diverſas inter ſe tueri opiniones, conceſſum eſt. Itaq; ex interpretibus opinionum infinitum numerum ac quaſi pelagus colligere licet. Hinc ille inter eos conflictus, cum vel in diſputando, vel de jure reſpondendo, vel judicando, ut plerunq; fieri ſolet, doctorum placitis nituntur. Alius enim hanc, alius illam ſententiam, communem eſſe contendit: alius utramq; quidem communem, ſed alteram communiorem. Quare majorem eius in definiendis controverſiis rationem habendam eſſe, quæ plurium conſenſu ſit comprobata. Propone tibi præcipua in Germania, in Italia, in Gallia, in Hiſpania, tribunalia, prætoria, judicia: cognoſces, quando ex jure communi cauſas diſceptant & definiunt, ferè opinionibus magis, quàm autoritate conſtitutionum & legum id fieri. Idem accidit in interpretatione juris Iuſtinianei & conſtitutionum Imperialium in pleriſq; Germaniæ, Italiæ, Hiſpaniæ Academijs. Gallia aliquas habet ſcholas privatas.

Iuriſconſ. varia opiniones.

Ac quidem tanta autoritas communi opinioni tribuitur, ut multi ſcriptum reliquerint, ab illa nec in conſulendo, nec in judicando recedendum eſſe, id quod à pleriſque pro certo axiomate receptum eſt. Quare magno applauſu accepti ſunt illi, qui eas ex aliis libris congeſſerunt. Horum non pauci in unum quaſi corpus redacti, ſuperioribus annis ſimul editi ſunt. Atq; hos longè præclarius de Iuriſprudentia mereri, qui ex ſuperioris temporis interpretum voluminibus eas obſervarunt, excerpſerunt & comportarunt, quàm qui novos commenta-

mentarios ſcripſerunt; & doctus & exercitatus Iuriſconſultus, ante annos aliquot publicè profeſſus eſt. Quæ autem earum ſit firmitas, quæ conſtantia, inde perſpici poteſt, quòd temporibus commutentur. Alia enim placita recepta ſunt Azonii, Iohannis, Martini, Placentini, Bulgari, Bilij & Accurſij temporibus: alia inſequentibus ſeculis à Bartholo, Baldo, Angelo, Immola, Alexandro, Sadoleto, Iaſone & ſimilibus: Alia rurſus hac noſtra eruditiſſima ætate. Rectè igitur Fabius, *jus ſemper diſputari, nec unquam ſatis judicatum eſſe.*

Sed alias opiniones aliis temporibus communi conſenſu laudatas eſſe, uno atque altero exemplo declarabo. Olim communis erat opinio, mandata juriſdictione etiam imperium mixtum, vel quod non eſt merum, tranſire; quam cum Fulgoſius cerneret adverſari legi 1. in princip. & fine, & legi ult. Dig. de officio eius cui mand. eſt juriſd. licet tum propter illam ſententiam communi calculo approbatam, fides ei etiam aſſeveranti ſub diſcrimine ſalutis ſuæ, non haberetur; tamen hodie ejus interpretationi præſtantiſſimi Iuriſconſulti Andreas Alciatus, Eguinarius Baro, Franciſcus Duarenus, Iacobus Cujacius, Iohannes Coraſius, Franciſcus Hotomannus, Iohannes Longovailius, aliique multi accedunt. Recepta eſt jam olim opinio hæc, ſervitutes, quas Doctores non ſatis commodè diſcontinuas vocant, non præſcribi, niſi eo tempore, cuius initium excedit memoria hominum. At verò hodie plurimi ſummorum Iuriſconſultorum conſentientibus ſententiis tradunt, ſufficere longi temporis præſcriptionem. Etſi au-

tem commune illud dogma in pleriſq; conſiſtoriis & judicijs obſervatur: hoc tamen verius eſſe exiſtimo. Nam longo tempore acquiri ex L. 10. ſi quis diut. D. ſi ſervitus vindicetur, & ex l. apparet. §. ult. de itinere actuq; priv. & ex l. ult. de long. temporis præſcript. patet.

Sed ne longior ſim, multas alias diſputationes juris omitto, in quibus ſæpè vulgò communi Doctorum opinio ipſi juri Iuſtinianęo præfertur. Quid referam, quam multiplices ſint, quamq; inter ſe diſſidentes Iuriſperitorum ſententiæ, quando conſulentibus, quid juſtum, quidvé injuſtum ſit, reſpondent. Neq; verò hic novus eſt mos Advocatorum, ſed jam olim à Terentio notatus. Cum enim Demipho filij ſui causâ tres in conſilium Iuriſconſultos advocaſſet, primus ajebat, quod ille volebat, alter negabat, tertius amplius deliberandum cenſebat. Unde queritur Demiphon, ſe multò jam incertiorem eſſe, quàm ante. Facilimum autem eſſe de iure reſpondere Cicero in Oratione pro Murena ait: *Quæ conſuluntur*, inquit, *minimo periculo reſpondentur, ſi id, quod oportet, reſponderis, idem videare reſpondiſſe, quod Servius Sulpitius: ſin aliter, etiam controverſum ius noſſe & tractare videare.* Idem Iuris Ctos, quos in oratione illa, ut Servii Sulpitii dignitati & gratiæ detraheret, qui conſulatus cum L. Murena competitor erat, exagitat, notas quaſdam & formulas compoſuiſſe dicit, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent: Cùm belliſſimè, inquit, *in iudicio ita contendi poſſet: Fundus Sabinus meus eſt: immò meus: noluerunt. Fundus*, inquit, *qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur.* Satis verboſè.

boſè. Cedò quid poſtea? *Eum ego ex iure meum eſſe aio.* quid tum inde? *inde ego te ex iure manu conſertum voco. Quid huic tam loquaciter litigioſo reſponderet ille, unde petebatur, non habebat.* Tranſit idem Iuriſconſultus: *Unde tu me*, inquit, *ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te revoco. Prætor interea, ne pulcrum ſe ac beatum putaret: atq; aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoq; carmen compoſitum eſt*, cùm cæteris rebus abſurdum, tùm verò nullo uſus. Utriſq; ſuperſtitibus præſentibus: iſtam viam, dico, *inite viam.* Præſtò aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret; redite viam, eodem duce redibant. Hæc iam tum apud illos barbaros ridicula credo videbantur: homines cùm rectè atq; in loco conſtitiſſent: iuberi abire, ut inde abjſſent, eodem ſtatim redirent.

In omni deniq; iure çivili æquitatem reliquerunt, verba ipſa tenuerunt. Ut quia in alicuius libris, exempli cauſa, id nomen invenerant; putarunt omnes mulieres, quæ coëmptionem facerent, Caias vocari. Præterea iis, qui ſibi nomen Iuriſconſulti vendicabant, audacia pro ſapientia uti licere, in Epiſt. ult. libr. 1. ad L. Valerium iocatur.

Iam verò nec artem nec ſcientiam iuris certam ullam eſſe, quia ſita ſit in rebus incertis, id eſt, variis hominum inſtitutis, quæ aliter atque aliter ſe habeant, & brevi tempore commutentur, ex libris eorum perſpicere licebit: in quibus nihil ſit ante concluſum, aut certa ratione confirmatum, firmaq; ſcientia comprehenſum, ſed diſperſa diſſipataq; ſine artificio omnia iaceant. Itaque eos ex memoria

moria legum, inſtitutorumq; omnium & obſervatione formularum, actionum, judiciorumq; de jure reſpondere.

Legulatores.

A Iureconſultis progrediamur ad juris autores legumq; latores, & utrum ex natura jura dent, an arbitrio ſuo conſtituant, inquiramus. *Thraſybulus apud Platonem* nihil aliud jus eſſe putat, quàm quod viſum eſt commodum vel utile. Itaque quodcunq; placeret ei, qui plus poſſet lege ſua vel præcipere, vel prohibere: id jus eſſe ex ſola hominis voluntate, non ex naturæ veritate. Atq; hoc perſpici poſſe in ijs, qui vel amore hominibus vel ordinibus, vel populis, quibus favebant, privilegia dabant, vel odio contra eos quid decernunt, vel cupiditate pecuniæ, ut qui pretio leges fixit atque refixit, vel adulandi ſtudio leges ſcribunt, veluti cum *Domitianus* initium Epiſtolæ, quam procuratoribus ſuis dictabat, hoc feciſſet: *Hac jubet Dominus & Deus noſter*, cautum fuit à populo, ut deinceps non aliter, nec ſermone nec ſcripto cujuſquam appellaretur.

a. L. 1. in princip. D. de cõſtit. princip.

Ac cum partim reverentia, partim metu populus Romanus in principes ſuos omne ſuum imperium poteſtatemq; contuliſſet, quodcunq; principi placuit, legis vigorem habuit. Itaq; pleriq; principes hac tanta ſua potentia pro ſuo arbitrio freti, quidquid liberet, etiam licere ſibi putaverunt. Quapropter multas leges tulerunt, quibus & populi opes & libertatem debilitarunt, ac fregerunt, ac fiſcum, dignitatem ac potentiam ſuam amplificarunt. Hinc ſanctiones illæ acerbiſſimæ & ſeveriſſimæ de Majeſtate, quæ & accuratiſſimè obſervatæ

vatæ & acerrimè vindicatæ ſunt; eaſdem in principum gratiam, qui eis aſſentabantur, exaſperarunt. Cuius rei Ruffinus incuſatus eſt cum ſuaſor fuit *Arcadio* & *Honorio Auguſtis*, duriſſimam illam & inhumaniſſimam L. Quiſquis. C. Edendi. Ad L. Iul. Maieſtatis: quam, qui miti erant ingenio, animoq; moderato, ſanguine ſcriptam dicebant. Hinc leges illæ de fiſci privilegiis indies aliis novis auctæ & cumulatæ ſunt, adeò ut Iureconſulti Iuſtitiæ amantes & æquitatis ſtudioſi non vererentur eas benigna interpretatione temperare: id quod apparet ex lib. 10. D. de jure fiſci, ubi *Modeſtinus* ait: *Non puto delinquere eum, qui in dubiis quæſtionibus contra fiſcum facilè reſponderit.* Quod caput cum pugnare videatur cum aliis legibus & conſtitutionibus Imperatorum de jure fiſci, memini juris interpretem, quem in Italia audivi, valde ſe in hac antilogia concilianda torquere, ac in eiuſdem expoſitione diu multumq; hærere. Abſurdum enim videbatur, Principes, qui fiſco mirum in modum ſtudebant, & in eius favorem multa privilegia conſtituerant, eandem impugnandi licentiam concedere. Verùm non animadvertit caput hoc decimum *De jure Fiſci*, non Cæſarum aut Imperatorum, ſed Modeſtini Iuriſconſulti boni & æqui & Profeſſoris & cultoris & juſtitiæ Sacerdotis fuiſſe, eumque optimi & clementiſſimi Imperatoris ALEXANDRI SEVERI ætate vixiſſe.

Eiuſmodi enim Imperatores nonnunquam in gratiam civium & ſubditorum ſuorum de iure fiſci quid

ſci quid remittebant, quo incolumitatem eorum labefactari cernebant. Hinc egregia illa Traiani vox: *Fiſcum Principis ſplem ſimilem eſſe, qui quo magis in animali creſcat ac tumeat, magis reliquum corpus diminui & extenuari.*

Sed pergamus ad leges & mores variorum populorum, de rebus iuſtis & honeſtis, quos ſi attenderimus, non temerè forte opinabimur, diſcriminationem illam iuſti & iniuſti, honeſti & vitioſi non eſſe in natura aut reipſa, ſed lege tantùm moribusq; induci.

Inceſtus & Romanis & nobis eſt deteſtabilis. itaq; Cicero lib. 2. de legibus, vult inceſtum ſupremo ſupplicio ſanciri. At iam tum in prima illa Aſſyriorum Monarchia Semiramis, licet aliàs magno animo & præſtanti virtute regina eſſet: tamen in libidinem profuſa poſt obitum coniugis ſui (*autore Paulo Oroſio*) edicto iuſſit libera eſſe inter parentes & liberos coniugia.

Apud Perſas quoq; permiſſæ fuerunt inceſtæ nuptiæ. Etſi autem, ut *Plato* & *Clemens* tradiderunt, quatuor regii Pædagogi ex omni flore Perſarum deligebantur, qui aliis his ſingulis virtutibus longè præſtarent, Sapientia, Iuſtitia, Temperantia & Fortitudine, quorum partes erant, ut ſinguli informarent filios regum in eo virtutis genere, in quo excellentiſſimi erant: tamen puberes inceſtos concubitus cum matribus ſororibusq; (ut idem Clemens refert) tam concubinis, quàm uxoribus inibant. Quin inceſtum legibus apud eos licitum fuiſſe Servius & Atheneus ſcribunt. Ac magos non niſi inceſtis nuptiis ex præſcripto religionis ſuæ

uſos,

uſo. Catullus hoc verſu oſtendit:

Nam magus ex matre & gnato naſcatur oportet.

Itaq; Cambyſes Cyri magni filius ſorores ſuas Atoſſam & Meroëm, Herodoto teſte, uxores duxit. Idem tamen memoriæ prodidit, nullam tum adhuc eâ de re legem latam; ſed aliam à Cambyſe huc detortam, qua, quid Regibus Perſarum libebat, etiam licebat.

Sic *Darius nothus*, qui & Ochus nominatur, inceſtum coniugium contraxit cum ſorore ſua Paryſati. Ac inde natus *Artaxerxes Mnenon* cum filiabus ſuis Statyra, Ameſtri & Atoſſa, & cum hac filius Mnenonis Ochus, quæ & noverca & ſoror ſua erat. Itemq; *Arſames* eiuſdem Artaxerxis filius cum ſorore ſua Siſygambi. Eodem modo ex his procreati *Darius* ultimus *Codomannus* nomine, & Statyra inter ſe coniugabantur.

Quæ de permiſſo legibus & moribus Regum Perſarum inceſtu commemoravimus, eadem de coniugiis Procerum & Magnatum apud Perſas Philo literis conſignavit: His cum matribus connubii ius eſſe, & inde ſatos nobiliſſimos haberi, & regio ſolio extolli.

Ac tametſi Ptolomæi Reges Æyptiorum Macedones, non Ægyptii haberi voluerunt: tamen leges horum de inceſtis nuptiis ipſi quoque ſunt ſequuti, & cum Germanis ſororibus ſe matrimonio aſſociarunt. Exemplorum commemoratione ſuperſedeo.

Honorabile inter quoſvis coniugium eſſe, autor *Epiſtolæ ad Hebræos* tradit. At Garamantes *Plinius* ait, matrimoniorum extorres, nulliq; certam uxo-

uxorem, ſed promiſcuum earum uſum fuiſſe. Itaque ſpurij patrem forma tantùm ſimilitudine agnoſcebant.

Cæſar lib. 5. Comment. eadem ferè de *Britannis* ſcribit: Uxores, inquit, habent deni duodeniq; communes inter ſe, & maximè fratres cum fratribus, & parentes cum liberis. Sed ſi qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primùm virgines quæq; ductæ ſunt. *Maſſagetis* fœminæ communes fuerunt, qui canum inſtar etiam publicè Veneri operam dabant. Et Troglodytas uxores & liberos communes habuiſſe. *Diodorus Siculus* lib. 3. narrat.

Apud Lacedæmonios lege ſancitum erat, ut ætate grandiores, quibus uxores eſſent ætate & forma florentiori, ad eos delectum aliquem juvenem moribus exploratis ſuſcipiendæ prolis & juvandæ Reipublicæ cauſa admitterent, ac partum ipſi, ut legitimè conceptum natumq; educarent. Eâdem cœlibi licuiſſe, ſi quam fœcundam generoſamque uxorem vidiſſet, conſenſu mariti quærendæ prolis gratia eam adire.

His legibus & moribus etiam ſubjicere libuit alia eiuſdem propè argumenti inſtituta, quæ cum noſtro jure omninò pugnant. Augilæ ſponſas ſuas ea nocte, quibus nuptias agebant, omnibus pervulgabant. Ita & apud Æthiopas, & in Taprobana inſula ſponſam omnes viri cognoſcebant. Apud Cyprios in more poſitum fuiſſe, ut virgines ante nuptias ad littus maris quæſtus faciendi cauſa mitterent, Iuſtinus lib. 18. memorat. Ipſe etiam in civitatibus quibuſdam exteris fui, in quibus paren-

tes

tes filias ſuas quæſtus cauſa proſtituebant, & quæ inde meruerant, in dotem conferebant. Sauromatæ verò etiam filias ſuas inter pocula vendebant. Meretrices & ſcorta apud nos Germanos infamiam, & multis in locis pœnam incurrunt. At Symphali eam fœminam in maximo honore habebant, quæ plurimos viros paſſa eſſet. Contra Mazuſij ab omnium mulierum præterquam bello captarum conſuetudine abſtinebant. Quàm verò hæc eſſent apud nos, & omnes ferè alios populos ridicula quòd Tyberini poſt partum uxorum, perinde atque ſi ipſi enixi eſſent fœtum, revincto capite cubarint?

Quis ignorat furta rapinas, latrocinia apud nos legibus & prohibita eſſe, & ſeverè puniri? At Perſis furta & rapinæ lege permiſſa fuerunt, & qui inde vivebant, Cardaces vocabantur. Apud Ægyptios quoq; furta omnia licita fuiſſe, Gellius prodit. Tauroſcythas furandi & rapiendi licentia ſibi victum comparaſſe Herodotus lib. 4. ſcribit. Cilices etiam olim ex rapto vixerunt, quod & de Latinis notat Virgilius *Furta.*

——— ——— *Semperq; recentes*
Convectare juvat prædas & vivere rapto.

Quem locum ſummus ille Poëtarum & veterum Germanorum Gallorumque moribus ad Latinos traduxit, ut, qui præcedunt, verſus oſtendunt:

Dura ſtirpe genus natos ad flumina primùm
Deferimus, ſævoq; gelu duramus & undis,
Venatu invigilant pueri, ſylvasq; fatigant,
Flectere, ludus, equos, & ſpicula tendere cornu. & quæ ſequuntur.

Alij. Durum à. ſtirpe.

Nam *Ariſtoteles* lib. 8. Politic. Celtis eam conſuetudinem fuiſſe ſcribit, ut in frigidum amnem natos immergerent, aut tenui amiculo veſtirent. Ejuſdem moris Germanorum meminit Galenus, eumq́; improbat. Verùm eum contra Galenum defendunt *Ramus* & *Goropius*. A parvulis etiam Germanos labori ac duritiæ ſtuduiſſe, vitamq́; eorum omnem in venationibus, atque in ſtudijs rei militaris conſtitiſſe, *Cæſar* lib. 6. narrat. At latrocinia Germanos exercuiſſe, idem Cæſar refert, cum certa tamen conditione. Nam nullam infamiam habuiſſe, quæ extra fines cujuſq; civitatis fierent, atque ea juventutis exercendæ & deſidiæ minuendæ cauſa fieri, prædicaſſe ait, ubi quis ex Principibus in conſilio dixit ſe ducem fore, qui ſequi velint, profiterentur, conſurrexiſſe eos, qui & cauſam & hominem probarent, ſuumq́; auxilium pollicitos atq; à multitudine collaudatos. *Tacitus* etiam materiam munificentiæ apud Germanos bella raptusq́; fuiſſe tradit. Gallis quoq; Diodorus latrocinia attribuit.

Iam & Spartanis quibuſdam ex rapto vivere & induſtriè ac ingenioſè furari honeſtum fuit. Nam horum pueri non modò cibaria, ſed & ligna furto quærebant. Deprehenſi autem per incuriam flagris afficiebantur, ut *Xenophon* & *Plutarchus* memoriæ mandarunt.

Ius mutatur. Sed & temporum diverſitas in uno eodemque populo tantum diſcrimen in moribus protulit, ut quod ante honeſtum legitimumque eſſet, poſtea turpe & illicitum ſit habitum. Nam *Cæſar* eod. lib. 6. comment. Gallos viros in uxores, ſicut in libe-

os

ros vitæ necisq; habuiſſe poteſtatem, & cum Paterfamiliâs illuſtriore loco natus deceſſerit, eius propinquos conveniſſe, & de morte, ſi res in ſuſpicionem veniſſet, de uxoribus in ſervilem modum quæſtionem habuiſſe. Et ſi compertum eſſet, igni atq; omnibus tormentis excruciatas interfeciſſe. Itaque viri non modò liberorum, qui etiam Romuli lege toto vitæ tempore in patris poteſtate erant, eiq; jus erat filium caſtigare, verberare, operi ruſtico ablegare, vendere, necare: Sed & uxorum Domini erant, de qua etiam maritum Romulus lege ſua ſupplicium ſumere voluit, ſi vinum bibiſſet, cujus rei exemplum Livius de Egnatio prodidit. Sed noſtris temporibus jampridem hi & mores in deſuetudinem abierunt, & leges abolitæ ſunt; multæque uxores majore libertate vivunt. Apud majores quoque noſtros more omnia bona communia fuerunt. Nam ut de Germanis Cæſar lib. 6. ſcribit, nemo eorum agri modum certum, aut fines proprios habebat: ſed Magiſtratus ac Principes in annos ſingulos gentibus cognationibusq; hominum, qui unà coïerunt, quantum eis & quo loco viſum erat, agri attribuebant, atq; anno pôſt alio tranſire cogebant. Atq; huius communionis multas etiam cauſas Cęſar ibidem affert, ex quibus etiam hæc, ne qua oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones diſſenſioneſq; naſcuntur, & ut animi æquitate plebem contineant, cum ſuas quiſq; opes cum potentiſſimis æquari videret. Hanc bonorum æquationem quaſi ad ſtatum Reipublicæ neceſſariam *Plato* ſtatuit. Ac, ut *Ariſtoteles* ſcribit, primus Phaleas Chalcedonius hanc com-

munionem bonorum in Rempublicam induxit, ut generis humani duas capitales peſtes è civitate excluderet, Paupertatem & Opulentiam. Unde & Cretum & Laconum Reſpublicæ laudatæ fuerunt, quod ipſi quoque quandam æquationem bonorum ſervarint.

Cicero quoque privata nulla naturâ eſſe; ſed aut veteri occupatione, aut victoria, aut lege, pactione, cõditione, ſorte. Itaq; dominiorum diſtinctio potiùs eſt juris civilis quàm naturalis; quam Gẽtium eſſe *Hermogenianus* tradit lib. 5. de Iuſt. & jure. Unde alterum hoc juſtitiæ munus Cicero cõſtituit, ut quiſq; cõmunibus utatur pro cõmunibus, privatis ut ſuis. Et quia ſuũ cujuſq; eorum, quæ natura fuerunt cõmunia, factum eſt, ut id quiſq; teneat, quod cuiq; obtigit; Eo ſi quis plus appetat, violare jus humanæ ſocietatis. Itaq; in hac privatarum poſſeſſionum deſcriptione: naturam ducem nos ſequi debere, & communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum. Egregia hæc Ciceronis admonitio: quam quia nos quoq;, ut pleriq; alij populi, ab æquatione illa bonorum diſceſſimus, omninò obſervare, & ſequi oportet.

Majoribus etiam noſtris hic mos cum Perſis communis fuit, cui adhuc apud quoſdam locus eſt, ut inter convivia de graviſſimis rebus conſultarent; cum contra pleræque aliæ gentes ſobriè ad conſilium accederent, & de rebus arduis magniq; momenti deliberarent.

Immania ſtatuta.

Sed & ea, à quibus nos, ut immanibus, abhorremus, multi alij populi, ut juſta & honeſta conſectabantur. Nemo noſtrum eſt, quin ſibi ipſi manum

num mortemq; inferre, non modò injuſtum, ſed & impium eſſe arbitretur. At in noviſſima gente Gangaridum & Calingarum regione, quæ Parcalis vocatur, *Plinius lib. 6. cap. 19.* expoſitis variis hominum generibus refert, quintum genus celebratæ illic, & propè in Religionem verſæ, ſapientiæ deditum, voluntariâ ſemper morte vitam, accenſo prius rogō, finire. Hinc *Diodorus lib. 17.* & *Arrianus lib. 7.* *Calani* Gymnoſophiſtæ, ſive Philoſophi Indi, quem Alexander Magnus inde adduxerat, hiſtoriam exponunt, quomodo ex more illorum ſapientum ſeipſum rogum conſcendens cremârit. De his *Lucanus lib. 3.*

Quiq; ſuas ſtruxêre pyras, viviq; calentes
Conſcendêre rogos, proh quanta eſt gloria genti,
Injeciſſe manum?

Iam *Hyperboreos*, pleriq; autores, veluti *Herodotus*, *Plinius*, *Solinus*, *Mela*, gentem felicem vocant & juſtam, quibus diſcordia ignota, quiq; ab omni morbo & ægritudine ſint immunes. His mortem non niſi ſatietatem vitæ eſſe, epulatis delibutisque ſenibus, ex quadam rupe in mare ſalientibus. Hoc genus ſepulturæ beatiſſimum exiſtimare Plinius ſcribit lib. 4. cap. 12. idem ad verbum ferè Solinus c. 27. & Mela lib. 3. ſequuntur.

In Oceano quoque verſus meridiem Inſulam eſſe Diodorus Siculus lib. 3. prodit, cujus incolis mos ſit ad certam ætatem uſq; vivere, quâ perfectâ variam ſibi mortem ſponte conſciſcant. Sic Bachirij, cum convaluerunt, canibus ſemetipſos objicere ſolebant.

Iam verò, quod apud nos horrendum & imma-

Digitized by Google

ne eſſet, ab Eſſedonibus Scythiæ populo defunctorum parentum ſuorum corpora unà cum beſtiis à propinquis abductis, quas mactatas eis ſacrificabant, in fruſta concidi, & omnibus illis carnibus commixtis convivium parari, capite reſervato, quod purgatum inaurabant, & pro ſimulacro colebant, quotannis illis hoſtias immolantes, Herodotus lib. 8. autor eſt. Herodotum ſecuti ſunt Solinus & Pomponius Mela, quorum ille; inter Anthropophagos in Aſiatica parte numerantur Eſſedones, qui & ipſi nefandis funeſtantur inter ſe cibis. Horum mos eſt, parentum funera dentibus laniare, pecudumq; carnib. mixtas dapes facere. Hic verò lib. 2. cap. 1. de Scythia Europæa, Eſſedones funera parentum læti & victimis ac feſto coitu familiarium celebrant corpora ipſa laniata, & cæſis pecorum viſceribus immixta epulando conſumunt. Capita ubi affabrè expolivêre auro cincta pro poculis gerunt. Hæc ſunt apud eos ipſos pietatis ultima officia. In eandem ſententiam de his ſcribit *Strabo libr. 11.* Idem *Herodotus lib. 4. Pomponius Mela lib. 2.* narrant interius habitantes Scythas bella cædesq; amare, moremque bellantibus eſſe, cruorem ejus, quem primum interemerunt, ex ipſorum vulneribus ebibere, ne fœdera quidem incruenta eſſe, ſauciare ſe, qui paciſcantur, exemptumq; ſanguinem, ubi permiſcuêre, deguſtare. Quin & arma ſua veluti acinacem, ſagittas, ſecurim & jaculum ſanguine imbuere, inde multis verbis ſe devovere, vinumq; ſanguine ſuo mixtũ epotare, *Herodotus* ſcriptum reliquit. Inter epulas, quot quiſq; interfecerit, magna cũ laude referre, & binis poculis, qui plurimos memorarũt, perpotatis

Digitized by Google

elocare, eum honorem præcipuum eſſe. Nam ut quiſq; plurimos interemit, ita apud eos maximè eximium haberi, cæterum expertem eſſe cædis, inter opprobria vel maxima eſſe. Subjicit Pomponius, pocula, ut Eſſedones parentum, ita inimiciſſimorum capitibus expolire. Herodotus eorum, quos bello ceperunt, capita ampucare, & ſuffixa fuſte, intecti ſublimia erigere narrat. Apud Anthropophagos quoq; Pomponius ait, ipſas epulas viſceribus humanis apparari. Idem de populis Americæ & novi orbis ἀνθρωποφάγοις aſſerunt ij, qui & regiones illas deſcripſerunt, & res in illis geſtas literis mandarunt. De interioribus Scythis idem ſcribit Solinus, ſpecus incolere, pocula, non ut Eſſedones, ſed de inimicorum capitibus facere, amare prælia interemptorum, è vulneribus ipſis bibere, numero cædium honorem creſcere, quarum expertem eſſe apud eos probrum ſit.

Eundem hunc morem *Sext. Ruffus* Thracibus attribuit. Subdit *Solinus*: hauſtu mutui ſanguinis fœdus faciunt, non ſuo tantùm more, ſed Medo- « rum quoq; uſurpata diſciplina. Fœdera hæc quo- « modo fiant pluribus deſcribit Herodotus & Tertull. libr. 4. Apologetic. Iam Tauros populos, quos Solinus Scytho tauros vocat, quaſi Scythas Tauri montis accolas, omnes naufragos Iphigeniæ immolare, quorum capita clava ferrea ferire & cruci affigere, corpora autem trunca è ripa in aquam deturbare ſolitos, Herodotus lib. 4. Pompon. Mela lib. 2. in Scythica, Europæa, & Solinus cap. 26. prodiderunt.

Sacrificia etiam à Carthaginenſibus, autore

Digitized by Google

Humanæ victimæ. Diodoro, aliiſq; pluribus, Saturni æneæ ſtatuæ humanis victimis oblata fuerunt, quæ ingentis magnitudinis erat, cujus manus in terram ita erant extenſæ in gyrum, ut, qui ad eam venire adoleſcentes cogebantur, in ingentem foveam igne repletam inciderent.

Idem humanis hoſtiis litandi mos Arabibus, Thracibus Aegyptijs fuit, variaq; exempla refert Euſebius lib. 4. c. 7. His ſacrificiis etiam Gallos uſos fuiſſe Cæſar autor eſt lib. 6. Nam qui affecti erant gravioribus morbis, quiq; in præliis periculiſq; verſabantur aut pro victimis homines immolabant, aut ſe immolaturos vovebant, quod pro vita hominis niſi vita hominis redderetur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrarentur, publiceq; eius generis haberent inſtituta ſacrificia.

Pergit Cæſar: Alij immani magnitudine ſimulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent; quibus ſuccenſis circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto, aut in aliqua noxa ſint comprehenſi; Gratiora Diis immortalibus eſſe arbitrabantur. Sed cum ejus generis copia deficiebat, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendebant.

Ac quidem Samothraces ijſdem ſacrificiis uti Strabo ſcribit. Et licet Romani ſacra ſua hoſtiis humanis non imbuiſſent: tamen poſt Cannenſem pugnam Livius ſcribit humanis hoſtiis eos litaſſe.

Etſi verò Plinius lib. 30. c. 1. in quo in Magicam artem, ex qua hæc ſacrificia excogitata ſunt, invehitur

Digitized by Google

hitur, ſcribit ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo anno urbis Cn. Cornelio, Lentulo, Pub. Licinio Craſſo Coſſ. Senatusconſultum factum eſſe, ne homo immolaretur, & plurimum Romanis deberi, qui ſuſtulerint monſtra, quibus hominem occidere religioſiſſimum erat, mandi etiam ſaluberrimum: tamen portentum illud humani generis Aelius Heliogabalus effœminatiſſimus alioqui Tyrannus, autore Lampridio, humanas hoſtias nobilibus pueris lectas cæcîdit. *Diodorus* eadem ferè de Gallis ſcribit, noxios quinquennio ſervatos ſudibus affixos Dijs ſacrificare, cumq; aliis primitiis ſuper ingentes pyras immolare.

Et *Strabo:* inſtruxiſſe ligneum coloſſum fœno contexto, in eoq; pecudes omniſq; generis beſtias unà cum hominibus concremaſſe. Mela quoque Gallos aliquando immanes eſſe refert, adeo, ut hominem optimam & gratiſſimam victimam Dijs eſſe credant. Diodorus quoq; refert, quando de rebus magnis conſultârint, hanc ſervaſſe conſuetudinem. Jugulabant enſe hominem, quo decidente tùm ex caſu, tùm ex membrorum laceratione, tùm etiam ex ſanguinis fluxu & quadam antiqua obſervatione præſciviſſe futura. Strabo etiam in templis hominem ſuffixum cruci, Gallos ſagittis confeciſſe ſcribit. Cæterùm ex Plinij lib. 19. cap. 1. colligere licet hanc ſacrorum diſciplinam à Druidibus profectam, Gallorum magos fuiſſe ait lib. 16. cap. ult. Id & Lucanus indicat his verbis:

Et vos barbaricos ritus moremq; ſiniſtrum «
Sacrorum Druydæ poſitis repetiſtis ab armis. «

Hos ſublatos Tyberij principatu capite illo primo

Suetonius non à *Tyberio*, ſed *Claudio* hunc immanem ſacrificiorum morem abolitum refert, etiam ante ab *Auguſto* civibus interdictum, *ne hominem immolarent:* tamen celebrationem talium ſacrificiorum ad ſuam etiam memoriam Gallos poſſediſſe, & ſuis temporibus adhuc apud eos permanſiſſe, *Euſebius* ait. Eadem inſtituta Britannis fuerunt, quæ ſua ætate tam attonitè tantisq́; ceremoniis celebraſſe Plinius eodem in loco ſcribit, ut dediſſe Perſis videri poſſint. Strabo quoque ex Artemidoro recitat ad inſulam Britanniæ proximam ſimilia Cereri & Proſerpinæ ſacra facta; Ac licet Cæſar Germanos ab hac conſuetudine alienos fuiſſe, neq; ſacrificijs ſtuduiſſe, eodem in loco tradat: tamen *Tacitus* refert, Mercurio certis diebus humanis quoq; hoſtiis litare eos fas habuiſſe. Herculem ac Martem, conceſſis animalibus placaſſe, partem Suevorum & Iſidi ſacrificaſſe. Præclarum verò, quòd de eorũ religione amplius ſcribit Cornel. Tacitus arbitratos eſſe ex magnitudine cœleſtium, nec cohiberi parietibus Deos, neq; in ullam humanioris ſpeciem aſſimilari, Lucos ac nemora conſecrare, Deorumq́; nominibus appellare ſecretum illud, quod ſolâ reverentiâ videant.

Ritus funerum. Sed & mirabilis religionis mos veteribus Gallis in funeribus fuit. Qua de re ita Cæſar: *Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica & ſumptuoſa omnia, quæ viris cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem etiam inferunt animalia, ac paulò ſupra. hanc memoriam ſervi ac clientes, quos ab his dilectos eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis unà cremabantur.* De vivis autem ſervis ac clientibus hîc intelligendum eſſe, Mela docet

docet lib. 3 cùm ait, fuiſſe, qui ſe in rogos ſuorum cum cremabantur velut unà victuri libenter immitterent. Nam æternas eſſe animas, vitamq; alteram ad manes certam ſtatuebant. *Cicero libro 5. Tuſculan.* ſimile quid de Indorum mulieribus, quarum plures ſolent eſſe ſingulis nuptæ, ſcribit, *Mulieres*, inquit, *in India, cum eſt cujusq; earum vir mortuus, in certamen judiciumq; veniunt, quam plurimùm ille dilexerit, quæ victrix, ea læta proſequentibus ſuis unà cum viro in rogum imponitur; illa victa mœſta diſcedit.*

Diodorus quoq; lib. 18. refert, veterem legem apud Indos fuiſſe, ut uxores cum defuncto marito cremarentur.

Jam *Epheſios* ea invaſit opinio, ut cum *Hermodorum*, qui legum XII. tabularum & interpres & autor fuit, ut *Pomponius* Iuriſconſultus & *Strabo* lib. 14. & *Plinius* lib. 4. cap. 35. teſtantur, ob probitatem & vitæ innocentiam urbe expuliſſent, ita loquuti ſunt: *Nemo de nobis unus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio loco & apud alios ſit.* Inde Heraclitus Phyſicus univerſos Epheſios morte multandos eſſe ſcripſit. Sic *Cicero* 5. Tuſculan. *Strabo* lib. 14. idem dictum Heracliti refert, eandamq; rationem, quòd Hermodorum virum inter ipſos frugi ejecerint, & dixerint: *Nemo noſtrum frugi eſto, ſed alio loco & apud alios ſit.* Meminit ejuſdem Diodorus Laërtius lib. 9. in Heraclito Epheſio non longè à principio.

Diutius cōmoratus ſum in hujuſmodi legum & morū & Romano & noſtro juri adverſantiū expoſitione, quàm vel par eſt, vel ab initio propoſuerā.

Hæc

Hæc autem ideo perſequutus ſum pluribus, ut, quanta ſit opinionis, ſimulatq; cum ſingulos homines, tum totas civitates & populos occupavit, & in conſuetudinem legemq́; abiit, vis & autoritas, oſtenderem. Hinc enim non ſolùm tam varia diverſorum populorum ac gentium, tamq́; diſcrepantia inſtituta: verùm etiam ſuum cuiq; civitati jus eſt, quaſi proprium & à reliquis ſegregatum, immò ferè diſcordans. Quod ſi natura juſta & honeſta conſtarent, quia ea uno eodemq; modo ſemper ſe habet? eadem quoq; omnibus populis & civitatibus & inter ſe ubique conſentanea eſſent. Itaque quæ natura juſta & honeſta ſunt, eadem omnibus juſta & honeſta viderentur. Quia verò non idem apud omnes æqui & iniqui, recti & vitioſi eſt diſcrimen: inde quoq; alia ab aliis pro juſtis & honeſtis coluntur: alia pro injuſtis & turpibus prohibentur & vitantur. Hinc non variis modò ſed & contrariis juſſis & vetitis, alii atq; alij populi & civitates utuntur.

At ſi à natura ducerentur, eadem ubiq; forent. Huc accedit diſciplina Academicorum, de qua *Cicero in Academicis ad Varronem*, nondum ſatis indagatum, cognitum & exploratum eſſe, quid rectum ſit, quid vitioſum, quid juſtum, quid injuſtum; ſed hæc tantùm infirma & incerta hominum aſſenſione niti. Cum autem aliis alia placeant, & quot homines, tot quoque ſint ſententiæ: inde alium alia in æquis & iniquis, in honeſtis & turpibus habere: tamq́; de his rebus varias eſſe tamq́; diſſidentes non modò ſingulorum opiniones, ſed civitatum quoq; & populorum leges, mores,

Digitized by Google

res, placita, inſtituta, ut moleſtum ſit illud Perſij:

Mille hominum ſpecies & rerum diſcolor uſus, "
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno. "

Et Euripidis in Phœniſſis:

Εἰ πᾶσι ταυτὸ καλὸν ἔφυ, σοφὸν θ' ἅμα, "
Οὐκ ἦν ἀμφίλεκτος ἀνθρώποις ἔρις. "
Νῦν δ' οὔθ' ὅμοιον οὐδὲν, οὔτ' ἴσον βροτοῖς, "
Πλὴν ὀνομάσαι· τὸ δ' ἔργον οὐκ ἔστι τόδε· "

Id eſt:

Cunctis idem ſi pulchrum & egregium foret, "
Nulla eſſet anceps hominibus contentio. "
At nunc ſimile nil, nil idem mortalibus, "
Niſi verba forſan inter iſtos concinunt: "
At re tamen factis q; convenit nihil. "

Idem:

Τί δ' αἰσχρὸν ἂν μὴ τοῖς δρωμένοις δοκῇ? "
Quid turpe eſt, niſi quod videtur facientibus? "

Sic Plato: *Quod gratum nobis eſt, etiam pulcrum eſſe communi ſermone tritum ait.* Uſque adeò autem quod cuique carum & amicum eſt, ei pulchrum videtur, ut ſecundum Horatium: *Balbinum Polypus agnæ ſuæ*, id eſt, deforme & fœtidum vitium narium delectaret. Hinc illud Theocriti:

Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται. "

Id eſt:

Etenim haud rarò, Polypheme, "
Quæ minimè ſunt pulchra, ea pulcra videntur amori. "

Ab hac quoque ſententia facit Ariſtoteles. Is enim

lib. 1.

lib. 1. cap. 3. de moribus, in iis rebus, quæ honeſtæ, quæque juſtæ ſint, in quibus civilis ſcientia verſatur, tantam ineſſe ſimilitudinem, tradit, tantumq; ex iis ſæpe errorem conſequi, ut lege & opinione tantùm, non etiam natura videantur conſtitutæ.

Variari autem hæc locis temporibus & perſonis qui caput illud interpretati ſunt, docent. Nam ut jam multis exemplis confirmavi, quæ alij populi juſtitiæ & honeſtati repugnare judicarunt, alij iis congruere cenſuerunt. Deinde ex veterum Germanorum & Gallorum ritu, conſuetudine & inſtitutis demonſtravimus, aliis atque aliis temporibus eadem mutari & corrigi, ut quod olim in virtute & laude poſitum fuerit, id nunc vitio detur & vituperetur.

Qua in re, cùm antea longior fuerim, jam repetere nolo. Tum perſonarum ratio magnam quoque in harum rerum diſtinctione varietatem attulit. Neq; enim quod Regibus, quod Principibus, quod Primatibus licitum: id aliis quoque permiſſum fuit. Exempla aliquot ſupra adduxi, quibus hoc quoque adjicio, quòd apud Adzymachidas Pœnorum gentem Regi jus poteſtasq; fuit inferendi ſtupri virgini nupturæ, quæ ad eum adducebatur, quod alijs non licebat.

Denique, quanti ſit ponderis, quantivè momenti opinio, Divus quoque *Auguſtinus epiſt. 48.* indicat his verbis: *Quod volumus, ſanctum eſt.* Hoc ejus dictum multorum appoſitione exemplorum illuſtrari poteſt.

Omnibus enim temporibus verum Dei cultum hominum opinio corrupit, labefactavit, ſuſtulit: cum

tum placita ſua ipſius Dei mandatis & Patriarcharum vatumque divinorum oraculis anteponerent. Hujus rei nobis documenta & teſtimonia multa ſacra ſcripta ſuppeditant jam inde à mundi creatione de prima hominum ætate ante diluvium, de Nohami ſtirpe & proſapia, de populo Iſraëlitico, de regibus non modò Iſraëlis, ſed & Iudæ, de Dynaſtis, de ſacerdotibus, de Pontificibus Iudæorum, de Phariſæis & Sadducæis, ad quæ ſuperiorum noſtriq; ſeculi innumera coacervare non eſſet difficile.

Ex his omnibus quid aliud colligi poſſe videtur, quàm longè plus opinionem quàm veritatem valere, & jura opinione hominum, non ductu naturæ eſſe conſtituta.

Sed hæc penitius ſunt examināda & perpendenda. Ac quidē ſi cauſas conſideraverimus, cur Deus hominem condiderit; non difficile erit intelligere, notionem naturali animo ejus inſitam, veri & falſi internoſcendi, juſti & injuſti, honeſti & turpis diſcernendi, facultatemq; ab eodē datam, illa, ut naturæ ſuæ aptiſſima appetendi, hęc verò ut eidem contraria fugiēdi. Atq; hæc ſi homo in perfectione illa ſua conſtitiſſet, adeò perſpicua eſſent, ut nullo modo in dubium revocari poſſent. At depravata natura peccato informatæ illæ in mente humanæ cognitionis offuſæ & caligine obductæ, & rectæ voluntatis vires vehementer debilitatæ & afflictæ fuerunt. Id quod & Plato intellexit & deploravit, & idcirco αὐτοαγαθὸν non in hominis facultate, ſed in idæa locavit, ut ea de re ante viginti octo annos multis diſputavi.

Hominis depravatio, cauſa variarum opinionum.

Sic

Sic Platonem imitatus Cicero, cum & perfectum quoddam officium ſive rectum, quod Græci κατόρθωμα, & medium ſive commune, quod ij καθῆκον vocant in principio libri I. poſuiſſet: illud abſolutum & quod omnes numeros habet, ſapientibus ſolis, cum in nullum alium cadere poſſit, hoc autem commune ſive medium etiam ijs, in quibus ſapientia perfecta non eſt, ſed ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. Offic. lib. 3. attribuit. Quod verò id, quod propriè dicitur, vereq; honeſtum eſt, aſſequi nequeamus, argumento eſt, quod id, quod communiter appellamus, honeſtum, in intelligentiam cadere, & ab iis, qui bonos viros haberi ſe volunt, coli ſubjiciat, nec ullum fuiſſe ſapientem, ut ſapientem intelligi ibi voluit, nec Marcum Catonem, nec Cajum Lælium, nec illos quidem ſeptem, qui ſapientes nominati ſunt, ſapientes hoc intuitu fuiſſe, ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam geſſiſſe ſpeciemq; ſapientum. Communia autem illa officia & ingenij bonitate & progreſſione diſcendi multos aſſequi. Ex quo ſatis apertè cognoſci poteſt, inditas illas à Deo intelligentias non penitus ex hominum animis evanuiſſe, ſed in aliquibus vim ſuam, licet imbecillem, exeruiſſe, qui in veri inquiſitionem incubuerunt, & virtuti operam navarunt. Ut autem quiſq; acerrimo ingenio optimaq; natura fuit, ſic in eo illæ κοιναὶ ἔννοιαι maximè emicuerunt. Quod non ſolùm accipio de populo Dei, cui renovatæ & explicatæ ſunt in Decalogo jam tum complicatæ in animis communes illæ notiones, ſed etiam de aliis, qui in veritate agnoſcenda & excolendo officio elaborarunt.

Itaq;

Itaq; *Plato* ſumma in homine bona, ſapientiam & juſtitiam eſſe tradit. Sapientiam autem more ſuo, prout ipſe eam definit, juſticia priorem & potiorem ſtatuit. Inter omnes verò gradus ſapientię ſummum ait eſſe diſcrimen honeſtorum & turpium. Quàm præclarè etiam de bonorum & malorum finibus, de recta ratione, de honeſtate, de turpitudine, de officijs *Cicero* in libris ſuis, quibus Philoſophiam tractat, præſertim ἠθικὴν & πολιτικὴν, differit? ſed & in Stoicis & Peripateticis notitiæ illæ viguerunt: quorum illi ſolam, hi maximè honeſtatem propter ſe expetendam dicebant.

Illis enim honeſtum ſolum bonum eſſe: his autem id ita ſummum bonum eſſe, ut omnia ex altera parte collocata vix minimi momenti inſtar habeant, placuit.

Horum ſententiæ de differentia honeſtorum & turpium & definitione utrorumq; conſentiunt, cum notionibus, intelligentiis, quas Deus in animis humanis conſignavit.

Hoc nimirum eſt, quod D. Paulus ad Romanos tradit: *Gentes, quæ legem Moſis non habuerunt, natura, quæ legis ſunt, facere.* Inde licet Moſis lex eas defecerit: ſibi ipſis tamen legem eſſe; quippe cum oſtendant vim legis inſcriptam cordibus ſuis, ut qui quædam mala prohibeant, & puniant, quædam ut bona præcipiant & laude proſequantur.

Quòd verò in infinitis hominibus, multisq; populis & civitatibus naturales hæ notiones omnino obcœcatæ & obrutæ fuerunt: Inde factum eſt, quod vel veri indagationem neglexerint, vel officiorum præcepta, & virtutum doctrinam vitaq;

diſciplinam contempſerint, vel diſtorto ingenio præditi vel perverſa educatione corrupti vel vitioſis opinionibus imbuti, vel mala conſuetudine depravati fuerint.

Ad hæc mala acceſſit furor & rabies Diaboli, qui miſeros illos homines in illa mentis pravitate, animi perturbatione, & naturæ perverſitate, Spiritus ſancti ope & præſidio deſtitutos, in eam opinionum falſitatem, errorum tenebras, veſaniamq; præcipites rapuit, ut vitia fœdiſſima præclararum virtutum loco complecterentur. Hinc ſcita illa nefanda, hinc inſtituta immania, hinc mores execrandi.

Neq; verò idcircò virtutes in vitia, aut contra tranſiverunt, aut reipſa honeſta in turpia fuerunt commutata: ſed ſua natura, vel laude vel vituperatione digna ſunt.

Omninò igitur ſtatuendum, non lege & opinione hominum, ſed naturæ ordinatione, rectum quid aut pravum eſſe. Ac vera & perpetua regula ſit, eas actiones, quæ cum norma divina congruāt, & rectæ rationi convenienter fiant, honeſtas eſſe; Quæ repugnent, vitioſas, etiamſi pleriq; diverſum ſenſerint. Quapropter Cicero, cum ex quatuor locis, in quæ honeſti naturam vimq; diviſerat, ſcilicet Prudentiæ, Iuſtitiæ, Fortitudinis & temperantiæ, conflari & effici id, quod quæreret, honeſtum concluſiſſet; ſubjicit, *etiamſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum eſſe & laudabile naturâ, etiamſi à nullo laudetur, ejusq; formam, ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaturam ſapientiæ.* Alludit autem Cicero ad Græcum illud verbum καλὸν, quaſi

quaſi pulcrum vocat, quòd omnes ad amorem ſuũ pelliciat. Deſcripſit autem locum illum ex Platonis Phædro, in qua de prima parte honeſti, ſcilicet Prudentia, agit.

Idem Cicero alio in loco ſcribit, gratiorem & validiorem, eſſe decem virorum bonorum ſenten- «
tiam, quàm totius multitudinis imperitæ, nedum «
hominum, qui omninò à rectæ rationis præſcripto «
& vera officiorum diſciplina receſſerunt. Cum «
hoc id quoque ejus dictum convenit; *Plus apud* «
nos vera ratio valeat, quàm vulgi opinio. Ejuſdem «
quoq; generis ſunt hi Græci verſiculi:

Τὸ δὲ ἐσθλὸν, ἐσθλὸν ἐστι, κ᾽ ἂν δοκῇ κ᾽ μὴ δοκῇ, «
Τὸ δὲ αἰσχρὸν, αἰσχρὸν ἐστι, καὶ ἂν δοκῇ, κ᾽ ἂν μὴ δοκῇ. «

Id eſt:

Quod honeſtum eſt, honeſtum eſt, ſive videatur, ſi- «
ve non videatur, «
Quod turpe eſt, turpe eſt, ſive quis id pro eo habeat, «
ſive non habeat. «

Atque hæc de eo honeſto, quod natura conſtat. De eo autem quod hominum moribus inductum eſt, mox dicemus, cum juris diverſa genera explicaverimus. Nam licet magna ſit in eo diſſimilitudo & diſcrepantia, cum pro cujuſq; populi inſtituto & more conſtituatur: tamen ut notioni illi nobis à natura ingeneratæ conſentaneum ſit, oportet. Iam verò ſive principium juris fontem q; ſpectaverimus, ſive ejuſdem vim, effecta atq; finem conſideraverimus, nihil naturæ hominis integræ convenientius, magiſq; proprium eſſe, facilè perſpiciemus. Unde enim, quàm à recta ratione deducitur, quæ juſtum ab injuſto, æquum ab iniquo ſe-

Digitized by Google

cernit? Atqui recta ratio originem ducit ab ipſo Deo, ſummo omnium bonorum autore & largitore. Ergò Ius quoque ex mente illa divina atq; æterna derivatum ſit oportet. Ex quo conſequitur, maximè præſtantem, præclaram & Illuſtrem Iuris Legumq; ſtirpem eſſe.

Iuris Vis. Quod ſi verò ejuſdem vim poteſtatemq; intueri voluerimus, an non hæc eſt maxima cum divina illa atq; ſumma Mente & præpotente Deo cognatio? Quæ enim rectæ rationis à Deo nobis inditæ cum eodem eſt conjunctio; eadem etiam nobis, juris cum eo eſt communio. Quid? quòd hac ipſa Iuris ſocietate ita inter ſe homines devinciantur, ut hoc vinculo ſublato, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum communitas conſtare poſſit? Quæ ſingulatim nunc enarrare, cùm præſertim paucis id fieri non poſſit; nimis longum fuerit.

Ius civile juri naturæ congruit. At enim dicat quis, hæc de eo jure accipienda eſſe, quod naturæ noſtræ, quaſi lumen quoddam, ſit inſitum, quo non ſolùm jus & injuriam inter ſe, ſed omnia honeſta ac turpia dijudicemus; quò & honeſta in virtute, turpia in vitiis ponamus. Illud igitur cum idem ſit, quod mens ratioq; prudentis, quæ de ejus dignitate dicuntur; ea non eſſe referenda ad illa populorum & civitatum inſtituta, quæ juris ſunt gentium & civilis. Verùm eandem originem jura civilia, eundemq; finem cum jure naturali habent. Ut enim *Cicero* demonſtrat, hæc ipſa quoque jura, quæ quiſq; ſibi populus quaſi propria conſtituit, ex lege naturæ ſunt profecta, & ad ve-

ad rerum omnium principem naturam diriguntur, & ad ſalutem civitatum atque utilitatem Rerumpublicarum ſcribuntur; & qui primùm ejuſmodi ſcita ſanxerunt, populis oſtenderunt, ea ſe ferre, quibus illi aſſcriptis ſuſceptisq; honeſtè beateq; vivant. Hinc, quæ olim Philoſophi ſibi ſumpſerunt, ea *Ulpianus* potiùs Iuriſconſultis tribuit. *Iurecoſſ.*
Ut enim Philoſophos, & officij, & bene vivendi *Philoſophi.*
diſciplinam profiteri Cicero refert, & ipſam Philoſophiam virtutis indagatricem, expultricem vitiorum vocat: quæ urbes pepererit, quæ homines ſocietate vitæ obſtrinxerit, quæ tranquillitatem vitæ largita ſit: ſic *Ulpianus* & Iuriſconſultos Iuſticiam colere, boni & æqui noticiam profiteri, bonosq; cives & metu pœnarum & præmiorum oblatione efficere tradit. Ad hæc, ut Cicero, & de rebus divinis, & de Magiſtratibus, officiisq; publicis & de privatis rebus leges præſcribit: ſic & Ulpianus jus aliud pro Reipubl. ſtatu, aliud pro ſingulorum utilitate conſtitutum docet; quod ipſum non tantùm ex civilibus præceptis conſtare: ſed & ex jure gentium & naturali collectum eſſe oſtendit. Hinc, ut alij Philoſophiam rerum divinarum ſcientiam: ſic & Ulpianus juriſprudentiam definit. Quod verò officij genus, quæ doctrinæ de moribus pars, non in his tribus Iuris præceptis, ex *Ius civile*
Ulpiano & Paulo ſupra relatis, continetur, quæ *non conſtat*
potiſſimùm juris conditoribus reſpicienda eſſe, *opinione.*
eodem in loco monui. Huc quoq; ſpectavit Cicero, cum univerſi juris cognitionem Iureconſultis attribuit, ſiquidem univerſi juris appellatione non modò, quæ compoſita & deſcripta ſunt, jura civi-

tatum intelligit: ſed etiam ea comprehendit, quæ omnium populorum conſenſione recepta, & quæ à Deo ipſo humanæ menti impreſſa fuerunt.

Ac cum Cicero legem à numine divino tractam, & rectam in jubendo ac vetando rationem, juris & injuriȩ regulam, bene beateq; vivendi normam & doctrinam appellat, quæ populos regat, civitates congreget, Reſpubl. firmet & ſtabiliat; non modò de lege naturæ, ſed univerſo jure, civilibusq; præceptis intellexit: id quod clarius, cum jus ad vetita populorum vim habere ſcribit, ad rectè facta vocandi, & à delictis avocandi, quam vim ab ea lege, quam Deus hominum animis indidit, & quæ autoritatem populorum & civitatum tuetur, deductam eſſe ibidem docet. Sic lib. 1. de Oratore. Iure Civili viros bonos fieri inde probat, quòd legibus & præmia propoſita ſint virtutibus, & ſupplicia vitijs. Quod verò idem ait, Philoſophiæ ope & præſidio civitates atq; urbes, & ab initio conſtitutas, & poſtea conſervatas; eam laudem non illi propriam tribuit; ſed Iuri quoq; civili, & legibus, eodem lib. 2. de legibus aggregat, ubi conſtare ait, ad ſalutem civium, vitamq; omnium quietam & beatam eas eſſe conditas. Eodem accommodandi ſunt hi verſus Horatij:

» ——— ——— *fuit hac ſapientia quondam,*
» *Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,*
» *Concubitus prohibere vagos, dare jura maritis,*
» *Oppida moliri, leges incidere ligno.*

Quæ cùm ita ſint, côſequitur, in iis, quæ ſunt contra rectam rationem legemq; naturæ, jura conſtitui non poſſe,

Quod

Quod ſi verò qui eò impudentiæ & dementiæ proceſſerunt, ut decretis & ſcitis ſuis ſancirent, ut quæ mala & pernicioſa eſſent, pro bonis & ſalutaribus habeantur: aut ut jus eſſet latrocinari, adulterare, furtis & rapinis uti; quia contrafecerunt, quàm polliciti profeſſique ſint, quidvis potiùs tulerunt quàm jura, quàm leges Civiles; perinde ut nec Medicorum præcepta verè dici poſſunt, ſi quæ inſcij, imperitiq; pro ſalutaribus mortifera conſcripſerunt.

Ex hac Ciceronis ſententia aliisq; fundamentis, à me jam poſitis, perſpicuum eſt, etiam populorum & civitatum jura civilia, non opinione tantùm, ſed & naturâ exiſtere. Neque enim inſtituta civilia omninò à naturali vel gentium jure diſcrepare, ſed ad eundem finem conſtitui debent. Ac licet ad eundem ſcopum Legislatores contendere oporteat: non tamen una tantùm via eademque ratione utebantur; quòd in diverſis locis, naturæ atq; ingenij hominibus, non eundem in Iure tradendo modum ſe tenere poſſe prudenter attenteq; cogitarent.

Etſi igitur in ratione ſciſcendi, propter diverſitatem circumſtantiarum, fuit diſſimilitudo: tamen eundem finem omnes illi Iuris legumq; conditiones ſibi propoſitum habuerunt, ut videlicet juſtitia coleretur, conſociatioq; inter ſe hominum detineretur, & tranquillitas incolumitasq; civium ſervaretur.

Hac igitur ſententia à nobis probata, confirmataque, videlicet, *jura etiam civilia non ex ſola opinione profecta, ſed à lege quoq; natura derivata*, & *Refutatio opinionis.*

ab illa in totum recedere non poſſe; ſupereſt, ut quæ in contrariam partem ſupra propoſuimus, nunc refutemus. Video autem mihi, quia parum temporis ſupereſt, brevitate utendum eſſe.

1. *Quod* igitur primo loco allatum eſt, alias atque alias hominum eſſe de optimo dicendi genere opiniones & judicia, parum ad rem pertinet. Etſi enim magna fuit non ſolùm præſtantium & vitioſorum oratorum inter ſe differentia, ſed & bonorum inter ſe diſſimilitudo: tamen, quod ſit optimum orationis Latinæ, & perfectiſſimum Eloquentiæ genus, & quæ ſpecies ac figura dicendi; maximè ſit probanda, expoſuit ſummus orator *Cicero*, cui ipſius ætatis viri doctiſſimi & ſcriptores laudati, primas in ea facultate tribuerunt. Neque verò imperitorum & vulgi temeraria opinio, ſed exquiſitum eruditiſſimorum Rhetorum judicium eſt ſpectandum.

a Opiniones IC. quanti facienda.

Idem dictum volo ad ea, quæ de Iureconſultorum ſententijs, & reſponſis, & communium opinionum autoritate & prærogativa, ſupra ſunt propoſita. Neque enim tam ſpectandum eſt, quid fiat, quàm quid fieri debeat. *Juſtinianus* enim noſter, non ex multitudine autorum, quod melius & æquius ſit, ſed ex legibus judicandum eſſe ſtatuit. Fieri enim poſſe, ut unius etiam autoritate minoris ſententia, multis celebrioribus & præſtantioribus præcellat. Idem legibus, non ſententiis ſtandum eſſe præcipit: Neque res inter alios actas vel judicatas, aliis nocere dicit. Ac tametſi receptis ſententiis multùm eſt tribuendum; ſi autoritate legum & rationibus, ex fontibus juris & æquitatis

l. 1. §. Neq; ex multitudine. C. de veteri jure enucleando.

nórma

norma petitis, ſtabilitæ ſint: tamen, ſi vel legibus certis, vel juri manifeſto, apertè repugnent, vel evidenti ratione refelli poſſint, vel falſæ deprehendantur; omninò rejiciendæ ac repudiandæ ſunt: qua in re doctorum & excultorum Iuriſperitorum conjuncti ſunt animi & conſentientes voluntates.

Ad reſponſa verò eorum quod attinet, ut inſignis eſt inter doctos & indoctos, peritos & expertes differentia: ſic alia atque alia de eorum conſilijs & ſcriptis cenſura eſt facienda. Non enim modò aſpernanda, ſed magni etiam facienda ſunt eorum reſponſa, qui illa autoritate & legum, & rerum judicatarum, & teſtimoniis Interpretum, & rationum ponderibus corroborant. Ac quod Cicero in oratione illa pro Murena, ut cauſæ ſuæ potiùs ſerviret, quàm veritati ſtuderet, juriſconſultorum dignitatem & officium extenuarit, ex alijs ejuſdem libris facilè eſt perſpicere. Nam ſummos ſemper apud Romanos viros Ius civile populo interpretari ſolitos tradit. Eoſdem & oracula civitatis vocat, qui omnibus omninò de rebus conſulti fuerint; quod multis explicat in libris de Oratore. Ac cum his univerſi juris cognitionem adſcribat, planum eſt, munus Iuriſconſultorum, non anguſtis illis de privatis controverſiis actionum, cautionum, reſponſorum, formularumq; cancellis, coarctari, ſed ſub complexu ejus conſtitutionem civitatum, inſtituta Rerumpublicarum, deſcriptiones Magiſtratuum, contineri. 3. Reſponſa. Officium IC.

Quæ culpantur & reprehenduntur in Iuris conditoribus, legumq; latoribus; hominum ſunt vitia, 4. Nomothetæ.

non tam excellentis muneris atque honoris. Satis enim jam ante expoſui, ejuſdem finis rationem habendam eſſe, ad quem Jus naturæ tendit, nimirum, ut ſuos cives incolumes conſervent, ut vitam beatam traducant. Itaque majores ſuos ea virtute & ſcientia fuiſſe, idem *Cicero* lib. 1. de Inventione prodidit, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi, niſi ſalutem & utilitatem Reipubl. ob oculos ponerent.

Idem excellentes illi legumlatores, quos tantopere vetuſtas celebravit, apud ſuum quenq; populum ſpectarunt, veluti apud Hebræos *Moſes*, apud Cretenſes *Minos*, apud Lacedæmonios *Lycurgus*, apud Locros *Zaleucus*, apud Carthaginenſes, vicinosq; maris Punici accolas, *Charondas*, apud Athenienſes *Solon*. Quod ſi qui verò in populis aut civitatibus injuſta juſſa deſcripſerũt, illa legum jurisvè nomine nullo modo ſunt cenſenda. Ejus generis multa & varia exempla ſupra expoſui, veluti quod *Perſarum & Ægyptiorum* Reges, Magi, primates, inceſtu legibus inſtitutisq; permiſſo, ſe polluerint: quòd matrimoniorum, divina mandata, & juſtas leges. gentes quędam non obſervârint, ſed vagis promiſcuisq; libidinibus, conceſſu legum moribusq; receptis, ſedederint; quòd adulteria, promiſcui coitus, furta, latrocinia, licita fuerint; quòd jus honeſtumq; multis fuerit, ut ſibi ipſis mortem conſciſcerent; & carne humana veſci, & ſacrificia ſua atque funera humanis etiam victimis celebrare. Nam quia hæc inſtituta non modò cum jure naturæ, ſed & cum Dei præceptis pugnant, tantum abeſt, ut juris vim obtinere potuerint, ut tanquam injuſta cũ humanitate & virtutę pugnantia, atrocia & immania vitia & ſcelera meritò ſint execranda.

Injuſta lex non eſt jus.

Ac quidem omnibus temporibus fuerunt, qui hujuſmodi ſcita & mores averſati & deteſtati ſint. Et quantumvis his effrenatis libidinibus & cupiditatibus ſuis leges ac mores prætexuerint; nihilominus tamen divinitus puniti fuerunt. *Semiramis* enim à filio ſuo Ninea ſive *Nino* necata traditur, quòd eum ad inceſtum ſolicitârit. Sacroſanctæ literæ fœdam Ægyptiorum ſpurcitiem incuſant. Catullus *Perſarum* & Magorum religionē inceſtorum conjugiorum, ut impiam, inſectatur. *Philo* in libro de ſpecialibus legibus duorum Decalogi capitum, cum execratus eſſet inceſtum Perſarum, in quas etiā pœnas incurrerit, exponit: *Nihil*, inquit, *excogitari poteſt magis impium inceſtu; eo conſpurcari defuncti patris thalamum, cui maxima debetur religio*, matri nullam exhiberi reverentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem viciſſim uxoris nomen aſſumere, communes liberos, patris quidem fratres, matris verò nepotes cenſeri. Hāc prolis ſuæ matrē eſſe ac aviam, illum filiorum patrem & germanum uterinum. Oedipus licet tam ſceleſtum facinus apud priſcos Græcos Thebis ignorans commiſerit: tamen eas calamitates hæ nuptiæ ſecum traxerunt, ut nihil reliquum factum ſit ad miſeriarum cumulum. Sequuta ſunt enim continua bella, tum externa, tum civilia, velut hæreditario jure in filios nepoteſque ejus tranſmiſſa, quæ vaſtitates induxerunt maximis Græciæ civitatibus, ſtrages exercitibus, ducibus partium necem & in his fratribus, de regno acerrimo odio contendentibus, cædes mutuas attulerunt, & quæ non ſolùm in familiarum, Rerumpublicarumque, ſed etiam

Pœna juſti.

Digitized by Google

etiam ex majori parte in Græci generis perniciem redundarunt. Nam urbes antea populoſæ, exhauſtæ ſunt, reliquiis modò, calamitatum ad triſtem memoriam, & miſerandum ſpectaculum ſuperſtitibus. Ac ne Perſæ quidem, apud quos hoc receptum erat, cladium ſimilium fuerunt expertes, neque adhuc ſunt. Semper enim atteruntur expeditionibus atq; præliis, dum in mutuam cædem ruunt, nunc incurſando finitimos, nunc populatores arcendo à ſuis finibus. E multis enim locis hoſtes in eos impetum faciunt, quòd naturâ inquieti ſint barbari. Itaque ex alio tumultu alius naſcitur, ut nullo anni tempore vacationem habeant à militia, ut ſæpius in caſtris, quàm domi in oppidis, ijs ſit degendum. Omitto inſignes illas Regum calamitates & exitia, regnum à parricidio auſpicantium. Quæ omnia contingere opinor propter inceſta connubia filiorum cum matribus, Nemeſi tam nefariam impietatem vindicante. Nam habendi ſunt impij, non ſolùm qui talia flagitia perpetrant, verùm etiam, qui aſſentiuntur patrantibus. *Lucanus* ſeriem pudendam Regum illorum appellat. Clemens Martyr reges hos fœdis & olidis hircis comparat.

Iam verò omnes illi populi, qui & ſeipſos interficiunt, & parentes ſuos mactant & carnem vorant humanam, ab omnibus cultioribus & humanioribus hominibus & populis non modò pro barbaris habiti ſunt, ſed qui in figura hominis, feritatem & immanitatem belluarum referant. Solinus nefandas vocat Eſſedonum epulas; Mela Tauros ſive Scythotauros immanes ait moribus eſſe. Idem

quoque

quoque Gallos, ut immanes, inſectatur: Et Diodorus, Gallos pari ſuæ feritati impietate in Deorum ſacrificijs uti. Lucanus barbaricos ritus vocat, moremq; ſiniſtrum. Idem immites Deos horrentesq; feris altaribus, qui diro ſanguine placentur. Hanc quoque ſacrificiorum immanitatem Silius Italicus valde reprehendit, cum lib. 4. ait:

Quæ porrò hæc pietas, delubra aſpergere tabo?
Heu prima ſcelerum cauſa mortalibus agris
Naturam neſcire, Deum juſta ite precati,
Thure pio cædumq́; feros avertite ritus.
Mite & cognatum eſt homini Deus: *hactenus, oro,*
Sit ſatis, ante aras cæſos vidiſſe juvencos.

Hîc etiam in memoriam revoco, quod *Plinius* ſcribit *lib. 30. cap. 1.* non ſatis æſtimari poſſe, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra, in quibus hominem accedere religioſum erat, mandi verò, etiam ſaluberrimum. Deniq; *Lactantius cap. 21. divinarum Inſtitutionum, & Euſebius lib. 4. c. 7.* multis tetrorum horum ſacrificiorum exemplis enarratis, immanitatem hanc omninò deteſtantur. Addit Euſebius, Evangelicæ doctrinæ luce, Adriani temporibus, paſſim coruſcante, ac in varios populos penetrante, apud pleroſq; atrocitatem hanc religionis diſſolutam eſſe. Mela ſuis temporibus manere veſtigia illius feritatis jam abolitæ refert. Fuit autem hæc immanitas religionis à malis dæmonibus gentibus illis, veræ Dei cognitionis expertibus, ſuggeſta. Nam *Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. Antiquitat. Romanarum* meminit, Iovem & Apollinem, quòd eis decima hominum

naſcen-

naſcentium non immolaretur, univerſæ Italiæ graviſſimas calamitates invexiſſe. *Diodorus lib. 20.* ſcribit Carthaginenſes dixiſſe, Saturnum illis iratum fuiſſe, quòd excellentiori nobilitate filios ſuos immolari deſiiſſent, & clam emptos infantes atq; educatos eorum loco ſuppoſuiſſent. Itaque cum urbs eorum obſideretur, in animum induxiſſe, id divinitus fieri, quoniam priſcos honores Deorum non ſervaſſent: quare ad eos placandos, ducentos ex nobiliſſimis adoleſcentibus publicè ſacrificaſſe.

Epheſios verò ob impudentiam illam & perverſitatem etiam ſupremo ſupplicio dignos Heraclitus civis eorum, magni nominis Philoſophus, arbitratus eſt.

Quocirca non à barbaris & ab omni humanitate alienis hominibus, nec à gentibus immanitate efferatis, petenda ſunt exempla, quibus declaretur, naturáne honeſta & juſta profecta ſint, an hominum opinione conſtituta; ſed ab hominibus ingenioſis, prudentibus, probis & politis.

Multos autem civitates, multos populos optimis legibus inſtructos & juſtiſſimis moribus inſtitutos fuiſſe, commemorare poſſem, niſi tempus me deficeret. Ac quidem ea laude, Seres, Axiatæ, Arimphæi, quos Herodotus Agryppæos vocat, commendantur ab Herodoto, Plinio, Solino, Mela. Cum his congruunt etiam inſtituta & Romanorum, & noſtra aliorumque humanitate & ſtudiis virtutis ac doctrinæ excultorum hominum, qui omnes locupletiſſimi teſtes ſunt, *Jus naturâ, non opinione hominum conſtare.*

HABE-

Habetis, viri Clariſſimi, de hac quæſtione in utramque partem à me agitata ſententiam meam. Ac quod me dicentem tam attentè tamq; æquo animo audiviſtis, maximas vobis omnibus gratias ago. Quod ſi pro ſuo cuiq; ordine & loco, qua in re uſui eſſe potero; dabo operam, ut nec fidelis clientis obſequium, nec obſervantis hominis ſtudium, nec amiciſſimi & collegæ & Anteceſſoris officium in me deſidereris.

Dixi.

NICO-

NICOLAI CISNERI J. C.

De Iuriſprudentiæ dignitate, & D. Franciſci Duareni V. Cl. operibus

EPISTOLA.

Ad

JOH. MATTHÆUM STAMLERUM, Reip. Aug. Senat.

&

CONRAD. PIUM PEUTINGERUM, Advocatum.

QUANTA Iuriſprudentiæ in civitatibus ac Rebuspubl. omnis generis communiq; hominum vita, vis atq; poteſtas ſit, nemo vel mediocri rerum uſu præditus ignorat. Itaque optandum eſſet, ut ex quibus juris auctoribus, maximam partem legislationis ſuæ Iuſtinianus compoſuit: ijdem integri nobis ſupereſſent. Ut enim Romani in aliis artibus ac ſcientijs, quæ ad Reipub. conſtitutionem, adminiſtrationem, conſervationem, amplificationem, propagationemq; pertinent, cæteros populos ſuperarunt: ſic & in excolenda æqui & boni arte omnibus gentibus præſtiterunt. Unde & Iurisprudentum nomen, quaſi Romanorum proprium fuit. Neque Pragmaticorum

rum eadem apud Græcos, quæ Iuriſconſultorum apud Romanos vel facultas, vel dignitas fuit. Itaq; tantum, & libera Repub. & ſub dominatum principum redacta, tributum Iuriſperitis fuit, ut interpretationes eorum foriq́ue diſputationes, & reſponſa iuris civilis nomen auctoritatemq́; obtinuerint. Unde ijdem ab ipſis etiam Imper. nunc juris autores *a*, nunc conditores *b* appellabantur. Itaque ſi horum ſcripti de iure libri extarent, ex ijs colendæ tractandæq; juriſprudentiæ, in omnibus illis partibus in quibus poſita eſt, exempla & autoritatis pondere præſtantiſſima, & utilitatis ubertate optima, & ad diſceptanda judicia, resq; controverſas decidendas, & ad actiones inſtituendas, componendas, & ad cautiones rerum gerendarum conficiendas, & ad interpretanda obſcura, ambigua, & dubia, vel in jure, vel in privatorum conventionibus, teſtamentis, diſpoſitionibus, & actis, & ad æquum bonumq́; reſpondendum petere potuiſſent, qui huic generi ſtudij ſe dediderunt. Nulla enim juris ſcientiæ pars eſt, quam non ſcriptis illuſtrârint ſuis. Nam & ad leges, ſenatuſconſulta, edicta, orationes, & conſtitutiones Principum, commentarios, & Digeſtorum, Pandectarum, regularum, differentiarum explicationes, & de publicis aliisq́; judicijs, de cognitionibus, de enucleatis caſibus protribunalium decretorum, actionum, interdictorum, & de teſtamentis, legatis, fideicommiſſis, ſtipulationibus, reliquisq́; juris articulis; quæſtionum, tum aliarum, tum publicè tractatarũ, diſpu-

a) *l. divi fratres. ff. de jure patro.*
b) *l. nulla. C. de procurat.*

tationum, opinionum, reſponſorum, epiſtolarum, & ſimiles libros reliquerunt: Omnium igitur rerum, quas Iuriſprudentia complectitur exempla præclara, & formæ quaſi abſolutæ in ijs ad imitandum propoſitæ fuerunt. Sed ſive Triboniani culpa, ſive hominum illius ſeculi negligentia, ſive poſteriorum ætatum incuria, ſive communi rerum humanarum fato, magno certè & reipublicæ detrimento, & veræ juriſprudentiæ jacturâ accidit, ut ex egregiis illis ſummorum Iuriſconſultorum monumentis, non ſolùm pleraque omnino interierint, verùm etiam quæ ad manus noſtras pervenerunt, ſive in Pandectas ſint congeſta, ſive alioquin ex Pauli, Ulpiani, Caji operibus in hæc tempora ſervata, in Occidentis imperio aliquot ſecula in tenebris jacuerint: & cùm ex ijs emerſiſſent depravata, mutila & inſtar tabularum navis ex naufragio diſſolutæ in vaſto pelago disjectarum diſſipata fuerint. Quocirca omnes Iuris ſtudioſi diligentiſſimis & doctiſſimis his viris maximas gratias agere debent: qui has ipſas reliquias in lucem revocarunt, & ut à mendis erroribusque ac vitijs vindicarent, & quæ diſperſa, & in varios rivulos diviſa fuerunt, commodè conjungerent, ac ad ſuum quæque locum referrent, plurimum induſtriæ poſuerunt. Non faciam, ut quas utilitates ex ipſis fragmentis, præſertim quæ in Pandectis continentur, Iuris ſtudioſi percipere poſſint, multis commemorem: id enim nec loci huius eſt, nec inſtituti. Ut autem cœleſti quadam beneficentia, omnes ferè artes & ſcientiæ barbarie ſuperiorum ſeculorum deformatæ noſtra ætate ſuo nitori & dignitati maxima ex parte ſunt redditæ:

ſic nonnulli in Itália, Germania, Hiſpania, multi verò in Gallia, & lectione Digeſtorum, aliorumq; hujuſmodi fragmentorum excitati, & imitatione veterum accenſi, ut eorundem veſtigiis inſiſterent, rectumq; eorum more in interpretando ſequerentur, omni animi contentione incubuerunt. Quam viam ingreſſi ab Andrea Alciato Iuris in Academia Bituricenſi profeſſores, quo plus in eo genere profecerunt, propiusq; ad puram & ſynceram illam ipſorum Iuris authorum rationem in explicando Iure civili acceſſerunt: eò majorem laudem & veræ Iuriſprudẽtiæ deditorum comprobationẽ merentur. Ac in his qui primum locum in tam præclaro inſtituto tenuerũt, ponendus meritò etiã eſt Franciſcus Duarenus, cujus Cõmentarij veterem illum veræ Iuriſprudẽtiæ ſuccum ſapiunt, ſive purum dicendi genus, ſive artificioſam tractationem, ſive accuratum judicium ſpectaverimus. Fuit autẽ ſecundus ab Alciato: triennio enim poſt ejus diſceſsũ ſe in illa ſchola Ius civile profiteri cœpiſſe, nec multo interjecto tẽpore Eguinariũ Baronẽ collegam nactum in oratione quadã indicat, iisq; annis Commentarios de in litẽ jurando, de pactis, Anniverſariarũ diſputationũ lib. I. & Apologiã de Imperio ac juriſdictione edidit. Deinde intermiſſo hoc docẽdi Iuris munere, ad ampliſſimã regni Frãcici curiã Pariſienſem ſe contulit, ut ad uſum forenſem juris cognitionem aggregaret, non tam ut conſulentibus operam ſuam præſtando rem faceret, quàm ut cum Iuris cognitione etiam exercitationem conjungeret. Poſtquam verò triennium jam in Baſilica verſatus eſſet, & interea Eguinarius Baro è vita

Alciat.

Duaren.

diſceſſiſſet, amplo honorario ab Illuſtriſſ. D. Margaritæ Francica, Duce Biturigum, & ejuſdem civitatis magiſtratu revocatus ad juris gymnaſium, ut in eo primo loco Ius profiteretur; cùm ſe jam id conſecutum eſſe quod quęſiverat, in foro cerneret, & tum odio ſophiſtices, quam in ea corruptione judiciorum perſpiciebat, ut in literis ſuis ad Albas pineum conqueritur, tum natura ad illud magis, quàm ad hoc genus vitæ duceretur, exorari ſe paſſus eſt. Ac cùm non modò ei à præſtantiſſima illa principe acceſſio ſtipendij fieret, ſed & honore conſiliarij ejuſdem, præfectiq; libellorum ornaretur: in eo officio, quoad vixit perſtitit. Ante verò quàm Lutetia rurſus Biturigas migraret, commentationes ſuas de jure Pontificio, quas de ſacris Eccleſiæ miniſteriis ac beneficiis inſcripſit, ad eandem Principem miſerat, & in ejus nomine divulgaverat. Reverſus ad ſcholam, quæ vivo ſe excuſa ſunt, perpolivit, & in lucem emiſit, veluti Scævolam, commentarios in tit. Soluto matrimonio, & de verbor. obligat. ſecundum librum Anniverſariarum diſputationum, de jure accreſcendi libros duos, orationes item & epiſtolas aliquot. Atque hæc tantùm ipſe abſolvit. Ex his verò, quibus ipſe extremam manum morte præventus imponere non potuit, Martinus Treherius Commentarium de jurejurando ex ſententia & voluntate Duareni, quam paucis ante obitum ſuum diebus declaraverat: deinde prælectiones ad leg. Falcid. Leotius Briavius, tùm in conſuetudines Feudorum Ioannes Havichorſtius typis excudi curarunt. Etſi verò Treherius narrat Duarenum Hugoni Donello Col-

Collegæ ſuo, tantùm illum de jurejurando Commentarium à ſe emendatum edendum commendaſſe: tamen non idcirco noluit reliqua à ſe ſcripta non exire in manus hominum, ſed judicium adhiberi: ut quæ nomine ſuo digna non ſint, & autoritatem minuere poſſint, eorum editio omittatur. Novi enim ipſimet Duareno animum fuiſſe, ex his quædam quæ nunc demum prælo ſubjecta ſunt, in lucem proferre, ſi revidere ac recognoſcere potuiſſet. Ac cum hi, qui poſt Duareni obitum, præter illum de jurejurando alios quos ſupra commemoravi Commentarios excudi curarunt, gratiam à Iuris ſtudioſis inierunt, in bonam quoque partem eos accepturos ſpero, quæ illis non ſunt inferiora, nec utilitate cedunt. Eiuſmodi eſſe cenſeo Commentarios ad ff. lib. 4. 28. 29. 30. Ad tit. 1. lib. 21. de rebus credit. ad tit. 2. libri 41. de acquir. poſſeſſ. ad tit. 1. lib. 42. de re judic. & ad lib. 4. Cod. Quare licet tractatus hi poſthumi ſint, nec tantum virium acceperint, ac qui æditi ſunt ſuperſtite parente, tamen cum repræſentent, & forma, & animo parentem, lucis eis uſuram concedendam, dignosq; eſſe qui educentur & curentur, exiſtimavi: ac cum & præceptori bene de me merito, grati diſcipuli officium pręſtare, & juri operam dantium ſtudia adjuvare voluerim, etiamſi iis, qui & majori juris cognitione inſtructi ſunt, & de interpretationibus huiuſmodi Iuriſconſultorum rectius judicare poſſunt, aliud de his Duareni libris emittendis, quàm mihi viſum fuerit, non tamen idcircò mihi vitio daturos ſpero, quòd bono animo hæc eius opera divulgarim. Nam mihi perſuaſum ha-

beo, me ex ſcholis & prælectionibus Duareni, ex quibus ab eo magnam horum commentariorum partem excepi, multum in hoc ſtudiorum genere profeciſſe. Quare ita mihi cùm Duareni prælectiones, tùm in his antinomiarũ diſſolutiones placuerunt, ut nõ modò eas, quibus interfui diligẽter exceptas cuſtodiverim, ſed & alias quas vel ante meũ adventum, vel poſt diſceſſum noſtrates auditores annotatas, & in volumina redactas habebant, diligenter conquiſiverim, & nulla ſumtuũ ratione habita, deſcribenda curarim. Ac cum quædam ex ijs nonnullis amicis communicaſſem, & ad Typographorum notitiam perveniſſet, mihi & plura & emendatiora quàm aliis eſſe, multos jam annos à me contenderunt, ut ſibi ea typis imprimenda darem. Quibus hactenus negavi, propterea quòd hanc operam & laborẽ eos ſuſcepturos ſperarem, quibus à Duareno id commiſſum audiverã. Quod enim ſcirem, id illos omnium optimè præſtare poſſe, turpe viſum fuit, eos hac in re antevertere. Poſtquã verò ab ijs multos jam annos nihil editum eſt, & quidam in vicinia, qui vix dimidiã partem eorum, quæ jam retuli, habebat, eaq; ipſa vitioſa & manca de ijs ipſis imprimendis cum typographo quodam egiſſet, cui & ante tradiderat remiſſiones quaſdã imprimẽdas, quæ in lucẽ ſunt divulgatæ, ſatius eſſe & exiſtimationi Duareni, & ſtudioſis: melius conſultum ſum arbitratus, ſi potiora & integriora exirent, maximè quod alioquin in manibus multorum verſarentur. Itaq; cùm præter alios etiam Rovillius, me, ut quæ mihi eſſent ex Duareni operib' ſibi cõmunicarem, rogaſſet, & multa ſe ante cõquiſiviſſe mihi ſignificaſſet,

caſſet, ejusq; opera ipſemet Duarenus in excudẽdis ſuis p̃ cæteris uſus eſſet, eaq; omnia ferè, quæ Duarenus ipſe à ſe perpolita edidit, ab ipſomet accepta, accuratè, emendatè, & eleganter impreſſerit, ut omnibus iis, qui ea habent, notũ eſt, nemini potius quæ habui, quàm huic cõmittere debui. Etſi verò, quæ ex Duareni ſcriptis luce digna nõ putarẽ, eidẽ Rovillio in Indice quem miſi, notavi, idq; ex ſuperiorũ expoſitione intelligi poſſit: tamẽ cùm quæcunq; in indicem illum retuleram, & à me ex Duareni ore excepta, & à librario quodam Bituricenſi Iuris ſtudioſo deſcripta, ut ſibi mitterem, à me petiiſſet: voluntati ejus deeſſe nolui. Itaque omnia omninò, imò nonnullorum quorundam etiam Cõmentariorum bina aut plura exempla ad eum perferri curavi. Et cum ex literis ejus animadverterem, eum in his operibus publicandis doctorum quorundam, & in jure peritorum operã adhibere, quibus Duareni memoria & nomine nihil eſſet antiquius, eorum fidei & judicio, omnẽ hanc poſthumam Duareni ſobolẽ credidi. In ijſdem autem literis ſpem mihi fecit Rovillius, horũ induſtria ſe eodem cultu atq; habitu hanc, quo priorem illã prolẽ curaturũ ac ornaturũ. Ad vos verò, *Joãnes Matthae Stamlere, & Conrade Pie Peutingere*, quod attinet, cũ eodem tempore vos una mecũ cum aliis præſtantiſſimis Doctoribus, tũ Franciſco Duareno Ius civile interpretãti in Biturigũ auditorio operã dederitis, nec modò magni eorum in docendo viã & rationẽ feceritis, plurimũq; Duareni lectionib. incubueritis: ſed ſub ijs quoq; magnos in juris cognitione ꝓgreſs' feceritis, in veſtro nomine hæc quæ antehac

excuſa non fuerunt, apparere volui, tùm ut non ſecus atque meæ, ſic veſtræ quoq; erga illum ſit animi inductionis, & ſtudii documentum, tum ut mei erga vos amoris argumentum. Quæ enim tum inter nos contracta eſt amicitia, cum ſtudiorum cauſa Biturigibus viximus, licet poſtea locorum & regionum diſtantia diſiungeremur, nõn tamen idcircò elanguit: ſed cum ego, *Peutingere*, à te Lutetiam diſceſſiſſem, deinde ad Andes profectus eſſem, literis inter nos, quibus de variis Iuris quæſtionibus diſputavimus, culta fuit, nec veſtro in patriam reditu, honorum incrementis & dignitatis acceſſione, quæ inter nos fuit animorum coniunctio imminuta eſt, ſed firma conſtãsq; ſemper permanſit. Itaque cum vos ampliſſimus prudentiſſimusq; ſenatus veſter, propter inſignes ingenii dotes, & præſtantes animi virtutes nomine ſuo legatos ad comitia à Cæſare & Imperii ordinibus abhinc quinquennium hîc habita, miſiſſet, poſt tot annorum intervallum humaniſſimè me amiciſſi meq; complexi eſtis. Ac tametſi alii quoq; clari & excellentes viri, quibus cum mihi in Gallia uſus & conſuetudo fuit, legationis munere functi, veteris amicitiæ non fuerunt immemores, tamen ſumma veſtra erga me fuit benevolentia. Quare hæc egregia in me voluntatis propenſio tantum ad illum priſtinum meum in vos animum affectionis adiecit ut qui amore me erga vos vincat, nulli ſim conceſſurus. Neque enim ſatis vobis fuit, me in ære veſtro eſſe, ſed magnis & præſtantibus viris ita me commendaſtis, ut ob judicii veſtri de me teſtimonium, omnem mihi ſuam benevolentiam detulerint.

rint. Ac tu quidem, *Stamlere,* hæc tua in me beneficia novis ſubinde meritis cumulaſti. Cum enim præſtantiſſimæ reipublicæ tuæ cauſa, propter perſpicuam fidem, exploratam prudentiam, ſpectatam virtutem, multiplicem rerum uſum, excellentem autoritatem, interea aliquoties huc miſſus fueris, in ſummis occupationibus tuis nunquam prætermiſiſti, quin non modò amantiſſimè me compellares, ſed aditum quoque ad aliorum virorum excellentium amicitiam pro ſingulari tua humanitate patefeceris, in quibus eſt Georgius Tradelius vir & Iuriſprudentiæ & eloquentiæ laude celebris. Itaque iamdudum conſtitui, oblata aliquandò occaſione, grati animi erga vos mei voluntatem officio aliquo teſtificari. Hanc mihi nunc opportunitatẽ dari exiſtimavi, ſi quæ unà mecum ex Duareni lectionibus excepiſtis, ea (typis excuſa) veſtrum nomen circumferrent. Quod ſi igitur hac opera conſecutus fuero, ut quæ mea erga vos affectio, qui amor ſit intelligatur, aliquam me vobis gratiam ſi non retribuiſſe, at habuiſſe arbitrabor. Valete. Spiræ Calend. April. M. D. LXXVIII.

NICOLAI CISNERI J. V. D. Tribunalis Imp. Aſſeſſoris

De Jurecoſſ. præſtantib. tum antiquis Romanis, tum poſteriorib. & neotericis interpretib. Juris, ejusq; recta interpretandi ratione, modoq; emendandi jus, & judicia forenſia ſive practica.

Ad CLL. genere, doctrina ac virtute VV.

PHILIPPUM & ANTONIUM GEUDEROS FF. Noribergenſis Reip. Senatorem & Aſſeſſorem.

Epiſtola eruditiſſima,

Præfixa Duareni Tomo II. edito Lugduni.

Iurecoſſ. diſſenſiones.

CUM in alijs bonarum rerum diſciplinis & artibus, præſertim quarum omne opus eſt in agendo: tum magna eſt in Juriſprudẽtia opinionum diſcrepantia. Nam jus ſuis temporibus fuiſſe, quod inter peritiſſimos ambigeretur, & in multis articulis aliud alij viſum, non uno in loco Cicero a demonſtrat, ac temporibus *Auguſti Atejum Capitonem*, & *Antiſtium Labeonem* Iuriſconſultos, veluti diverſas ſectas Iuriſconſultorum feciſſe, multa innovante Labeone, easq; diſſenſiones poſteà

a) *Lib. 1. de Orat. libro 7. Epiſt. ad Trebat. 23.*

poſteà à *Maſſurio Sabino* & *Nerva* auctas, cùm ille Capitonem, hic Labeonem ſequeretur, rurſuſque Sabino *C. Caſſio*, Nervæ *Proculo* ſuccedente, adeò illa diſſidia creviſſe: ut alii *Caſſiani*, alij *Proculiani* appellarentur, autor eſt *Pomponius* b: qui etiam, quos uterque ſucceſſores & ſectatores habuerit, ad Salvium Iulianum uſque commemorat. Sed cùm illæ controverſiæ, quarum multa adhuc veſtigia in Pandectis extant, de ipſis juris capitibus & quæſtionibus eſſent: noſtris temporibus non ſolùm de juris articulis diſſidentes ſunt opiniones: verùm etiam de toto genere id interpretandi & tractandi, & inter peritos, & ſtudioſos juris ſumma eſt diſſenſio. Quod ſi eruditorum in jure multiplices ſint ſententiæ, quibus prudens eſt judicium, quo æquum ab iniquo, juſtum ab injuſto diſtinguant, multò majores indoctorum in opinionibus de jure varietates ſint oportet: cùm imperitia impediantur, quo minus quod æquum bonumque ſit, cernere queant. His enim ſunt obtuſiora ingenia, infirmiora judicia; faciliores & frequentiores, & ad errandum & ad diſſidendum cauſæ & proclivitas. Quamobrem ut non tantùm diſcernere poſſimus recta & ſincera judicia à vitioſis & depravatis: verùm etiam, quod optimum ſit, exquirere; certæ notæ & formulæ ſunt conſtituendæ, quibus ea dijudicare poſſimus.

Ac primò quidem ſciendũ, Philoſophos & κριτήρια, inſtrumenta nobis à natura ad judicationem indita, & τὰ ὄντα, quæ ijs ſubjecta ſunt, & ipſa cognitionum genera, diſcriminare, ut id pluribus *Fons diverſitatis judiciorũ.*

alijs

b) *l. 2. §. poſthumi. uſque ad fin. de orig. jur.*

alijs in locis expoſui, quæ hîc perſequi nimis longum fuerit. Ut autem τὰ νοητὰ καὶ διανοητὰ, quæ mente ſive intelligentia comprehenduntur, & vi ratiocinandi concluduntur, ſimplicia, perpetua, & neceſſaria ſunt; ſic & ſimplex eſt eorum comprehenſio, & ſcientia certa, γνωστικὴ ἐπιστήμη: contra perinde, ut τὰ αἰσθητικὰ ex diverſis partibus compoſita, caduca, inconſtantia ſunt, aliterq́; atq; aliter ſe habent: ſic & varia & diverſa multiplexq́; eſt eorum apprehenſio & cognitio, ex ἐμπειρίᾳ στοχαστικῇ. Etenim à ſenſibus profecta atque percepta, & τῇ εἰκασίᾳ, imaginatione, collecta τῇ συμπαρατηρήσει καὶ ἐμπειρίᾳ, obſervatione, uſu, & experientia probatur & confirmatur. Hujus poſtremi generis cùm omnes artes ſunt πρακτικαί, tum πολιτικαὶ, univerſa civilis facultas, cujus pars eſt Iuriſprudentia.

Quoniam igitur non modò ex ipſarum rerum, in quibus hæc poſita eſt, affectione & natura, ſed & ipſorum Iuriſconſultorum in diverſas quaſi partes diviſione, difficile eſt certum quid conſtituere: magna cura & diligentia ingenij acies ad bona deligenda, & rejicienda contraria eſt exacuenda.

Norma judicandi. Quod cum generali illa veri & falſi diſcernendi ſcientia, & cujuſque diſciplinæ quaſi proprijs inſtrumentis, tum his duabus rebus conſequemur: & ſi animadverterimus, quid omnium conſenſu laudatiſſimis in ſua quibusq́; arte probetur, quidque maximè in ijs excellat: & ſi ſingularum facultatum præcepta atque regulas obſervaverimus, & ad uſum applicuerimus. Nam illi longa & diligenti obſervatione eorum, quæ in ſua arte præclara

clara & præſtantia eſſe intelligebant, formam quandam eius diſciplinæ, cui dediti erant, abſolutam mente, animoque comprehendebant: Quam ſubinde intuentes quid ei ſimile, quid diſſimile eſſet, quid ab ea propius, quid longius abeſſet, cernebant, & in imitando atq; exercendo, ut eam affingerent, ſtudium, actionesque ſuas dirigebant. Ex eadem quaſi imaginem quandam animo adumbratam ducentes, notiones, præcepta, & axiomata artium, & doctrinarum conſtituerunt. Hinc Cicero de ijs artibus, quæ in rerum actione verſantur, differens *c* ait, quicquid ſit, de quo ratione & via diſputetur, id ad ultimam ſui generis formam, ſpeciemque eſſe redigendum. Itaque ſi his quoq; notis in diſſidentibus Iuriſconſultorum & interpretum opinionibus dijudicandis uſi fuerimus, non erit difficile ſtatuere, quid cùm in dubiis quæſtionibus, tum in tanta de tota ferè doctrina, ac interpretandi juris ratione diſcrepantia ſit probandum, quid improbandum. Nam qui poſt illos Iuriſperitos, quos Pomponius recenſet, ſectarum illarum ſtudio non tenebantur, præclara & ſcientia, & exquiſito judicio præditi, Iuris auctores, nunc Proculi ſive Proculianorum, nunc contrariam Caſſianorum, ſive Sabinianorum, nunc intermediam inter utramq; Scholam, amplectebantur ſententiam. Eadem libertate judicandi uſi ſunt, qui Inſtitutiones compoſuerunt, id quod ex magna copia aliquot exemplis oſtendere viſum eſt. *Libera judicia Veterum IC.*

Nervæ igitur & Proculo, rejecta Caſſij & Sabini opinione, *Paulus* in l. 1. de contrah. empt. *Divi Princi-*

c) *In oratore ad Brutum.*

Principes ante Iuſtinianum, & *Iuſtinianus* ipſe in §. item pretium. inſtit. de empt. & vend. in hac quæſtione aſſentiuntur, *an ſine nummis emptio & venditio dici*, vel in cęteris rebus pretiũ eſſe poſſit. Utriuſque enim partis argumentis expoſitis & examinatis, concludunt, aliud eſſe emptionem & venditionem, aliud permutationem: nec ſine pretio ſive nummis emptionem & venditionem conſiſtere poſſe. Sic & Paulo in l. ſed Proculus ff. manda. & Iuſtinia. in §. is qui exequitur. Inſtit. eo. Proculi ſentẽtia & verior, & benignior viſa eſt in hac hypotheſi, cum quis in obeundo mandato plus præſcripta ſumma impendit. Nam Sabinus & Caſſius negaverunt mandati actionem competere, etiam ſi uſque ad præſtitutam ſummam agere voluerit, & paratus ſit id, quod excedit, remittere. Contra Proculus & diverſæ ſcholæ autores rectè uſq; ad pecuniam ſtatutam acturum exiſtimant. Ita in hac inter eos diſceptatione quę proponitur in l. quidam. ff. de iure Codicil. *An legata* quæ poſtea quam inſtituti mortem obierint, codicillis adſcripta vel ademta ſint, à ſubſtitutis debeantur, an perinde datio & adẽptio etiam hoc tẽpore codicillis facta valeat, ac ſi teſtamento facta eſſet; cùm id affirmarent Sabinus & Caſſius, Proculus negaret: utriuſq; ſcholæ rationibus excuſſis, veriſſimam Proculi ſententiam eſſe, Scævola ait. In illa etiam quæſtione, *quando pubes quis intelligatur*, Iuſtinianus in pr. Inſtit. quib. mod. tute. finia. Proculeiorum ſententiã probavit. Nam ut Ulpianus tradit tit. 11. §. ult. in frag. Inſtit. Caſſiani puberem cum dicebant, qui habitu corporis pubes

bes appareret. Proculus autem, qui quatuordecim annos expleviſſet. Priſcus Iavolenus cum puberem eſſe, in quem utrumq; concurreret. Sed Proculi ſententia à Iuſtiniano recepta eſt. ratio petatur ex Macrob. lib. 1. c. 6. Saturnal. Inter illarum quoque ſcholarum auctores controverſum fuit, quando is, qui certarum nundinarum diebus dari ſtipulatus eſt, petere poſſit. Sabinus ait, primo die poſſe petere, Proculus, eiusque aſſeclæ, quandiu vel exiguum tempus ex nundinarum ſpacio ſuperſit, cum hac Venuleius ſe ſentire. l. eum qui certarum, 138. ff. de verb. obl. tradit. Contra verò Paulus l. 1. ff. rerum amot. Sabinum & Caſſium ſequitur in hac inter eos controverſia, *an uxor marito furtum faciat*. Cum enim Nerva & Proculus exiſtimarent, furtum eam non facere, Sabinus & Caſsius autem facere quidem, ſed furti non eſſe actionem, jure conſtituto, & Paulo & pleriſque placuit, cum ea quæ uxor fuit, furti agi non poſſe. Sabini quoque ſententiam Scævola Proculi prætulit in l. ſi duo rei. 93. in fi. ff. de ſolut. quòd ſi fideiuſſor reum promittendi hæredem ſcripſerit, confundatur obligatio. Sæpe verò utriuſque Scholæ placita moderatione quadam temperabant. Nam in quæſtione illa quando ſtipulationes conditionem in non dando conceptam habentes committantur, veluti ſi Pamphilū non dederis, centum dare ſpondes? an cum certum eſſe cœperit, dari non poſſe, quod in conditione eſt, an verò cum per promiſſorem ſteterit quo minus daret. Pegaſus qui Proculo ſucceſſit reſpondit, nō ante cōmitti ſtipulationē, quàm deſiiſſet poſſe Pāphilus dari. Sabinus autem exiſti-

tur. Diſtinctione etiam utriuſque familiæ ſententias moderatus eſt Paulus in l. illud quoque. ff. de petit. hæred. Si enim lite conteſtata, mancipia, iumenta, aut pecora depoſuerint, cùm damnandum reum eſſe in ſpecialibus petitionibus Proculo placuiſſet, Caſſius contra ſenſiſſet, hanc pugnam Paulus ita componit in prædonis perſona, Proculus rectè exiſtimavit: in bonæ fidei poſſeſſore Caſſius, atque hoc pleroſque dicere Ulpian. ait, in l. 25. item ſi verberatum. §. ulti. de rei vend. ſed ipſe verius eſſe cenſet, ſi fortè diſtracturus erat petitor, ſi accepiſſet moram p. ſſo pretium præſtandum eſſe. Nam ſi ei reſtituiſſet, diſtraxiſſet, & pretium eſſet lucratus. Eadem conciliatione uſus eſt in non diſſimili controverſia inter eos autores, à quibus diverſæ illæ ſcholæ originem cœperunt. Ulpian. in l. item videndum. 18. ff. de petit. hæred. Ex his exemplis, in quorum expoſitione lõgius ſum progreſſus, videre licet in huiuſmodi quæſtionibus juris noſtri auctores, & Iuſtinianum non in unius ejuſdemq; ſcholæ ſententiam ſemper diſceſſiſſe, ſed uti viſum ex re fuerit, nonnunquam illius, nonnunquam huius placita ſectatus, nonnunquam temperatione quadam diſcrepantia inter ſe conciliaſſe.

Iam verò cum his noſtris temporibus non modò in multis juris capitibus diverſæ & contrariæ ſint Iuris & Conſultorum & Doctorum opiniones, ut jam ante indicavi, ſed & ſummopere de toto genere doctrinæ, & interpretandi ratione, ipſorumque interpretum familiis, quæ quibus ſint anteferendæ inter ſe diſſideant: plurimumq; referat,

quam partem nos conſectemur, eiſdem illis notis & formulis à me ſuprà propoſitis in delectu faciendo eſt utendum. Nam ſatis conſtat tritam illam jam inde à *Bartolo*, à pleriſq; interpretibus in docendo viam majorum parentumq; noſtrorum memoria in gymnaſiis ab omnibus ferè interpretibus, tàm conſtanter pertinaciterq; ſervatam, ut ejus relinquendæ nunquam in animum ulli eorum venerit. Etſi enim in quarundam legum explicatione, nonnulliſq; juris quæſtionibus inter ſe diſſentiebant, ut à Bartolo *Baldus*, ut nunc ab illo, nunc ab hoc, vel aliquando ab utroque, Chriſtophorus Caſtilionæus, ejusque diſcipuli *Fulgoſius* & *Cumanus*, tamen interpretandi ratione congruebant. Itaq; noſtra ætate valde invidioſum eorum fuit inſtitutum, qui primi à recepta illa conſuetudine receſſerunt. Quanta enim invidia flagravit *Alciatus*, qui tamen inveteratum illum morem non adeò immutavit. Nam ab ijs, qui tum primas ſibi in juris ſcholis vindicabant, in Grammaticorum potiùs quàm Juriſconſultorum numero eſt habitus.

Conſuetudo tyrannus.

Alciatus.

Quàm grave verò & acerbum odium eorum, qui vulgatam docendi rationem probabant in ſe concitarit *Baro*, ipſe in Epiſtola quadam, quam præpoſuit commentario de juriſdictione, queritur, ſubinde ſibi cum novis auditoribus, qui ſtudio magis eorum, quos ante audiverant, quàm judicio, illorum partes tuebantur, tam continens & acre bellum per annos aliquot fuiſſe: ut nullum tranquillum ſpiritum duxerit. Nec minori invidia & odio laboravit *Duarenus* noſter cum ipſe quoq; ante an-

Baro.

Duarenus.

nos

nos xxxv. eandem ante Baronem in Biturigum Academia viam ingreſſus, jus civile interpretaretur. Ac quidem ex iſtis, qui diverſam à communi & uſitata in docendo & interpretando rationem ineuntibus irati, & iniqui fuerunt, ingenioſiores & acutiores his cauſis commotos eſſe arbitror: Primò, quòd exiſtimarent, hos de verbis magis, quàm re laborare: prudentiam autem omnem, maximè verò juris, in rerum cognitione eſſe poſitam. Eam verò adeò magnam eſſe, & latè patere, ut totum hominem deſideret, qui nihil aliud cogitet, atque agat; ſed in id unum ſumma animi contentione & diligentia per omnem ætatem incumbat. Itaq; non tantùm in eo illos conſequi poſſe putabant, qui non in id ſolùm operam ſuam conferrent, ſed & linguarum & antiquitatis cognitioni, alijsq; humanioribus diſciplinis vacarent, atq; his qui ab ineunte ætate, uſq; ad occaſum vitæ, in eo uno omnē operam, omneq; tempus conſumerent; proptereà quòd animus diverſis occupatus & quaſi diſtractus ſtudiis, tantùm perficere non poſſit, atq; ſi vis ejus in unam diſciplinam ſit defixa ac converſa. Deinde quòd literarum potiùs quàm juris ſtudioſos eſſe ducerent: qui florem tantum, non ſuccum atque ſanguinem juriſprudentiæ quærerent, exemplo à *Budæo* ſumto, qui maxima ex parte in indaganda & interpretanda verborum ſignificatione elaborarit: difficiles reconditæ materiæ nodos non attigerit, nec magna obſcuritate involutas quæſtiones explicarit. Tum quod novitatis magis quàm veritatis amore ab inveterata illa conſuetudine, eos deſciviſſe ſuſpicarentur. Plerique verò, qui in loco *Budæus*

Digitized by Google

aliquo atque ordine erant, idcircò illos infenſo animo oppugnabant, quòd timerent, ne hoc novo inſtituto, tum ſua met exiſtimatio, quam ſibi hactenus compararant, decreſceret, tum autoritas interpretum, quibus ſummam deferebant, læderetur; cum inſtar legislatorum laudarentur; tùm recepta Iuriſprudentiæ majeſtas labefactaretur; quæ omnia illi tanquam ſacroſancta, ſarta tecta tueri & conſervare cupiebant. Hos velut auctores ſecutus eſt grex reliquorum, qui alios ſtudio magis eorum, à quibus toti pendebant, quàm ullo judicio, inimicè inſectabantur. Nam cum apud eos, ut olim, teſte Cicerone, apud Pythagoreos, tantùm opinio præjudicata poſſet, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas; negabant hos Iuriſconſultos eſſe, qui non barbaro, horrido, & ſpinoſo illo genere Orationis uterentur, quod Doctores ſui & ſuperioris ætatis interpretes uſurpare ſolebant. Uſque eò autem hi & latinitatem & elegantiam ſermonis exoſam habebant, ut qui eam colerent, in Iuriſprudentiæ arcem evadere non poſſe putarent. Itaq; à civitate Iuriſconſultorum in Grammaticorum provinciam eos relegabant.

ICti Politi.

Rurſus qui illorum diſciplina deſerta, novum hoc genus docendi atque interpretandi amplexi ſunt, his rationibus ſe adductos profitentur, quòd latinam dictionem & ſermonē neglexerint, quem ipſi Iuris autores diligentiſſimè excoluerint; quòd non modò ipſi incultè, horridè, barbarè, ineptè, vitioſè locuti ſint, ſed nec genus dicendi ipſorum juris autorum proprium & familiare ſint aſſecuti: in cujus vi rectè cognita totius quæſtionis cardo ali-

aliquando vertatur, quæ unius vocis expoſitione clarius quàm multis eorum columnis, paginis & folijs evolvatur; quòd in re quæ per ſe ſatis perſpicua ſit, nec ulla vel explicatione vel comprobatione indigeat, plurima ſæpè verba ſupervacaneè & inutiliter profuderint, magnoq; libros & Commentarios confecerint, & in amne ſedato Aegei maris fluctus concitârint; quòd diſputationes alienas ab eo loco quem ſibi propoſitum habebant, in medium protulerint, eoq; frequentius ijs, quæ interpretãda ſuſceperunt, tenebras offuderint, quàm lumen præſtiterint; quòd non modò rudes & antiquitatis ignari, & veteris moris & memoriæ expertes, & à literarum cultu alieni, ſed & ab omnibus ingenuis doctrinis, ſibi ſuiſq; interdixerint, quas veteres IurCoſſ. ſtudioſè ſunt complexi. Itaque in jure Iuſtinianeo librariorum errore corrupta, mutila, manca, non ſanaſſe nec reſtituiſſe, ſed inſcitia ſua depravaſſe, & mendoſiora reddidiſſe. & idcircò maximis ſæpè cõtroverſiis cauſam præbuiſſe. Hinc alios capita juris invertiſſe, leges torſiſſe, verba earum captaſſe, vim ſenſis intuliſſe, & quæ præclarè jure conſtituta erant, ingeniis atq; ineptiis ſuis corrupiſſe. Alios verò vix inſpectis ipſis legibus, jureq; Iuſtinianeo, prioribus interpretibus ſe totos mancipaſſe; nec ex opinionum apud eos quaſi labyrintho unquam ſe extricare potuiſſe; non ſolùm Iuriſprudentiæ finem non ſpectaſſe, ſed nec imagines quidem veri juris, germanæq; juſtitiæ ſequutos, ac pro arte boni & æqui ſophiſticen, & callida ac verſuta aucupia tractaſſe. Quocirca quod pleraque apud eos, prudentiæ inaniſſima, ab æqui-

Digitized by Google

tate alieniſſima, ineptiarum & fraudum pleniſſima reperiantur, multi ex his, eos ut indignos lectu abjecerunt. Sunt etiam qui, quòd bonos & doctos Iuriſconſultos iniquè ab ipſis premi cernerent: indignatione quadam correpti, eos omninò aſpernentur & contemnant: libros eorum pro Augiæ ſtabulo habentes, cui purgando nec Hercules quidem ſufficiat; & pro herbis noxiis in fœcundo ſolo enatis ducentes, quibus evellendis nullius hominis, quantumvis vivacis ac longævi, ætas ſufficiat.

In hac igitur non modò diſſidentiū opinionum differentia, ſed & pugnantium inter ſe partium diſcordia, ut quod optimum eſt ſequamur, formulæ illæ ac notæ ad diſtinguendum, & diligendum accommodatæ, ſunt adhibendæ.

Vetus interpretandi Iuris ratio.

Primò igitur ſpectare oportet, quam interpretandi docendiq; juris rationem venerandi illi primi nominis, & ampliſſimæ auctoritatis antiſtites tenuerunt, quos meritò utraq; pars colit, ſuſpicit & admiratur. Ac ſi ſcripta eorum ad noſtram ætatem perveniſſent, facile eſſet vel mediocri judicio prædito, quem ordinem ac methodum in *legum, plebiſcitorum, conſtitutionum, teſtamentorum, ſtipulationum*, aliarumq; conventionum interpretatione, & quam loquendi rationem ſibi familiarem uſurparint, obſervare: Sed quia omnia ferè monumenta hujuſcemodi interciderunt: reſtat ut id ex reliquijs eorum perſcrutemur. Et quidem à diligentibus inveſtigatoribus id ex capitibus in Pandectas

Pandectæ.

conjectis, aliquo modo deprehendi poteſt, ſi quæ cujuſq; ſint auctoris, in alios atq; alios titulos diviſa, adminiculo inſcriptionum in unū collegerint, & ad eorundem ſingulos libros retulerint. Ex qui-

bus conſtat, eos & in vocabulorum poteſtate & origine exponenda multum collocaſſe operæ & diligentiæ, quæ in lege, edicto, aliisq; juris partibus continebantur, & cujuſq; proprietatē & vim ac rationem ſtudioſè indagaſſe, & qua ſignificatione accipienda, laténe an ſtrictim enarraſſe, neq; verba captaſſe, ſed quâ mente quidq; diceretur, animadvertiſſe: deinde commoda tractandi via & methodo uſos, tum in explicandis ſenſis legum animum & voluntatem eorum, qui tulerunt aut edixerunt, & qua ducti ratione fuerint, & quem ſibi finem propoſitum habuerint, quoad ejus fieri potuit, accuratè conſideraſſe, ſimplicitatem magis quàm difficultatem probaſſe. Si quæ verò vel in ipſo jure, quòd interpretabantur, vel in cauſis & controverſiis, quæ ijs deferebantur, dubia, ambigua, obſcura, perplexa inciderunt, ea æqui boniq́ue diſputatione, recti praviq; diſcrimine, explanaſſe, diffiniviſſe & dijudicaſſe. Inprimis autem juſtitiæ amantiſſimi, « æquitatis ſtudioſiſſimi, amputandarum litium, di- « rimendarumq; controverſiarum cupidiſſimi fue- « runt; ſanctiſſimam rem, civilem hanc ſapientiam « ducentes, quæ pretio nummario, nec æſtimanda ſit nec dehoneſtanda; non pro quæſtus aucupio habentes. Hæc ut facilè quivis vel mediocriter doctus perſpicere poteſt, à me collecta ſunt, cùm ex illorũ Iuriſconſultorumet ſcriptis, quæ Pandectis continentur, tum ex aliis probatis auctorib', jurisq; cognitione imbutis, qui ijs vel ætate ſuperiores, vel æquales fuerunt. Ac quidem eos præcipuam curam rationemq; juſtitiæ æquitatisq;, quam Ariſtot. ἐπιεικείαν vocat, habuiſſe, eamq; ſtricto juri p̃tuliſſe: Et

ICti veteres verborum & methodi ſtudioſi fuerunt.

Æquitatis ſtudioſi.

inprimis æquum bonumque & ſpectaſſe & Iuriſconſulto ſpectandum eſſe exiſtimaſſe, non modò Ulpianus *a* oſtendit (quod poſtea etiam Conſtantino & Licinio Impp. placuit *b*) ſed & probatiſſimorum exemplis comprobatur. Quæ cùm multa ſint, ne ineptè ſingula perſequar, vel maximè principum ſuæ ætatis iuriſprudentum *C. Aquilij Galli* & *P. Servij Sulpitij* ex Cicerone, laudes utriusq; commemorante, ſatis fuerit referre. Ac illius quidem auctoritatem nunquam nimium valuiſſe in Oratione, quam pro Cecinna habuit, dicit, cuius prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perſpexerit, qui Iuris civilis rationem nunquam ab æquitate ſejunxerit, qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo Rom. promtam præbuerit: qui ita juſtus & bonus vir ſit, ut naturâ, non diſciplinâ conſultus eſſe; ita peritus ac prudens, ut ex jure civili non ſcientia ſolùm quædam, verùm etiam bonitas nata videatur; cujus tantum ſit ingenium, ita promta fides, ut quicquid inde haurias, purum liquidumque te haurire ſentias. *Servij* verò *Sulpitij* ſemper, inquit in nona Philippic. gravitatem, conſtantiam, fidem, præſtantiam, in Repub. tuenda curam, atq; prudentiam omnium mortalium fama celebrabit: nec verò ſilebitur admirabilis quædam & incredibilis, & penè divina eius in legibus interpretandis, æquitate explicandis ſcientia, omnes qui ex omni ætate hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, ſi unum in locum conferantur, cum Servio

a) *l. 1. de juſtit. & jure.* b) *l. placuit. C. de judic. de qua Duaren. in lib. 2. Anniver. diſput. c. 18.*

vio Sulpitio non ſunt comparandi. Neque enim ille magis Iuriſconſultus quàm juſtitiæ fuit. Itaq; « quæ proficiſcebantur à legibus & à Iure civili, ſemper ad facilitatem, æquitatemq; referebat. Neque « conſtituere litium actiones malebat, quàm controverſias tollere. Idem Cicero in eadem illa oratione pluribus oſtendit, ſemper id habuiſſe plurimum, quod *a* in ſe auctoritatis habuit, æquitatisque plurimum. Iuris retinere ſententiam & æquitatem, plurimum valere oportere; verbo, ac literâ, jus omne torqueri. Itaque ſapientiſſimos ho- « mines, intellecta æquitatis ratione, verba exquiri « omnia noluiſſe. Eos etiam, qui conſulebantur, « Iuriſperitos conſenſiſſe, æquitatis rationem non « verbi habere oportere. Quocirca utilitatem com- « munem non deferere ſolùm, ſed & prodere, qui ad « verba rem deflectant, conſilium autem eorum qui « ſcripſerunt, & rationem, & auctoritatem relin- « quant, verbisq; æquitatem oppugnent. Etſi verò « ijdem juris antiſtites priora duxerunt ea ſtudia, quæ ad juriſprudentiam ſpectabant, tamen non totam ætatem in ijs ſolis triverunt, ſed cum illis etiam aliarum rerum cognitionem & ſcientiam junxerunt, præſertim verò quarum proxima eſt cum juris diſciplina cognatio, ut proprietatis ſermonis, diſſerendi & veri falſiq; judicandi artis, & moralis civilisq; ſapientiæ.

Sed quia magna & patrum & noſtra memoria, *ICti docti* & fuit & eſt opinio, neminem eorum laudem clari, *ſint in o-* egregij, excellentisq; Iuriſconſulti conſequi poſſe, *mni ſcien-* qui literis quoque aliisq; liberalibus diſciplinis *tia.*

a) *pro Cecinna.*

operam dederint: Propterea quòd acies mentis animiq́ue vis diſtrahatur: quam ſolam ad comprehendendam Iuris ſcientiam, & inprimis difficilem, & latè patentem, intendere oporteat; infirmanda eſt & tollenda eorum exemplis, qui uno omnium ore & animo pro Iuris peritiſſimis habiti fuerunt. Hos enim ita juris civilis laude floruiſſe, ut aliis etiam literis doctrinaq; pręſtarent, certiſſimo multorum veterum teſtimonio planum faciam. Cujus vel locupletiſſimum habemus teſtem, eum ipſum quem paulò antè commemoravi *Ciceronem* lib. 3. de Orat. Nam apud eum Craſſus refert, ſæpe ſe audiviſſe de patre & ſocero ſuo, Romanos, qui excellere ſapientiæ gloria vellent, omnia quæ quidem nunc civitas illa noſſet, ſolitos eſſe complecti. Satis autem conſtat apud nullam gentem, nullámve civitatem perinde vel excultam, vel in honore fuiſſe juris prudentiam, atq; apud populum Romanum, eumq; iis in artibus, quib' ſe dedidit, cæteros mortales longè ſuperaſſe. Itaque ſummos *a* & ampliſſimos viros & clariſſimos *b* homines, & cives, & Principes *c* civitatis Iuriſprudentiæ ſtudio præfuiſſe, Iuriſq; civilis cognitionem atq; interpretationem, in poſſeſſione ſua retinuiſſe Cicero tradit; & Pomponius *d* Iuris civilis ſcientiã maximos viros profeſſos ſcribit: ex quibus eos recenſet, qui maximæ fuerunt apud populum Romanũ auctoritatis & dignitatis. Proinde idem Craſſus generali ſuæ propoſitioni ſubjicit exempla excellentiſſimorum virorum, qui omnes Conſules, pleriq; Pontifices Maximi,

Exempla Romanorum.

a) *de legibus lib. 1.* b) *lib. 1. de Orat.*
c) *lib. 2. de offic.* d) *l. 1. 2, §. juris civilis. de orig. jur.*

Maximi, nonnulli etiã Cenſores fuerunt *Sexti Aelij, M. Manlij, P. Licinij, Craſſi* veteris, *T. Corruncani, P. Cornelij Scipionis Naſicæ, & Marci Catonis.* Etenim ad primos illos duos *S. Aelium, M. Manlium*, tranſverſo ambulantes foro, & in ſolio ſedentes domi, ſic aditum, non ſolùm ut de jure civili ad eos, verùm etiã de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni deniq; aut officio, aut negocio referretur. Eodem modo ad Craſſum, Corruncanum, Scipionem, prudentiſſimos homines, de omnibus divinis atque humanis rebus relatum: eoſdemq; & in ſenatu, & apud populum, & in cauſis amicorum, & domi, & militiæ, conſilium ſuum fidemque præſtitiſſe. *M.* verò *Catonem*, & in dicendo, & in juris ſcientia & laboraſſe & præſtitiſſe, & in capeſſenda Republ. privatorum negociis retardatum non fuiſſe, neminem apud populum fortiorem, neminem meliorem *a* Senatorem; eundem facilè optimum Imperatorem, denique nihil Romæ temporibus illis ſciri diſcive potuiſſe, quod ille non tum inveſtigarit & ſcierit, tum etiam conſcripſerit. Atqui apud eundem *b* *Antonius* propoſita Iuriſperiti definitione exemplis utitur S. Aelij & M. Manilij, qui verè Iuriſconſulti nominari poſſint. Idem in *Catone Maiori* Sext. Aelium (ita enim legendum puto, non Sext. Aemilium) cum aliis commemorat, à quibus jura civibus fuerint præſcripta. *Et in Bruto:* S. Aeliũ juris civilis omnium peritiſſimum, ad dicendum etiam

a) *lib. 1. de orat.* b) *d. l. 2. §. deinde. Sext. Aelius. & §. poſt hos fuerunt.*

etiam paratum tradit; Manilium quoq; prudenter dixiſſe. Sed & Sext. Aelium maximam ſcientiam in profitendo habuiſſe, & idcirco ab Ennio laudatum, & M. Manilium inter alios fundaſſe jus civile Pomponius *a* refert. Idem T. Corruncanum, primum jus civile publicè profeſſum ſcribit *b*. Eundem Cicero *c* quoque inter eos numerat, qui jura civibus præſcripſerunt, quorum uſque ad extremum ſpiritum provecta ſit prudentia. Et in Bruto, diſertum etiam fuiſſe conjicit, quod ex Pontificum commentariis longè plurimum ingenio valuiſſe videatur. *Scipionem* quoq; *Naſicam*, qui optimus vir à Senatu eſt appellatus, Pomponius in Jureconſultis refert. Sed erratum eſt in prænomine, quod P. fuit, non C. ut ex Cicerone, Verrio, Flacco, Livio, Plutarcho in Quinctio, Frontino, Appiano in Syriaca, authore de viris illuſtribus, Caſſiodoro, Eutropio, Oroſio & aliis multis ſcriptoribus conſtat. Hunc Iuris civilis & Pontificij peritum fuiſſe etiam Cato indicat apud Cicer. de Senect. cuius ſtudio ſenex etiam flagrârit. Ac quidem eum id temporis adhuc vixiſſe, intelligi poteſt ex epitome Livij 49. ubi inter illum ipſum Catonem & Scipionem Naſicam, qui vir optimus à Senatu judicatus, de bello Carthaginenſibus inferendo, urbeque illa delenda, diverſis certatum ſententiis ait. Cæteroquin etiam tum floruit hujus Scipionis filius, P. Scipio Naſica, qui Corculum appellatus eſt, quem Cicero in Bruto tradit eloquentem habitum fuiſſe. Eundem Author de viris

Scipio.

a) *d. l. 2. §. juris civilis.* b) *in dialogum de Senectute.*
c) *§. fuit autem inprimis. V. r. ſed Cajus Scipio.*

ris Illuſtribus, qui vulgò Plinij II. nomine inſcriptus eſt, eloquentia primum, juris ſcientia conſultiſſimum, ingenio ſapientiſſimum fuiſſe, atque inde Corculum dictum tradit. Verùm ille ex patre, qui vir optimus judicatus eſt, & filio, qui Corculum dictus, unum facit. Hinc Rutilius quæ Livius in Epitomis 47. 48. 49. ſcribit, ut & hunc ipſum Pomponij locum accipiendum putat de filio, qui Corculum eſt vocatus, ſed & patrem eius P. Scipionem Naſicam, de quo hîc Pomponius, Iuriſconſultum fuiſſe ex Cicerone probavi. *P. Craſſum* veterem (qui dives cognominatus eſt, auctore Livio lib. 27.) à Cicerone lib. 3. de Orat. dictum puto, ut cum diſcriminaret ab ejuſdem filio P. Craſſo Mutiano; uterq; enim & in Iuriſconſultorum & Oratorum numerum pervenit, uterq; etiam Pontifex Maximus fuit. Etſi verò veterem illum in Iuriſconſultis non commemorat Pomponius tamen cum Cato apud Ciceron. in lib de Senect. à ſtudio & Pontificij & civilis juris, ut & P. Scipionem Naſicam commendat. eosq; his ſtudijs deditos ſenes ſe vidiſſe ait. Quare ut locum illum accepi de P. Scipione, qui primus Naſica dictus eſt, non de filio eius, ſic multò magis exiſtimo eum de P. Craſſo veteri, non de P. Craſſo Mutiano locutum eſſe, quòd hic id temporis nondum fuerit exacta ætate. At jam P. Craſſus multò ante deceſſerat. Nam Livius libr. 39. in principio anni 570. M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone Coſſ. hunc P. Craſſum Pontificem maximum mortuum ſcribit. Cum hac etiam ſententia facit, locus ille Ciceron. in lib. de Senectute, quem modò de T. *Craſſus.*

Corrun-

Corruncano commemoravi. Nam Cato Major & P. Craſſus coævi fuerunt, quippe cùm hic ante Catonis conſulatum quindecim annis Cenſor, & decennio Conſul fuerit, mortuusq́; ſit anno proximo poſt Catonis cenſuram. Oſtendit autem Cato his verbis, uſq; ad extremum ſpiritum omnes illos jam diem ſuum obiiſſe; utriuſq; etiam ut Oratoris, Cicero in Bruto meminit, ubi etiam hunc P. Craſſum cum ſuperiori Africano Conſulem fuiſſe narrat, ſed de his aliâs pluribus. Jam verò M. Catonem etiam aliis in locis Cicero ob varias ingenij dotes extollit. Nam libro 1. de oratore, & tanta eum eloquentia, quantam illa tempora, atque illa ætas in Romana civitate ferre maximam potuerit, & Iuris civilis peritiſſimum fuiſſe ſcribit. Et in libro de Senectute, in hunc modum facit eum Catonem loquentem: *Omnia antiquitatis monumenta colligo: cauſarum illuſtrium quaſcunq́; defendi, nunc quàm maximè conficio orationes: jus Augurum, Pontificum, civile tracto: multum etiam Græcis literis utor*; *& in Bruto*; excellentem & virum, & civem & oratorem, & ſenatorem, & Imperatorem fuiſſe indicat. Eundem ſummis etiã laudibus *Livius* proſequitur, cum narrat, tantam in eo vim animi ingenijq́; fuiſſe, ut quocunq; loco natus eſſet, fortunã ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur; nullam artẽ, neq; privatæ, nec publicæ rei gerendæ ei defuiſſe; urbanas, ruſticasq́; res pariter calluiſſe; ad ſummos honores, alios, ſcientiâ juris, alios, eloquentiâ, alios, gloriâ militari, provectos: Huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuiſſe, ut natum ad id unum diceres, quodcunq́; ageret; in bello manu fortiſſimum,

mum, multiſq; inſignibus clarum pugnis, eundem poſtea quàm ad magnos honores pervenerit, ſummum Imperatorem, eundem in pace, ſi jus conſuleres, peritiſſimum, ſi cauſa oranda eſſet, eloquentiſſimum fuiſſe. Sed & Plin. lib. 7. c. 27. Catonē hunc tres ſummas in homine res præſtitiſſe exiſtimatum eſſe prodit, optimum oratorem, optimum Imperatorem, optimum ſenatorem. Idem lib. 16. cap. 39. hominem ſummum in omni uſum fuiſſe ſcribit. Eadem de re *Plutarchus* in vita Catonis. At Aemilius Probus, in omnibus rebus (inquit) ſingulari fuit prudentia & induſtria. Nam & Agricola ſolers, & reip. peritus, Iuriſconſultus, & magnus Imperator, & probabilis orator, & cupidiſſimus literarum fuit. Atq; hunc quoq; M. Catonem primum Portiæ gentis, in Iureconſultis quoq; numerat Pōponi⁹. Ac de illis, quorū prudentiā in omni genere verſatā eſſe Craſſus apud Cic. lib. 3. narrat, hacten⁹.

Præterea non modò locum quendam inter diſertos tenuiſſe *Q. Fabium Pictorem*, ſed & juris, & literarum, & antiquitatis bene peritum, ijſdemq; ferè laudibus *Q. Fabium Labeonem* ornatum fuiſſe Cicero in Bruto ſcribit. Quin in prænomine Fabij Pictoris mendum ſit, dubium non eſt. Nulli enim in tota gente Fabiorum Ser. prænomen fuit, nedum Pictoribus. Itaque Q. Fabium Pictorem legendum eſſe, aliâs docui. Intelligo autem illum Q. Fabium Pictorem, qui annales rerum Romanarum conſcripſit, quem ſæpè & Livius & Plutarchus & alij veteres Hiſtorici citant. Nam *Cicero* illi æquè antiquitatis cognitionem, ac juris & literarum tribuit. *Sigonius* autem ex Appiano *Fabius Pictor.*

& in

bus hiſtoricis, Polybio, Livio, Silio Italico diſſentiat, ut aliâs expoſui.

Iam verò P. Licinium Craſſum Mutianum, tum varijs dotibus, tum liberalibus doctrinis præſtantiſſimum fuiſſe, cùm aliorum, tùm clariſſimis Ciceronis monumentis eſt conſignatum. Siquidem de eo Cicero in Bruto in hunc modum, *P. Craſſus valdè probatus orator, & ingenio valuit & ſtudio*, & habuit quaſdam etiã domeſticas diſciplinas. Nam & cum ſummo illo oratore Ser. Galba, cuius C. filio filiam ſuam collocaverat, affinitate ſeſe devinxerat, & cùm eſſet Mutij filius, fratremq; haberet P. Scævolam, domi jus civile cognoverat: in eo induſtriam conſtat ſummam fuiſſe, maximamq; gratiam, cum & conſuleretur plurimum, & doceret. Hinc intelligi poteſt adoptatum eum ex gente Mutia in Craſſorum familiam, non ut B. Rutilius, Corraſius & alij putarunt, è Craſſorum gente adoptione in familiam Mutiam tranſiiſſe. Unde Mutianus dictus, Vellejus libr. 2. Idem lib. de Orat. eundem P. Craſſum, & eloquentem & juriſperitum fuiſſe tradit. Et paulò pòſt commemorat, ad hunc Craſſum ædilitatem petentem, cum eum major natu etiam Conſularis Sergius Galba aſſectaretur, acceſſiſſe conſulendi cauſa quendam ruſticanum, à quo cum reſponſum magis verum, quàm ad ſuam rem accommodatum abſtuliſſet, ut eum triſtem Galba viderit, quæſiviſſe, qua de re ad Craſſum retuliſſet: ex quo ut audivit, à Craſſo percunctatum, quid ei in mentem venerit ita reſpondere: Craſſum hominem peritiſſimum fidenter confirmaſſe, ita ſe rem habere, ut reſpondiſſet. Galbam autem

Craſſ. Mutianus.

alludentem varie multa pro æquitate contra jus dixiſſe, atque illum ad auctores confugiſſe, & id quod ipſe dixiſſet, & in P. Mutij fratris ſui libris, & in S. Aelij Commentarijs ſcriptum protuliſſe: ac tamen conceſſiſſe, Galbæ diſputationem ſibi probabilem, & propè veram videri. De eodem Gellius lib. 1. cap. 13. ſic ſcribit, P. Craſſus Mutianus clarus & inclytus vir, à Sempronio Aſellione & pleriſq; hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus traditur quinq; habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua, Quòd eſſet ditiſſimus, quòd nobiliſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd Iuriſconſultiſſimus, quòd Pontifex Maxim⁹. Cicero verò eod. 1. de Oratore, fuiſſe Craſſum in numero diſertorum tradit, ſed parem Galbæ nullo modo. Pomponius in claris, Iuriſconſultis quoq; commemorat L. a Craſſum fratrem P. Mutiani, qui Mutianus dictus ſit (ita enim legitur in Florentinis) hunc à Cicerone Iuriſconſultum diſertiſſimum dici. Hunc locum quoquo modo acceperimus, ab errore vindicare non poterimus. Nam ſi intelligamus de Craſſo Mutiano, & in prænomine erratum eſt, quod ei eſt P. non L. & in Ciceronis teſtimonio. Nam Cicero ſenſit de L. Craſſo, quem libris tribus de Oratore cum Antonio aliiſq; colloquentem facit, non de P. Craſſo Mutiano. Nec neceſſe erat Budæo, ut ea referret ad Q. Mutium Scævolam, cum idem Cicero L. Craſſo & in 1. de Oratore & in Bruto adſcripſerit. Sin autem de L. Craſſo, vitioſè additum eſt, eum & P. Mutij fratrem fuiſſe, & Mutianum appellatum. Uterque tamen optimo jure in numerum egregiorum Iuriſconſultorum reponi poteſt. Ac qui-

a) *§. poſt hos fuerunt. ver. & Lucius Craſſus.*

dem ſi ordinis temporum ratio ſit habenda, quæ de Craſſo Pomponius tradit, ad L. Craſſum referenda erunt. Nam P. Licinius Craſſus Mutianus æqualis fuit P. Mutij Scævolæ, bienniоq; poſt eum Conſul fuit. Quàm excellens fuerit eloquentiâ, juris cognitione & doctrina, optimus teſtis eſt Cicero. Is in Bruto hunc Craſſum & M. Antonium, qui cum A. Poſthumio quadriennio ante hunc Craſſum Conſul fuit Senatuſc. anno 654. exiſtimat Oratores fuiſſe maximos, & in his primum cum Græcorum gloria Latinè dicendi copiam fuiſſe æquatam. Item, omnes ita judicaſſe neminem eſſe, qui horum alterutro patrono, cujuſquam ingenium requireret. Eodem nihil ſtatuit fieri potuiſſe perfectius, nihil in interpretando, in definiendo, in explicanda æquitate copioſius, & ita ab hoc Craſſo & Q. Scævola acutiſſimo, & in jure paratiſſimo cauſam illam M. Curij & Q. Coponij dictam (cum uterque ex contraria parte jus civile defenderet) ut eloquentium juriſperitiſſimus Craſſus, Iuriſconſultorum eloquentiſſimus Scævola putaretur. Et *paulò poſt*, Noli, Brute, exiſtimare his duobus quicquam fuiſſe in hac civitate præſtantius. Nam conſultorum alterum diſertiſſimum, diſertorum alterum conſultiſſimum fuiſſe. Eoſdem inter ſe pluribus poſtea comparat. Ejuſdem etiam ſæpè honorificam mentionem facit in tribus illis de Oratore libris, in quibus eum de officio Oratoris diſſerentem facit. Ac ſingula quidem ex ijs perſequi nimis longum fuerit. Unum adſcribam locum ex libro de Oratore 3. ubi Catulus plus laudis eò illi tribuendum ſtatuit, quòd in

Mutius Scævola & Craſſus.

alia lingua ac moribus natus, occupatiſſima in civitate, vel privatorum negociis penè omnibus, vel orbis terræ procuratione diſtrictus, maximam vim rerum cognitionemq; comprehenderit, eamq; omnem cum ejus, qui conſilio & oratione in civitate valeat, ſcientia atq; exercitatone ſociârit. Nec multò pòſt Cotta ſe oratione Craſſi, quòd omnem rerum ſcientiam ſit complexus, in Academiam totum compulſum fatetur. Eundem in ea, quam in Piſonem habuit, hominem ſapientiſſimum Romanæ civitatis appellat.

Rutilius Ruſus. P. quoque *Rutilium Ruſum* Pomponius in numerum Iuriſconſultorū adſcribit. De eo ita Cicero in Bruto: *Rutilius in quodam triſti & ſevero genere dicendi verſatus eſt, natura vehemens & acer multaq; operamultaq; induſtria fuit, qua erat propterea gratior, quod idem magnum munus de jure reſpondendi ſuſtinebat: multa præclara de jure doctus vir, & Græcis literis eruditus, Panætij auditor, propè perfectus in Stoicis.* Itaque illa quæ propria eſt hujus diſciplinæ Philoſophorum de ſeipſis opinio, firma in hoc viro & ſtabilis inventa eſt. Igitur in Stoicis oratoribus habet Rutilium & laudat, quoniam per illum ne hoc quidem in civitate genus oratoria laude caruerit. Eundem lib. 1. de orat. Hominem doctum & Philoſophiæ deditum, exemplumq; innocentiæ fuiſſe dicit, quo nemo neq; integrior in civitate fuerit, neq; ſanctior. Livius quoq; epit. 70. virum ſummæ innocentiæ vocat. *Tubero.* Nec Q. Tubero modò Iuriſconſultus, ſed & inſignis Philoſophus fuit. Idem quoque Panætij auditor, & Stoicus

Pompo-

Pomponius *a*. De eo ita Craſſus apud Ciceronem libr. 3. de Oratore. *Dies & noctes virum ſumma prudentia videbamus, Philoſopho cum operam daret, Q. Tuberonem*. Et in Bruto: *Q. Ælius Tubero fuit mediocris in dicendo, doctiſſimus in diſputando*. Ex ejuſdem Ciceron. lib. de jure civili in artem redigendo, hoc etiam teſtimonium de Q. Aelio Tuberone, quod ſcientia juris majoribus ſuis non defuerit, doctrinâ etiam ſuperfuerit, præſliterit, Gellius citat, quòd diſciplinas Stoicas & dialecticas percalluerit, ſed & hiſtorias conſcripſit, quæ ſæpè commemorantur à Livio, Dionyſio & aliis probatis auctoribus. Ad eundem & Panætius & Hecaton, Rhodius libros aliquos in Philoſophia de moribus à ſe editos ſcripſerunt. Item Sextum Pompejum Cnei Pompeji Magni patruum, quem Pomponius *b* ſtatim in Iuriſconſultorum ordine ſubjicit; Tuberoni: præſtantiſſimum ingenium contuliſſe ad ſummam juris civilis, & ad perfectam Geometriæ rerumq; Stoicarum ſcientiam refert Cicero in Bruto. Eundem lib. 1. de Orat. eruditum hominem in Philoſophia, & lib. 3. Stoicum, Philip. 12. doctum virum atque ſapientem appellat. Q. etiam Mutius Scævola multarum rerum ſcientia antecelluit. De eo Cicero lib. 1. de Oratore ſic, *Q. Scævola homo omnium doctiſſimus, & diſciplina juris civilis eruditiſſimus, & oratione maximè limatus & ſubtilis, atque Juriſperitorum eloquentiſſimus, eloquentium juris peritiſſimus*. Et paulò poſt; Antonius hunc Mutium paterni juris de- *Scævola.*

a) *d. l. 2. §. poſt hos fuerunt. Ver. & Q. Tubero.*
b) *d. §. poſt hos fuerunt. verſ. etiam S. Pompejus.*

ſenſorem, & quaſi patrimonij propugnatorem ſui vocat. Idem Cicero lib. 1. de Offic. cum poſuiſſet, quorum patres aut majores aliqua gloria præſtitiſſent, eorum pleroſque in hoc genere laudis excellere, ſubdit exemplum de hoc Q. Mutio P. filio in jure civili. Nam pater ejus P. Mutius à jure civili optimè fuit inſtructus. Itaq; in lib. 1. de Oratore, Antonius in ijs, qui Iuriſconſulti verè dicantur, refert hujus Q. Patrem P. Mutium. Et Pomponius eundem in Illuſtribus Iuriſconſultis recenſet, a & decem libellos reliquiſſe tradit. Idem quoque Pontifex Maximus fuit. Hinc lib. 2. de legib. Cicero Pontifices Maximos ambos & eoſdem juris periſſimos, & homines ſuo quidem judicio acutiſſimos fuiſſe tradit. Eundem P. Scævolam Cicero in Bruto valdè prudenter & acutè, paulò etiam copioſius dixiſſe refert. Porrò Q. Scævolam Cicero in Bruto hominem acutiſſimum, & in jure paratiſſimum & peracutum ad excogitandum, quid in jure aut in æquo verum, aut eſſet, aut non eſſet, ac ornatum virum, & excellens ingenium in Rom. Republ. nihilq; L. Craſſo, & ipſo fuiſſe in ea civitate præſtantius: quem locum paulò ante pluribus expoſui. Nam in Lælio commemorat, mortuo Q. Scævola Augure ſe contuliſſe ad Pontificem Scævolam, quem unum ſuæ civitatis & ingenio & juſtitia, induſtriaq; præſtantiſſimum dicere audeat. Pædianus quoque in Cornelianam, eundem Oratorem & Iuriſconſultum fuiſſe ex Cicerone notat. Eundem *Pomponius* Ius civile, primum conſtituiſſe generatim in libros decem & octo redigendum, ſcribit.

a) *§ poſt hos fuerunt P. Mutius.*

ſcribit. Qua in re illi cum Cicerone non convenit. Hic enim in libro de Orat. Craſſum, eodem Scævola audiente, diſputantem inducit, quamobrem cognitio Iuris civilis à pleriſq; difficilis exiſtimetur, cum nullius ſibi doctrinæ facilior eſſe videatur; & inter alias cauſas hanc quoque commemorantem, quod poſteaquam id editum ſit, expoſitis à Cneo Flavio primùm actionibus, nulli fuerint, qui illa artificiosè digeſta generatim componerent: nihil enim eſſe, quod ad artem redigi poſſit, niſi ille prius, qui illa tenet, quorum artem inſtituere vult, habeat illam ſcientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum ſit, artem efficere poſſit. Deinde in Bruto eidem Scævolæ magnum juris civilis uſum tribuit, artem non tribuit, ſed uni Sulpitio, propterea quòd ad juris ſcientiam Dialecticam adjunxerit, atq; ita primus jus arte quadam tractarit. Quòd ſi igitur nullus fuit ante Ciceronem, qui juris civilis capita artificiosè digeſta generatim, per certa & pauca quædam genera componeret, atq; ideò id Cicero de ſe pollicitus ſit lib. 2. de Oratore, & præſtiterit: cum Gellius, ut jam oſtendi, mentionem fecerit ejuſdem libri de Iure civili in artem redigendo, quomodo cum eo conciliabimus hunc Pomponij locum de Iure civili primum à Q. Scævola conſtituto generatim in libros decem & octo redigendo, præſertim cum Cicero & à Scævola jus civile didicerit, & libros illos de Oratore poſt mortem Scævolæ compoſuerit? Cujus rei id argumento eſt, quòd genus necis ejus in præfatione lib. 3. deſcripſerit.

Quid *Servium Sulpitium* nominem? neq; enim *S. Sulpitius.*

facile alium quenquam illo plus ſtudij, & ad diſcendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe Cicero in Bruto ait. Nam in ijſdem exercitationibus illum & ſe ab ineunte ætate fuiſſe, & poſtea Rhodum unà ſecum profectum, quo melior fieret & doctior. Eundem præter artem diſſerendi ſive Dialecticam, & literarum ſcientiam, & loquendi elegantiam adjunxiſſe. Itaque longè omnium non ejuſdem modò ætatis, ſed eorum etiam, qui ante fuerunt, in Iure civili principem eſſe affirmat. Sunt & alia multa ſummorum virorum exempla, ſed non opus eſt pluribus. Addam tantùm ex Pomponij Catalogo *Antiſtium Labeonem*, quem *a* plurimum ſtudij, & conſcribendis libris, & præ cæteris doctrinæ & ſapientiæ, operæ dediſſe refert. Gellius hūc juris quidem civilis diſciplinam principali ſtudio exercuiſſe, & cōſulentibus de jure publicè reſpondiſſe, ſed cæterarū bonarum artium non expertem fuiſſe, & Grammaticam atque Dialecticam literasque antiquiores penetraſſe, Latinarumq; vocum origines rationesq; percalluiſſe, eaq; præcipuè ſcientia ad enodandos pleroſque Iuris laqueos uſum eſſe ſcribit.

Labeo.

Quantam verò poſterioribus etiam juris auctoribus, iisque omnibus, ex quibus Pandectæ ſunt compoſitæ, laudem diligentiæ, gravitatis, prudentiæ, æquitatis, ſcientiæ rerum, orationis puritatis, elegantiæ & dignitatis, vir literatiſſimus limatoq; judicio, & ſeverus alioquin Cenſor tribuerit, in priori præfatione oſtendi. Quò etiam referri poſſunt, quæ de pleriſq; Aelij Spartianus & Lampridius

a) §. *poſt hunc maximè.*

dius literis mandarunt. Nam hactenus nimium multa ſum complexus, & commemoratione tantorum hominum progreſſus ſum longius, atque conſtitueram. Ex qua perſpicuum eſt, veteres illos ſummæ auctoritatis Iuriſconſultos, non modò eximia juris civilis doctrina, ſed & Philoſophia aliiſque ingenuis artibus inſtructos fuiſſe. Atq; ut hoc caput ex eodem Ciceronis loco lib. 3. de Orat. concludam, ex quo principium hujus diſputationis duxi, una quædam omnium rerum, quæ erant homine erudito dignæ, atq; eo, qui in Republica volebat excellere, fuit doctrina, quæ omnia ea continebat, quæ de juſto, æquo, & bono, de officio, de virtute, de dignitate, de honore, de ignominia, de moribus & legibus deſcribendis, de civitatibus inſtituendis & regendis, de omni vivendi ratione traduntur. Hæc ad civilem ſcientiam, quò pertinebat transferebatur. Unde Ariſtoteles *a* hanc πολιτικὴν ἐπιστήμην ἀρχιτεκτονικὴν, dominam & principem omnium facultatum, eſſe aſſerit, cui reliquæ omnes πρακτικαὶ ἐπιστῆμαι, quarum opus eſt in agendo, ſint ſubjectæ, quaſque ad uſum ſuum adhibeat. Eſt enim incredibilis vis mentis rationiſque humanæ, quæ quam ſe cunque in partem dederit, plurimum poteſt, qua perſpecta minus ille doctrinarum inter ſe quaſi, concentusq; cognoſcitur. Itaque nihil eſt in rerum natura, quod acri ingenio homo non cernat, ſi modò & liberaliter doctrina puerili ſit inſtitutus, & ſtudio flagret, & diligentiam colat & labore aſſiduo ſit affectus. Hinc videmus, clariſſimos illos viros & ampliſſimos

a) *lib. 1. de moribus ad Nicom. c. 2.*

principes civitatis Romanæ, tot tantisq; occupationibus,& ſummi Imperij adminiſtratione diſtrictos plurimarũ maximarumq; rerum ſcientia fuiſſe expolitos: ut verò univerſo genere neglecto alius aliam partẽ, quam coleret, apprehendit & ſepoſuit: inde evenit ut tum harum ipſarum diſciplinarum & literarum doctrina, quæ uno quodam ſocietatis vinculo continebatur, diſcerpta: tum in multis rebus diſtributione partium, ac ſeparatione, magnitudines artium diminutæ fuerint. Quocirca eodem in loco L. Craſſus lib. 3. de Orato. cum ſummis illis viris, quos ſupra recenſui, præſertim verò cum Catone Majore, qui tantam rerum varietatem, tantam vim doctrinæ cognitionemque comprehenderant, perverſis ſuorum temporum moribus collatis graviter de ijs conqueritur. Nunc contra (inquit) *pleriq; ad honores adipiſcendos, & ad Rempubl. gerendam nudi veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati. Sin aliquis excellit, unus è multis effert ſeſe, ſi unum aliquid adfert; ut uſum aliquem militarem; aut Iuris ſcientiam, ne ejus quidem univerſi; aut eloquentiam, quam in clamore & in verborum curſu poſitam putant; omnium verò bonarum artium, denique virtutum ipſarum ſocietatem, cognationemq; non norunt.* At de hoc quidem argumento ex Cicerone aliisque bonis antiquitatis Romanæ auctoribus, hactenus in æſtu quodam animi longius à terra in altum ſum abreptus.

ICti præſtantes qui ſint. *Nunc* igitur ut ad inſtitutum me revocem, cum quibus & ingenij dotibus, & animi virtutibus, hi juris Coryphæi præditi fuerint, tum vel maximè

quibus rebus in juris doctrina excelluerint, eſt obſervandum, & cum ijs in ſingulis, præſertim quæ ad juris profeſſionem pertinent, utriuſque generis interpretes, & Juriſperiti ſuperiorum noſtrorumq; temporum ſunt conferendi; & qui optimis iſtis juris auctoribus proximi fuerint, eſt diſpiciendum. Quòd ſi ex hujuſmodi comparatione animadverſum fuerit: jam in promtu erit delectum adhibere. Nam quò quiſq; illis in genere dicendi, & in diſſerendi tractandiq; ratione, & in rerum explicatione ſimilimus fuerit: eò hic cũ primis cæteris eſt anteponendus: Sed quia pauciſſimi inveniũtur, qui in his omnibus præſtantiſſimos illos, & omni genere literarũ inſtructiſſimos Iuris auctores repræſentent, alij autem in alia parte ad eos accedant, conſequens eſt, qui ex his alijs præſtet, cognoſcere. Fac alium in oratione, alium in methodo, alium in rerum diſquiſitione, ſimilitudinem aliquam veterum referre. Nam quales nunc ſunt hominum mores, in pluribus hæc ſeparata & disjuncta, quàm conjuncta reperiuntur. Ergò ut intelligamus, quæ ex his facultas præcipua ſit, quaſi gradus quoſdam conſtituamus oportet.

Verborum ſignificationes. Primò igitur ſciendum eſt, proprietatem verborum & puritatem ſermonis, Grammaticis communem quidem eſſe cum Iuriſconſultis, nec tamen eorum verborum, quæ ad jus pertinent, interpretationem Grammaticis, ita vel cultam, vel ſignificationem eorum perſpectam, ut Iuriſperitis. Neque enim quod M. Varroni contigit, ut à Servio *Varro.* Sulpitio Iuris antiſtite per literas interrogaretur, quid verbũ *faviſſe* in jure Cenſorio ſignificaret: de aliis

aliis quoq; Grãmaticis memoriæ proditũ eſt. Fuit enim Varro, Cicerone, Fabio & Auguſtino teſtib*, omni doctrina præſtantiſſimus, Romanorum eruditiſſimus, & literarum doctiſſimus; quo nemo unquam omnẽ apud Latinos antiquitatẽ, & in inventis rebus, & in actis ſcriptisq; veteribus, vel diligẽtius indagavit, vel illuſtrius explicavit. Idem igitur de alijs etiam ſummis Grammaticis ſtatuendum non eſt. Neque enim negari poteſt, eundem S. Sulpitium linguæ Latinæ peritiſſimum fuiſſe, qui tamen antequam operam Iuri civili dediſſet, Scævolam à ſe conſultum, de iure reſpondentem, non intellexit. Nam nobilibus etiam Grammaticis propria Iuriſconſultorũ verba magnã in interpretatione eorum ſæpè difficultatem, aliquando quoque errorem obiecerunt. Inde profecta eſt ſuperiori ætate de ſuo hærede inter Latinæ elegantiæ virum doctum, & iuris interpretem contentio. Id cum ex propriis Iuriſconſultorum phraſibus, tum ex multiplici eorum verborum poteſtate accidit: quoniam pro ſubiecta materia aliter atque aliter, nunc generaliter, nunc ſpecialiter accipiantur. Quàm enim variè *iuriſdictionis & imperij* verba uſurpentur, cùm alii, tùm præſertim Duarenus noſter & Eguinarius Baro, plurimis explicant. Quàm multiplex etiam vis ſit vocum, *credendi, debendi, dandi, pecuniæ, familiæ, capiendi, faciendi, gerendi, reſtituendi, & bonorum alienationis poſſeſſionis, & aliarum nonnullarum*, idem in his libris ſuis explicat. Atque hoc apertè oſtendunt l. creditores. 10. l. creditorum. 11. l. conditionales. 54. l. creditor. 55. l. debitor. 108. l. dediſſe. 76. l. habere. 188. l. aliud eſt ca-

eſt capere. 71. l. cœpiſſe. 146. l. facere. 189. & l. faciendi. 175. l. licet. 58. l. verbū facere. 218. l. Labeo. 19. l. verba. 20. l. plus eſt in reſtitutione. l. reſtituere. 35. l. reſtituere. 75. l. cum prætor. 81. l. ult. in fin. de verb. ſignific. Item l. ſubſignatum. 39. §. 1. l. bonorum. 49. l. propriè bona. 89. l. bonorum. 208. l. propemodum. 88. l. cum ſtipulamur. 97. l. pecuniæ. 178. l. pecuniæ. 222. l. hæredis. 65. l. ſciendum. 50. l. ex illa. 227. l. deteſtatio. 40. §. familiæ. l. pronunciatio. §. 1. uſque ad fin. & l. 196. familiæ. l. alienationis. 28. l. alienatum. 67. l. interdum. 78. l. quæſtio. 115. eo. tit.

Etſi verò duo illi poſtremi tituli Pandectarum communes ſunt omnium titulorum ſuperiorum: tamen non idcircò, quæ ſub iis traduntur, generaliter intelligenda ſunt, ut pleriq; exiſtimant, ſed ad ea accommodanda capita, ex quibus ſunt deſumta, quod inſcriptiones ſingulorum capitum oſtendunt, ut ſæpè in his ſuis operibus *Duarenus* admonet, & ante eum Anton. Aug. animadvertit; pòſt autem multi præſtantes Iuriſconſulti, & in his maximè *Jacobus Cujacius*, *Jacobus Labittus* & *Petrus Faber*. Itaque in dict. l. aliud. ut & in l. non videtur. 51. de regul. iur. longè aliter accipit *Ulpianus* verbum *Capere*, quàm in l. 1. ſi cui plus quàm per legem Falcid. in l. 1. ff. ad leg. Falcid. & Paulus in l. cœpiſſe. 146. de verb. ſignif. Illic enim propriè cum effectu accipitur de eo, quod alii non ſumus reſtituturi. Unde apertè à verbo accipiendi diſtinguitur, quo fit, ut generaliter intelligi non poſſit. Hic verò idem ſignificat quod accipere. Unde & alterum pro altero ponitur. dict. leg. 1. §. hæc *Capere.*

verba.

verba. Si cui plusquàm per leg. Falcid. & dicta. l. 1. §. ſi in annos. ad leg. Falcid. Quapropter nec ad propriam ſignificationem referri poteſt. Sic quod idem Ulpia. tradit dict. l. 20. verba. de verbo. ſignificat. verba, *contraxerunt*, *geſſerunt*, non pertinere, ad jus teſtandi, non generaliter adaptandum eſt ad rem omnem, ſed eam ſolum de qua actum eſt. At lib. 12. unde deſumta eſt, Ulpianus tractavit de *capitis diminutione*. Etſi enim quod ante capitis minutionem contractum geſtumque eſt, non ſecus velit prætor ratum eſſe, atq; ſi ea non interveniſſet: tamen ad jus teſtandi, id applicari non poteſt. Nam ſi is, qui teſtamentum fecit, capite quovis modo minuatur, infirmatur teſtamentum, nec ex illo prætoris edicto cõvaleſcit. Quid *indicare* ſignificet ſatis inter Grammaticos conſtat: at quis ex iis dixit, indicaſſe eſt detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe & conviciſſe, ut Ulpian. l. 197. indicaſſe. de verb. ſignif. Itaq; legẽ hanc non generaliter, ſed ſecũdum ſubjectam quęſtionem interpretandam eſſe, ex inſcriptione eius doctiſſimi viri Antoni' Auguſtinus & Iacobus Labittus collegerunt. Nam idem Ulpia. in l. 3. §. ſi ex ſtipulatu de Senatuſconſ. Syllaniano, (quæ l. 3. deſcripta eſt ex libro 50. ad Edictũ. in quo diſſeruit de Senatuſcon. Syllaniano, unde & d. l. indicaſſe. eſt depromta) tractans hoc argumentum, ſervum qui cædem domino indicavit, vel arguit, libertatem pro præmio conſequi, eum tum domum domini ſui interfectorem indicaſſe docet, cum nõ modò detulerit, arguerit, accuſaverit, ſed & cõvicerit. Ligni ſignificatio nota eſt Grãmaticis, ſed non eodẽ modo apud ICtos uſurpatur. Ligni appellatio

inquit

inquit Ulpia.in l.ligni.55.de leg.3. nomen generale eſt, ſed ſic ſeparatur, ut ſit aliud materia, aliud lignū. Materia eſt, quæ ad ædificandū fulciendumve neceſſaria eſt: lignum, quicquid comburendi cauſa paratum eſt, ſi modò conciſum ſit. Itaque arbores materiæ cauſa ſuccīſas non deberi, cui ligna legata ſint, Q. Mutius refert. Ofilius quoque ſcripſit, ad eum ligna pertinere, quæ alio nomine non appellantur, veluti virgæ, carbones, nuclei olivarum, quibus ad nullam aliam rem quàm ad comburendum uti poſſit, ſed & balani, & ſi qui alij nuclei. Ex ejuſdem Ofilij ſententia ſi voluntas non refragatur, & virgulæ & cremia, & ſarmenta & ſeparamenta materiarum, & vitium ſtirpes atq; radices continebūtur. In quibuſdam etiam regionibus ut in Ægypto, arundines & Papyrum, & herbulæ quædam, vel ſpinæ, vel vepres, quia pro ligno comburuntur, quoque comprehenduntur. Si lignum paratum ſit ad carbones coquendos, & conficiendos, ait Ofilius, carbonum appellatione hujuſmodi materiam non contineri, ſed an lignorū, & fortaſſis quis dicet nec lignorum: non enim lignorum gratia hæc teſtator habuit. Ex hoc capite deſumta l. carbonum.167.de verb.ſignific. quę niſi ad prius illud caput referatur, rectè intelligi non poterit. Nam non modò nimis durè ſecundum Anto. Auguſtinum, verùm etiam imperitè, ut Labittus notavit, huius legis verba ex illo Pandectarum compilatores excerpſerunt. Neque enim dubium eſt, materiam quæ ligni appellatione non continetur, multò minus carbonum verbo comprehendi. Itaq; in dicta l.ligni.§.ultimo. Ulpianus certam

hypo-

hypotheſin commemorat. Si inquit, lignum paratum ſit ad carbones coquendos, carbonum appellatione hujuſmodi materiam non ſimpliciter vel generaliter materiam, ut in dicta l. 167. ſit, non contineri. Nam jam ante in princ. dictæ l. 55. materiam à ligno diſtinxerat, ut & Paulus in l. 56. eod. lib. de lega. 3. ubi ait, & palos & perticas in numerum materiæ redigendas, & ideò lignorum appellatione non contineri. Inſcitè igitur, quod de certa ſpecie Ulpian' ex Ofilio tradidit generatim in dicta l. Carbonum. detractis circumſtantiis, & omiſſa certa circumſcriptione, ad genus & infinitam materiam eſt traductum. Sed quia de his cùm alij, tum præſertim Anton. Auguſtinus & Iacobus Labittus, & pluribus & accuratius, nos his ad inſtitutum noſtrum contenti erimus, ex quibus videre licet, non qui Latinè loquendi rationem teneat, eundem protinus eam Iuris partem, quæ eſt de verborum ſignificatione cognitam habere. Quare, licet Iuriſprudentia, magna ex parte in interpretatione verborum, quæ tum in legibus, Senatuſconſultis, edictis, conſtitutionibus, tum cautionibus, & actionum formulis, tum pactionibus, ſtipulationibus, & teſtamentis uſurpabantur poſita ſit, propterea quòd ſive eorum intelligentia, ad rerum cognitionem perveniri non poſſit, eaq; de cauſa Aelius Gallus, Labeo Antiſtius, & Cajus, aliiq; clariſſimi juriſconſulti, in quorum numerum & *Verrius Flaccus*, à *Feſto, Macrobio* & *Diomede* adſcribitur, commentarios ac libros *de verborum ſignificatione* & origine ediderint, eoq; nomine ab Oratoribus laudati fuerint: tamen major potiorq;

cjus

ejus vis & poteſtas in ſententia eorum ſcriptorum· quæ in libros juris noſtri ex Conſultis & Imperatoribus relata ſunt, explicanda, ac æqui juſtiq;, & recti diſputatione, controverſiisq; quæ voluntatis conjecturâ continetur, cernitur.

Iam id quoq; dubium non eſt, quin hæc artificioſa tractandi juris ratio, quæ triplici tradendarum artium methodo conficitur συνθέσει, compoſitione vel conſtitutione, διαιρέσει, partitione ſive definitione, ἀναλύσει, diſſolutione, dialecticorum potius quàm Iuriſconſultorum ſit. Ac quidem plurimum dialectica hæc ratio ad Iuris diſciplinam utilitatis & momenti adfert, uſqueadeò, ut ſicut ea ſola, quę in aliis diſciplinarum generibus ante confuſà, diſſoluta, & divulſa erant, ratione quadam conſtricta, & ad artem redacta fuerint; id quod multis modis Cicero in primo de Oratore oſtēdit: ſic etiam perfectam artem Iuris civilis illa ipſa conſtituere quem poſſe, tradit, ſi primum id in genera digerat, eaq; ad certum numerum paucitatemq; revocet, deinde eorum generum, quaſi quædam membra diſpertiat, tùm propriam cujuſque vim definitione declaret. Ad hunc locum ſe referens Rodolphus Agricola *a*, Dialecticam ideò à Craſſo in Iuriſconſultis deſiderari ſtatuit, ne apud eos omnia ſint actorum ſimilia. Ut enim in ijs ſententiæ cuique ſui auctoris nomen præponitur, ſic in jure civili notatione nominum eorum, quibus quid viſum eſt, cum cujuſque placita & reſponſa nominatim commemorentur, occupata eſſe omnia. Eodem autem aggregavit, quod Cic. lib. 2. de Orat.

ICti ſint Logi.

Pp j.

a) *lib. 2. c. 5. Invent. dialect.*

tradidit à Iuriſconſultis impediri eos, qui Iuri civili operam navent, & à diſcendo deterreri, propterea quòd in libris eorum, ut Catonis, & Bruti nominatim ferè referatur, quid alicui de jure viro aut mulieri reſponderint, ut illi putarent in hominibus non in re conſultationis, aut dubitationis cauſam aliquam fuiſſe, & quòd homines eſſent innumerabiles, debilitati à jure cognoſcendo, voluntatem diſcendi ſimul cum ſpe perdiſcendi abjicerent. At intelligitur, non in hominũ innumerabilibus perſonis, neque in infinita temporum varietate, ſed in generum cauſis atque naturis omnia ſita eſſe, quæ in dubium vocarentur: genera autem eſſe definita, non ſolùm numero, ſed etiam paucitate, ut id ſub perſona Craſſi in priori illo loco à nobis relato expoſuerat. Itaq; iſthuc reſpiciens, Craſſum ait, hæc aliquãdo expediturum, & deſcripta generatim explicaturum: pollicitum enim tum eſſe, ſe jus civile, quod nunc diffuſum & diſſipatum ſit, in certa genera coacturum, idque ei non fore difficile, qui & quod diſci potuit de jure civili, didicerit, & quod iis qui eum docuerint. defuit, ipſe attulerit, ut quæ ſint in jure acutè deſcribere poſſit. Hinc idem Cicero in Bruto ob hanc ſolam rationem *Q. Scævolæ*, quem aliâs juris peritiſſimum, aliâs conſultiſſimum appellat, *Serviũ Sulpitium* anteponit, quòd præter juris ſcientiam, eam quoq; artem didiciſſet, quæ doceret, rem univerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primùm videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa judicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæq; non eſſent conſequẽtia. Attuliſſe enim

hanc artem omnium artium maximā Dialecticam videlicet, quaſi lucem ad ea, quę confuſè ab aliis aut reſpondebantur aut agebantur. Quocirca & eundem Servium longè omnium non ejuſdem modò ætatis, ſed eorum etiam, qui ante fuiſſent, in jure civili principem, & ſcriptorum ejus ſimilia nulla eſſe cenſet. Etſi igitur exquiſita hæc via docendi ad tractandum jus magnoperè conducit, tamen non idcirco, qui Dialecticus eſt, artificioſa hac ratione Ius civile tradere & explicare poteſt, niſi antè id ſciat: nec contra, qui Dialecticorum præceptorum cognitione ſunt deſtituti, idcirco jus civile non tenent, ea præſertim quæ eius propria ſunt. Nam ut ex eodem Cicerone ut ex Pomponio videre licet, multi fuerunt excellentes Iuriſconſulti ante Servium Sulpitium, quos omnes ipſum etiam Q. Scævolam, artis Dialecticæ ignaros fuiſſe Cicero oſtendit. Idem fatetur intereà, dum hæc quæ jure ſunt diſperſa cogantur, vel paſſim licere carpentem & colligentem undique repleri Iuris civilis ſcientia. Idque exemplo declarat C. Aculeonis cæterarum artium rudis, at jure civili ita eruditi, ut nemo illi de iis, qui iuris peritiſſimi eſſent, anteponeretur. Quo fit, ut compendioſa hæc iuris tractandi ratio comparari non poſſit cum tertia, quæ in æqui & boni notitia, iuſti iniuſtiq; diſtinctione conſiſtit. Cùm enim ius ſit ars boni & æqui, conſequitur in æqui & iniqui ſcientia, & liciti ab illicito diſcretione Iuriſconſulti officium potiſſimùm verſari. Ac tametſi hæc quoque præcipua Iuriſprudentiæ pars, & functio, fontes, & principia habet diſputationū ſuarū ex ipſa Philoſophia, pſer-

Diſcretio æqui ab iniquo eſt propria IC.

tim ea quæ eſt de vita & moribus, ex quibus bene honeſteque vivendi præcepta ducuntur, eaq; propter Cicero in libris de Legibus juſſa, ac vetita populorum, legesq; civiles ex recta ratione mentiq; ſapientis ortas, illamq; ex ipſa rerum natura profectam & à divino numine derivatam doceat, ac Ulpianus, hanc poſtremam partem exercentes, veram Philoſophiam, non ſimulatam profiteri tradat: tamen non ſi quis ex Philoſophis cognoverit, quæ ad mores hominum, quæ ad vitam, quæ ad virtutem, quæ ad Rempublicam pertinent: idem continuò juris civilis ſcientiam tenet: nec contrà, qui juris civilis peritus, idem protinus Ethicus eſt & Philoſophus. Optandum profectò eſſet, ſicut omne ſtudium ſapientiæ & juris quaſi cognatione quadam vincitur, ſic in illa communione homines quoque permanſiſſent, nec re cohærentes diſciplinas diſſociaſſent: Sed earum doctrinarum divortia jam olim facta fuerunt; id quod horum culpa accidiſſe arbitror, qui totum genus complecti nequiverunt; unde alius aliam ſibi partem, in qua elaboraret, ſeparavit. Nam ſepoſitas divulſasque facilius ſe & percipere & tractare poſſe putarunt. Valde autem inter ſe conſentientes communesq; fuiſſe definitiones utriuſque declarant. Ut enim Cicero *a* Sapientiam eſſe ait, rerum divinarum & humanarum ſcientiam, in qua contineatur Deorum & hominum communitas & ſocietas inter ipſos; Sic *Ulpianus b Jurisprudentiam* deſcribit eſſe divinarum, atq; humanarum rerum notitiam, juſti atque injuſti ſcientiam. Cum his faciunt, quæ ſupra

Iurisprudentia quid ſit.

a) lib. 1. de offic. circa finem. *b) l. juſtitia. de juſt. & jure.*

ſupra ex Cicerone & aliis ſcriptoribus de ijs Romanis retuli, qui ſapientiæ gloria præſtiterunt. Neque verò in priori ſolùm, ſed & poſteriori parte hæ definitiones inter ſe congruunt. Nam conſociationem hominum inter ipſos conjunctionemque ſecundo officij genere conſtare, in quo juſtitia verſatur, idem Cicero tradit *a*. Hinc & alteram illam partem, è qua honeſtas manat, communitatis ait eſſe *b*. Proinde cùm ſapientia, quam à prudentia diſcriminat, princeps ſit, maximaq; omniũ virtutum, infert id officium, quod à communitate ducitur, eſſe maximum. Id autem juſtitiæ eſſe eodem in loco declarat. Unde verò tria illa juris præcepta, *honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*, depromta ſunt, quàm ex illa Philoſophiæ parte, quæ eſt de officiis ſive moribus? Quanquam ſi quis referre voluerit ad officia juſtitiæ, quæ ad hominum utilitatem, vitæque communionem pertinent, ei repugnare nolim, generalis præſertim, quam & Plato & Ariſtoteles virtutem univerſam vocant. Propterea quòd latiſſimè pateat, & per omnes virtutes ſit fuſa. Continet enim τὸ νόμιμον καὶ τὸ ἴσον, tum ordinem; id quod legibus cavetur, quæ jubent honeſta, vetant contraria: tum quod æquum eſt, etiamſi nulla de eo lex poſita ſit. Itaque hac ſignificatione juſtus eſt, qui & leges ſervat, & æqualitatis ſtudioſus eſt: ut neque plus ſibi, neque minus aliis, ſed cuique ſuum tribuat, qui denique & civis eſt bonus & vir bonus. Ac omnis quidem juſtitiæ medium jus, æquumq; eſt: in quo tanquam materia ſubjecta verſatur.

Iuſtitia latè patet.

a) *lib.1.off. § de tribus antè reliquis.* b) *lib.1.de off. ad fi.*

Idque ex juſtitiæ ſpecialis & iuris civilis collatione facilè perſpici poteſt. Quod enim ſummum juſtitiæ munus eſt, æqualitatem ſervare: idem juris finis neceſſe eſt. Mihi quidem, inquit Cicero, non apud Medos ſolùm, ut ait Herodotus, ſed etiã apud majores noſtros ſervandæ juſtitię cauſa, videntur olim bene morati reges conſtituti, qui cum prohiberent injuria tenuiores æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebant. Eademq́ue conſtituendarum legum fuit cauſa. Ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile, neque enim aliter jus eſſet. Itaque idem finem juris civilis eſſe tradit, legitimæ atque uſitatæ in rebus cauſiſq; civium æqualitatis conſervationem. Nam quod juſtum eſt, idem æquabile ſit oportet, & quod æquabile, idem mediũ moderatumq́;. Ut verò non unum eſt juſtitiæ etiam ſpecialis genus, ſic nec eadem vel juris, vel æqualitatis ratio. Huius enim iuſtitiæ ſpecies duæ ſunt, una quæ in tribuendo honore, cæteriſq́ue omnibus cernitur, quæ dividenda æqualiter inter eos ſunt, qui in civili ſocietate & cõmunione verſantur. Altera, quæ in pactis, contrahendiſq; rebus tuendam æqualitatem, tanquam regula adhibetur. Totidẽ etiam iuris, quod à iuſtitia ducitur, ſunt genera, ergò & æqualitatis. Eadẽ enim in diverſis his iuſtitiæ, & iuris formis ſpectari non poteſt, ſed proportione cuiuſq;. Nam in diſtributione æqualitas Geometrica proportione æſtimatur, quæ ratione conſtat, non incremento vel exceſſu numerorum, quippe res rebus, perſonæ perſonis conferuntur, & ex ea comparatione, cuiq; pro conditione & dignitate, res, officia, honores, & quę huic parti ſubiecta

Ius duplex.

ſunt,

ſunt, congruenter tribuuntur. At in cõmutatrice parilitas ꝓportione Arithmetica conſideratur, quę nititur ſimpliciter æquali differentia & incremẽto, ſive exceſſu numerorũ, nõ analogiæ, ſive ꝓportionũ. Itaque in eo nulla habetur ratio τῆς ἀξίας perſonæ, ſed rei æqualia pro æqualibus redduntur, ut fit in cõmercijs, in quibus tantundẽ alter contrahentium conſequi debet, quantũ alter accepit. Cęteroquin conſiſtere contractus nõ poſſent. Ejus etiam generis ſunt, quæ Ariſtoteles in contractibus ἀκουσίοις recenſet. Sed ne in iis quæ de juſtitia traduntur à Philoſophis alieno loco progrediar longius, ex iis quæ jam adduxi intelligi poteſt, idem apud eos juſtitiæ propoſitum eſſe, quod apud Cicer. Iuri civili & quaſi communem utrique materiam ſubjectam videri.

Verùm & in tractatione, & tuendi modo inter ſe Philoſophi & Iuriſconſulti differunt. Illi enim in explicãda ea honeſtatis parte, quæ juſtitię tribuitur, & nominis ſignificationem, & rei definitiones, & diviſiones, formasque ac partes & cauſas atque effecta, & quæ his adjuncta ſunt & conſequentia, quæque contra repugnantia, ac contraria, generatim tradũt. At Iuriſconſulti principiis, rationibusque inde petitis, ſingulas ſpecies, partes, membra, hypotheſes, & exempla ab illis omiſſa, minutatim perſequuntur. Satis enim Philoſophis eſt oſtendere legitimũ eſſe, quod cujuſq; populi, ſive civitatis legibus continetur; mediũ juſtitiæ, jus eſſe æquabile. Leges verò illas & inſtituta, & jura, quæ quiſq; ſibi populus conſtituit, quia in diverſis rebuſpublicis, alia atque alia ſunt, ut Athenienſium, ut Romano- *Differt Philoſophus à ICto.*

rum, in illa de juſtitia diſputatione nõ enumerant, aut declarant. At diligens & accurata eorum diſquiſitio, & expoſitio à Legumlatoribus & Iuriſconſultis ſuſcipitur. Philoſophi docent, commutatricem juſtitiam, æqualitatem in commercijs atque contractibus ſervare. Ac licet ipſi quoque de communis vitæ officiis, actionibusque humanis diſſerant, tamen quomodo æquabilitas in pœnis irrogandis, quomodo in rebus contrahendis, ſit tuenda, quidq; præſtare alteri alterum oporteat: multò clarius & accuratius Iuriſconſulti in ſingulis quaſi negocijs ob oculos ponunt. Sed in re omnibus, qui vel primis labijs Philoſophiam Iuriſprudentiamque deguſtarunt perſpicua, quid multis exemplis opus eſt? Deinde Philoſophi monent, quæ juſta ſint facienda, quæ injuſta vitanda; virtutes ſequendas, vitia fugienda, & honeſtatem inſtituendo, ac perſuadendo tradunt: At qui jura & leges præſcribunt, eorumq; ſtudio & cuſtodiæ præſunt; & præmiis ad rectè faciendum impellunt, & pœnis ſuppliciiſque à delictis avocant. Hinc eſt quod Ulpianus ait, ſe ſuiq; ordinis cupere bonos, non ſolùm pœnarum metu, ſed etiam præmiorum ſpe efficere, ac veram, non ſimulatã philoſophiam affectare. Hinc Cicero; unum duodecim tabularum libellum omnium philoſophorum bibliothecas, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare aſſeverat. Iis enim totam civilem ſcientiam, deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus, ac partibus contineri exiſtimat. Hinc idem lib. 1. de Orat.. ex legibus (inquit) & dignitatem maximè expetendam eſſe, videmus: cum verus, juſtus,

atque

atque honeſtus labor honoribus, præmijs, atque ſplendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte mulctantur: & docemur, non infinitis, concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate, metuque legum, domitas habere libidines, coercere cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Denique, eodē Cicerone auctore, aliter leges, aliter Philoſophi tollunt aſtutias, leges quatenus manu tenere res poſſunt: Philoſophi, quatenus ratione & intelligentia. Etſi verò hæ ſimilesque ſint inter jus, ſive leges & Philoſophiam, inter Iuriſconſultos & Philoſophos differentiæ: tamen magna aliàs ſocietate & cognatione inter ſe junguntur. Itaq; priſci illi tum legumlatores, Lycurgus, Solon, Hermodorus Epheſius, tum Iuriſconſulti, quos ex Pomponio ſuprà recenſui, tum ex poſterioribus *Ae. Papinianus, Pomponius, D. Ulpianus, Paulus, Tryphonius, Modeſtinus*, & plerique alij, qui in conſilio Alexandro Severo adfuerunt, ut tàm ex fragmentis, quàm ex Aelio Lampridio apparet, philoſophia literiſque inſtructi fuerunt. Quare licet multi Iuriſperitorum diſciplina morum eruditi fuerint, tamen pauci Philoſophorum, jura civilia didicerunt, ex iis præſertim qui totos ſe ad cognitionem rerum tranſtulerunt, & ipſius ſcientiæ ſuavitate delectati, nihil aliud in vita egerunt. Nam qui ex Philoſophis legumlatores fuerunt, illi non tantùm in rerum contemplatione verſati ſunt, ſed maximarum & plurimarum rerum ſcientiam ad uſum traducentes, Reſpublicas ſumma

Pp v.

cum laude gubernarunt. Plato à regendis civitatibus abſtinens, ſapientiæ ſtudio deditus, libros illos quidem de Legibus ſcripſit, ſed ad eam Rempublicam, quam ipſe novam finxit, accommodatas, ab aliis verò civitatibus non probatas: eò quòd à moribus earum, communique vitæ conſuetudine abhorrerent. Ac quidem facilius & majori cum delectatione, quæ à Philoſophis de vita & moribus ſcripta ſunt, Juris ſtudioſi cognoſcunt, quàm illa quæ à Iuriſperitis traduntur: quoniam illa morum informandorum præcepta in univerſo genere ſunt poſita, unde juris principia & axiomata notionesq; proficiſcũtur; hæc ad cauſas & controverſias, ac hypotheſes ferè aggregata, & ad has ſingulas adaptata. Itaq; multa Iuriſconſulti in ſua arte propria habent, pręſertim ad diſceptationes controverſiarum quod attinet, quæ ex recti & æqui diſputatione oriuntur, quæ licet quis eam philoſophandi rationē, quæ eſt de officijs, & generali appellatione ἠθικὴ dicitur, teneat, tamen niſi quoq; in Iuriſprudentia ſit verſatus, aſſequi nequeat. Ut autem hæc doctrina, quæ virtutes continet, & bene vivendi diſciplinam longè præſtat, tum Latinè loquendi rationi, tum diſſerendi ſubtilitati: ſic & tertia hæc Iuriſprudentiæ pars, quæ in legum ipſarum diſquiſitione, juſti & injuſti, ęqui & iniqui diſtinctione cernitur, prioribus duabus antecellit. Quare ut hunc locum de imitatione egregiorũ illorum juris autorum concludam: eos hodie Iuriſconſultos maximam ex illis *Opt. ICti qui ſint.* ſimilitudinem ducere cenſeo, qui in interpretando jure, cauſisq; explicandis, & orationis puritatem perſpicuitatemq;, & facilem quandam ac artificioſam

ſam tractandi rationem, & æqui, boniq́ue artem atq; regulam adhibent. Neque enim omnibus numeris perfectum eum exiſtimo Iuriſperitum, niſi cui omnium harum rerum inſit ſcientia. Sed quoniam pauci reperiuntur, qui hæc ſimul complectantur: ideò ſi in ſeparatis ſpectandum ſit, quo potiſſimum genere quis cognatione ea veteribus illis antiſtitibus jungatur, quædam ex tribus his, Grammatica, Dialectica, & Iuriſconſultorum propria tractandi rationibus, poſtrema hæc, & præſtantiſſima & utiliſſima eſt. Sic & qui illa præditus eſt, juris illos χαρακτῆρας præcipuè exprimere videtur. Itaque ad noſtram quæſtionem quod attinet, qui ex his duobus diverſis & diſſidentibus interpretum generibus, vel omnibus illis virtutibus, vel aliquibus veteres illos, quàm maximè effingũt: illi habita ea graduum ratione, quam poſui, & deligendi ſunt & conſectandi. Quod cùm ex ijs notis, quas commemoravi & deſcripſi, non ſit difficile juris ſtudioſo dijudicare: malo id cujuſque arbitrio permittere, quàm hîc pluribus perſequi. Satis enim eſt hujus regulæ generalia præcepta tradidiſſe: ipſius autem hypotheſis diſceptationem, cujuſque judicio relinquere, quanquam eaſdem notiones infrà ad Duarenum quoque noſtrum ſim accommodaturus. Atque hæc de priori nota & obſervatione hujus generis intetpretandi, & tractandi juris eorum, quod in excellentibus illis Iuris antiſtitibus perſpicitur, & delectu illorum, qui ſimilitudinem aliquam eorum imitando aſſecuti ſunt. Et hæc hactenus.

Iam verò quia non cuivis in promtu eſt, ex fragmentis

gmentis illis, qualis illa fuerit apud veteres interpretandi ratio animadvertere, & cum ea, ceu exemplari quodam perfecto, hujus temporis interpretes comparare: reliqua eſt altera regula, ut inquiramus quæ præcepta de interpretando, docendo, ac tractando Iure, cùm apud alios probatos auctores, tùm à *Juſtiniano* in ſua legislatione prodita ſint. Utinam verò liber ille Ciceronis de jure civili in artem redigendo extaret, quem à Gellio citari, ſupra indicavi. Neque enim dubito, quin multa in eo ad hunc tractatum pertinentia diſſeruerit. Sed mirum non eſt, & illum & alios multos præclaros Ciceronis libros in eandem incidiſſe calamitatem, quæ juris auctorum ſcripta excepit. Quæ tamen ejus illa de re ſententia fuerit, ex iſtis locis, quos paulò antè ex lib. I. & 2. de Orat. & ex Bruto ſive de claris orat. retuli, ſatis apertè intelligi poteſt. Ita enim jus civile, quod id temporis nondum artificioſè compoſitum erat, arte concludi poſſe ſtatuit, ſi in certa quædam genera, eaque pauca cogeretur: deinde ea in ſpecies ſive membra, quæ complectuntur, tribuerentur: tum quam quæque vim haberent, definitione exprimeretur. Eandem rationem ſecutus eſt *Juſtinianus* in tradendis inſtitutionibus ſuis, quam ipſos quoque juris auctores in ſuis inſtitutionibus tenuiſſe, rectè quidam exiſtimant. Iam verò ita tractandum jus omne Cicero in lib. 2. de Orat. multis exemplis oſtendit, ut cauſa perſonis certis & temporib' definitæ ad univerſi generis vim & naturam referantur, ab hypotheſi ad theſin revocentur. Neque enim ex temporibus & perſonis, ſed ex genere quæſtionis cauſa pendet.

Præcepta interpretandi jus.

pendet. Nam & quæ infinita eſſe videntur, generatim ſunt componenda, & quæ in una cognitione naturáve poſita, in plurima diſpartita, & hinc inde diſperſa ſunt ac diſſipata, iterum conjungenda, & artificioſè ad ſuos quæque locos communes digerenda; rurſusque quæ mixta & confuſa, ſejungenda, & in certa genera ſingula deſcribenda, eaq́; tum diviſionibus commodis diſtribuenda, tum definitionibus explananda. Et cum ferè omnes iuris partes vel generales ſint, generatim & infinitè conceptæ, vel certas facti ſpecies contineant, certamq́; perſonarum, temporum, & locorum notationem. illæ cum in generum univerſa diſputatione conſiſtant, in partes reſolvendæ, eæque ſingulatim ſunt explicandæ; hæ autem à perſonis & temporibus ad communes rerum & generum ſummas ſunt aggregandæ & revolvendæ. Ac de his ex Cicer. præceptis hactenus.

Reſtat ut videamus, quem modum & rationem *Iuſtinianus* iuris à ſe compoſiti, quo hodiè utimur, interpretandi ac docendi præſcripſerit. Ac quidem edixit ne quis alios commentarios legislationi ſuæ apponat, quàm παράτιτλα, ut ipſe dict. conſtit. 1. §. ultimo interpretatur, per indices & titulorum ſubtilitatem quædam admonitoria eius faciat, & κατὰ πόδα interpretationem de lingua una in aliam, ut ex Latina in Græcam ſub eodem ordine eademq́; conſequentia, ſub qua legum voces poſitæ ſunt, transformationem, ſive converſionem, vel brevem aptamque expoſitionem, quæ non multò pluribus verbis fiat, quàm legibus ipſis continentur. Et ſanè ſi quod Iuſtinianus in iure à *Iuſtiniani Jus.*

ſe edi-

ſe edito præſtitum, non modò credidit, ſed etiam prædicavit, revera ita ſe haberet, utiliſſima hæc ſua præcepta, & ad unguem obſervanda eſſent. Sicut enim ante multitudinem librorum confuſum ius Romanum fuiſſe queritur, ſic, quæ eſt ingeniorum humanorum audacia, & morum licentia, doctores & interpretes commentationibus & diſſenſionibus ſuis, hoc jus tàm præclarè à ſe, ſua quidem opinione, conſtitutum, perverſuros eſſe verebatur, niſi id ſuis ſanctionibus præcaveret. Semper enim id curæ fuit optimis quibuſq; legumlatoribus, prudentiſſimis rerumpublicarũ gubernatoribus, tum ut paucas, tum ut apertas, & perſpicuas leges præſcriberent, quòd cernerent diligentius eas obſervari, & minus controverſiarum parere. Itaque Solon, ut eſt apud Demoſthenem, ſingulas tantùm de ſingulis negocijs leges, eaſq; faciles & planas eſſe voluit, ne vulgi ſimplicitati temerè imponi poſſet, ſed omnibus æqua facultas eſſet, eas & legendi & perdiſcendi. Et Iſocrates eas leges optimas eſſe judicavit quæ & quàm pauciſſimas lites gignerent, & quàmprimùm eas tollerent. Hinc in bene conſtitutis apud Græcos rebuſpublicis ſumma in ferendis novis legibus cautio, cura & diligentia adhibebatur. Nam non mutationem modò earum „ periculoſam eſſe cenſebant, ſed & multitudinem, „ ita ut eos, qui ſubinde condant & recondant leges, inſanire Herodotus dixerit. Quare ſtudioſè proſpiciebant, & ne leges cumularentur, & ſi accidiſſet, ut ſylva illa circumcideretur. Unde Iulius quoque Cæſar, teſte Suetonio, conatus eſt Ius civile Romanorum ad certum modum redigere,

Leges paucæ & planæ ſint.

atque

atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros. Cùm igitur Iuſtinianus hanc ſuam legiſlationem veteri Iuriſprudentia tanto præſtantiorem & perfectiorem eſſe duxerit : ut illam æris, hanc auri loco habeat, eoq; nec comparari inter ſe velit : propterea quòd multa in illa deſiderarentur, quæ ſingulatim commemorat : in hac autem nihil contrarium, nihil ſimile, nihil redundans, nihil perturbatum inveniatur, ne ob multitudinem ſcriptorum idem ei accideret, quod priori eveniſſet, illi incommodo his ſuis conſtitutionibus occurrere voluit. Verùm ſi diligentius attenderimus, plurimùm & opinione ſua *Juſtinianum* falſum & *Tribonianum*, qui ei hoc jus omnibus partibus abſolutum eſſe perſuaſit, vehementer erraſſe cognoſcemus : præſertim ad quinquaginta Pandectarum libros quod attinet. Tantùm enim abeſt, ut eos Papiniani, Caij, Ulpiani, Pauli, & æqualium Conſultorum monumentis anteponam: ut nec quidem cum ijs conferendum exiſtimem. Quin tam malè ex centonibus veterum Iuris auctorum ſunt conſarcinati, ut licet Pandectæ fortaſſis dici poſſint, tamen Digeſtorum nomen mereri vix videantur. Etenim excepta titulorum συνεχεία (quæ congruenter ad formam perpetui edicti, & imitationem *Digeſtorum à Juliano*, & aliis ſcriptorum certo quodam ordine coagmentata eſt,) pauca artificioſè digeſta, apteque diſpoſita, & ad ſua genera convenienter aggregata, rurſusque in ſpecies & membra diſtributa, & ſingulis definitionibus explicata, ea ratione & via videre licet, quam

Iuſtinianum jus Pandect. imperfect.

Digitized by Google

quam & Cicero præſcripſit: & quam cùm in commentarijs ſuis ad edictum, tum in Digeſtis veteres Iuris auctores uſurpaſſe ex collatione & conjunctione fragmentorum, ex uno eodemque libro, in varios titulos atque libros diſperſorum, & obſervata cujuſque capitis inſcriptione, ad ſuos libros ſingulorum coaptatione, quoquo modo animadvertere poſſumus. Quanquam facilius ſit ex illa inter ſe capitum compoſitione, titulorum & argumentorum, quæ quoque libro tractarunt, ſeriem atque continuationem, quàm rationem tractandi principalia illa capita, ſive quæſtiones in ſingulis libris colligere. Quo magis dolendum eſt, ex tot Iuris auctorum Digeſtis, quæ *Julianus*, *Alphenus*, *Celſus*, *Marcellus*, *Cervidius Scævola*, *Pomponius*, *Ulpianus*, *Paulus*, *Martianus* reliquerunt, nullius non modò non totum opus, ſed nec unum quidem librum integrum ad noſtram ætatem perveniſſe. Ac tametſi ijdem illi quinquaginta libri Iuſtiniani mandato concinnati inſignem theſaurum Iuris, atque omnis generis præclara multa contineant, atque ideò non immeritò Pandectarum nomen ijs tribui fortaſſe poſſit, quod ut etiam ipſe gloriatur, optima quæque & utiliſſima in eos contulerit: tamen non ut idem tractat, idcirco omnes diſputationes ac deciſiones in ſe habent legitimas, omnemq; boni & æqui doctrinam & diſciplinam complectuntur. Multò verò minus conceſſero, innumerabilia ab his compilatoribus in melius mutata, & multa in antiquis diſſidentia, ab his diſtincta, & ſuis limitibus determinata & definita eſſe, ita ut, cum omnes reliquæ artes ſint infinitæ,

hæc

hæc ſola ſcientia certis finibus ab his ſit circumſcripta. Non hic referam, quàm multa, varia & non levia errata, atque vitia in horum quinquaginta librorum confectione doctiſſimi noſtræ ætatis Iuriſconſulti notarint: id omnes queruntur, ita præciſa eſſe illa ex juris auctoribus fragmenta, quæ in iis erant perſpicua, ut ſæpè ſit de ſententia divinandum: præſertim deficientibus nos juris auctoribus, unde illa depromta fuerunt. Nec verò, ut ferè in omnibus illis conſtitutionibus prædicat, quæ apud veteres pugnantia fuerunt, diſſolvit, atque conciliavit, ut nulla antinomia in his libris ab eo inveniatur, qui ſubtili mente diverſitatis rationes excuſſerit. Nam diſſentientes Iuris auctorum opiniones in diverſis capitibus cernũtur, quæ componi inter ſe nullo modo poſſunt, ut id his temporibus ab eruditis Iuriſconſultis diligenter eſt demonſtratum. Sic Celſus *a* & Paulus *b* inter ſe ex diametro diſcrepant. Ille enim ſervum legatum, ſi interim manumiſſus ſit, & poſteà rurſus ſervus factus peti poſſe, hic non poſſe ſtatuit, atque ideo Celſi ſententiam Paulus & notat & improbat, propterea quòd in perpetuum ſublata obligatio reſtitui non poſſit, ita à Celſo *c* patre & filio Iulianus *d* diſſentit. Illis enim placuit, quod ſervo communi legatum erat, altero dominorum omittente, ſive repudiante, alteri non accreſcere, huic verò ad alterum totum pertinere. Erant enim diverſarum ſcholarum. Illi Proculiani, hic Sabinianus, teſte

a) *in l. ſi chorus. 79. §. ult. de legat. 3.* b) *l. qui res §. aream. Ver. nec admiſſum. de ſolut.* c) *l. & Proculo. 20. de leg. 2.* d) *l. 1. §. 1. de uſufr. accreſc.*

Pomponio *a*. Nam idem antè hujus præceptor *k* Iavolenus in ſimili ſpecie *c* ſtatuerat, qui Sabino ſucceſſerat. Plures hujus generis controverſias inter Sabini & Proculi diſcipulos ſuprà expoſui. Ita diverſis poſitis Iuris principiis Iulianus *d* putarit fructuario vindicandarum ſervitutum jus eſſe, atque ideò opus novum nunciare poſſe argumento cæterorum, quibus vindicatio ſervitutis datur *e*. Contrà Labeo, Nerva, Marcellus, Ulpianus *f*, exiſtimarunt fructuario ſervituti vindicationem nõn eſſe, atque ideò novum opus nunciare non poſſe.

In hac quoq; quæſtione, an fundo vendito, & in diem addicto uſucapio procedat, & fructus emptoris fiant, Iulianus *g* Paulum omnino ſecutus eſt. Ulpia. non *h*: ſed adhibita diſtinctione, in priori c. ébro aſſentitur, in poſteriori repugnat. Nam in hoc non puram, ut illi, ſed conditionalem venditionem eſſe ſtatuit, idque ex Pomponij ſententia, ut conjectari licet *i*. Sed apertè Paulus *k* etiam in hac poſteriori parte, niſi melior conditio adferatur, puram cum Iuliano cenſet eſſe emtionem, & idcircò rejecta aliorum, ut Pomponij & Ulpiani ſententiis Iuliani probat. Nec verò diſertè Iuſtinianus, utram in his

a) *l. 2. in fi. de orig. jur.* b) *l. an manumittere. de manum. vind.* c) *l. ſi duobus. 40. de legat. 2.* d) *l. 1. § pen. de remiſ. & in l. 2. de oper. novi nunc.* e) *l. 3. § 1. & §. pen. l. creditori. 9. ff. de novi oper. nunc.* f) *l. 1. §. ult. eo. tit. l. 1. in princ. ſi uſusfr. pet. l. 2. §. 1. ſi ſer. vindic.* g) *l. 1. de in diem add. ct. & l. 2. §. ſi in diem addictio. pro empt.* h) *l. 2. & 4. de in diem addict.* i) *ex d. l. 4. & ex l. item quod dictum. de in diem addict.* k) *d. §. ſi in diem addict.*

in his diſſenſionibus ſententiam potiorem ducat, exponit. Itaque jactare non poteſt à ſe diſſenſiones illas ſublatas, præſertim cum utramq; in Pandectas diverſis locis contulerit. Et ſi verò Iuſtinia. multas quoque diſcrepantes juris autorum opiniones in Inſtitutionibus, Codice, Novelliſque decidit, & quid ſequendum eſſet declaravit, ut in illis diſſidijs Proculianorum & Sabinianorum à me ante expoſitis *a*, quemadmodum & controverſiam illam in diſtinctione prædiorum urbanorum & ruſticorum inter Neratium & cæteros Iuriſconſultos definivit *b*, cùm & Pomponius & Ulpianus *c*, & Ulpianus *d* qualitate, genere & uſu, non ut ille *e* loco diſcernat, ut exempla ex Cod. & Novellis prætermittam, nihilominus in his libris Pandectarum, contraria illa capita congeſſit, quæ vel in eos non redigere, vel in iis non ſine nota relinquere debuiſſet. Quare cùm non ſit ejuſmodi juris Iuſtiniani auctoritate compoſiti conformatio & perfectio, cujuſmodi ille eſſe perhibet: idcirco præter παράτιτλα, brevia monita, ſive titulorũ argumenta & indices rerum, & κατὰ πόδα expoſitionẽ, ſolidior, uberior, & illuſtrior eius in accidentibus partibus interpretatio poſterioribus tẽporib' requiſita fuit.

a) *Veluti in d. §. cum ex aliena. de rer. diviſ. d. pr. inſtit. quib. mod. tut. finiat. & d. §. in pretium. inſtit. de empt & vend. §. is qui exequitur. Mand*

b) *§. prædiorum urbanorum. inſtit. de ſervit.*

c) *l. urbana familia. 166. de verb. ſign.*

d) *l. urbana ædificia. 138. & l. 1. comm. præd.*

e) *l. 2. de ſervit. ruſtic. præd. l. eo jure. §. ſtabula. in quibus cau. pignus vel hypot. contrah.*

Illis quidem anteceſſoribus, qui in tribus illis Gymnaſiis à Juſtiniano, vel apertis, vel confirmatis, tum jus hoc renovatum profeſſi ſunt, non fuit difficile præceptis ejus morem gerere. Nam & pro tali legislatione illam habebant, qualis in conſtitutionibus, ſive edictis illis non ſine magna tractatione deſcribitur, & ad tempora illa accommodata, & in foro uſuq; quotidiano per ſe clara erat: etſi quæ obſcuritas & difficultas ex fragmentis illis, à Iuriſconſultis in Pandectas relatis, propterea quod nimium conciſa & truncata eſſet, oriebatur: ejus explanatio ex ipſis auctoribus, unde ſumta erant, peti poterat.

Iuſtiniani jus antiquatum ab exteris gentibus reſtituit Lotharius.

At ſimul ac non multò pòſt Iuſtinianum exterarum gentium copiis, cùm in alias imperij occidentalis provincias influentibus, tum in Italiam ſe inferentibus, ibique domicilium ac ſedem principatus ſui collocantibus, jure illo Iuſtinianeo; pleriſque in locis antiquato & obſoleto, alia jura ab illis nationibus, quæ rerum in Italia potiebantur, inducta eſſent: à *Lothario* demū *III.* oblatis ſibi ex præda direptæ urbis Melphitanæ Pandectis ſancitum eſt, ut ex uno illo jure, reliquis legibus abrogatis, in Italia judicia fierent, jusque diceretur.

Doctores Iuris. Irnerius.

Itaque cum pòſt aliquot ſecula tandem pleriſq; & tribunalibus reſtitutum, & ſcholis redditum fuerit: mirandum eſt, *Irnerium*, Germanis *Wernherum* dictum, qui primus, regnante *Lothario*, Pandectas in publico *Bononiæ* Gymnaſio interpretari cœpit, ejuſdemque ætatis alios, qui certatim ipſius inſtitutum ſunt æmulati, præſcriptum Iuſtiniani tam accuratè obſervaſſe. Nam potiſſimùm in *ſummis gloſſiſq;* ſcribendis elaborarunt:

quarum illæ loco paratitlorum, hæ autem κατὰ πόδας expoſitionis ſunt. In his refero *Hugolinum, Bulgarum, Martinum, Johannem Pileum, Rogerium, Aldericum, Azonem*, atque alios ejuſdem ætatis viros bonos & in juris doctrina eruditos, qui *Lothario, Conrado III. Friderico* primo, eiusque filiis *Henrico & Philippo* imperantibus, floruerunt. Equidem horum ſimplicitatem in juris interpretatione multò pluris facio, quàm pompam & apparatum, ſuperioris noſtræque memoriæ doctorum ad inanem oſtentationem ſæpè comparatum. Eandem interpretandi rationem in Gallia Ciſalpina conſectatus eſt eadem ætate *Placentinus*, quem licet acerbè inſectatus ſit *Accurſius*, tamen eius in utroque illo genere non contemnenda extant & ingenij & induſtriæ monumenta. Ex omnibus autem ijs, nullus in titulorum argumentis & ſummis explicandis uberior & copioſior fuit Azone, qui in ijs etiam ſuperiorum æqualiumque ſuorum retulit ſententias: ita ut quibuſdam paratitlorum fines tranſiiſſe videatur. Sunt qui idem notent in gloſſis *Accurſij*, quas eum adauxiſſe, & intra gloſſematum nomen limiteſque non conſtitiſſe certum eſt. Sed uterque ſtudioſorum juris ſuorum temporum juſtam fortaſſe rationem habuit. Quòd enim fragmenta ex Iuriſconſultis in quinquaginta illos Pandectarum libros redacta nimium eſſent mutilata, nec amplius ſcripta illa, ex quibus excerpta ſunt, in manibus verſarentur, totaque illa Iuſtiniani legislatio, ante multas ætates in deſuetudinem abiiſſet, clarius interpretationis lumen, quàm quod gloſſæ illæ ſuperiorum doctorum præſtite-

Azo.

Accurſius

rant, ei adjungendum fuit. Primus igitur *Accurſius* admirabili diligentia, incredibili labore, excellenti ingenio, quæ ſuperiores ad diverſa loca, quibus interpretatione opus eſſe putabant, gloſſemata paſſim & ſeorſim compoſuerant, collegit, iisque ſua addidit, & cùm ad univerſum jus congeſſit, tùm ad ſingulas ferè leges applicuit. Nec ipſas modò leges, & quæ inter ſe vel ſimilia, vel pugnantia ſibi eſſe viderentur annotavit: ſed & diſſentientes priorum interpretum opiniones ſuis locis retulit, & collatione earundem facta ſuam quoque ſubjecit. Ac cum nec ſic quidem ſatisfieret Iuris ſtudioſis, qui eum inſecuti ſunt, velut ducem & auctorem intuentes, non tam ipſas leges ſibi explicandas, quàm ſcholia ſeparatim ab illis edita, cùm ab Accurſio in unum quaſi corpus contracta, perpendenda propoſuerunt. Itaque luculentiores expoſitiones & enarrationes ediderunt, in quibus mediam viam inter eos, qui ætate majores, quique minores erant, ſunt ſecuti, cùm & gloſſarum modum excederent, & ſibi à commentariorum magnitudine temperarent. Ex hoc numero ſunt *Jacobus Balduinus, Odoffredus, Franciſcus Accurſij* filius, & *Jacobus Belviſius, Jacobus de Arena, Dynus, Jacobus*, & *Bartholomæus Butrigarij, Nicolaus Neapolitanus*, & *Mutinenſis*, & *Matarellus, Martinus Silimannus*, & *Farlenſis, Lambertus Ramponus, Riçardus Malumbra, Rainerius Forolivienſis, Cynus, Oldradus, Fridericus Perrucius Senenſis, Jacobus de Ravena, Blavaſius, Petrus de Bella Pertica, Joannes Faber, Gulielmus Cuneus*, & eorundem æquales, qui omnes annis Bartolo præſtite-

ſtiterunt. Nec tamen hi omnes unum idemque tenuerunt inſtitutum, ſed alii preſſiores, alii uberiores fuerunt. Eadem ætas tulit *Signorolum Homodeium*, cujus reſponſa extant, in quibus nullis alijs atq; legum autoritatibus & teſtimoniis utitur. Tum fuit *Bartolus*, qui licet in commentariis faciendis, cùm jam apertè contra Iuſtiniani edicta ſcriberetur, illis liberior fuerit, tamen ad eam licentiam & temporum illorum conditione & auditorum deſiderio adductum ſtatuo. Id verò recitationibus ſuis, atque ſcriptis nominis autoritatiſq; comparavit, ut hactenus primus illi locus inter juris interpretes tributus fuerit. Et ſanè ſua laude non eſt fraudandus, cùm ob alias ingenij dotes; tùm quòd, cùm ſe ad exercitationem juris, & iudicia maturè retuliſſet, ius à ſe in ſcholis explicatum, ad uſum fori iudiciorumq; traducere ſtuduerit. Excuſari eadem ratione poſſunt, & Bartoli æquales & qui ei ætate proximi fuerũt, ut *Franciſcus Tigrinus, Albericus Roſatius, Baldus & Angelus* fratres, *Richardus & Bartholomæus Saliceti, Benedictus Plombinus* & ſimiles, quamvis indies fœcũdior fuerit Iuris interpretatio & ſcribendi cupiditas, & multitudo & magnitudo cõmentariorum creverit. Neq; enim his ſatis fuit de ipſis legib⁹, & de gloſſematis, cùm anteriorũ, tum Accurſij diſputare, ſed & anteceſſorum ſuorum ſententias referre, & quid ſibi de ijs videretur, explanare. His ſucceſſerunt *Chriſtophorus Caſtilionæus*, uterq; *Raphael Fulgoſius & Cumanus, Joannes Imolenſis, Paulus Caſtrenſis, Ludovicus Romanus, Chriſtophorus Portius, Florianus, Martinus Laudenſis, Guido Papa, Angelus, Aretinus, Jacobus Puteus*, & alii

Bartolus.

nonnulli, qui in commentando & ſcribendo non minus ſibi, atque illis, contra Iuſtiniani præcepta licere, arbitrati ſunt. Pleriſque verò ex hoc ordine veniam dandam exiſtimo. Nam tres primi cùm magno ſtudio atque diligentia in ipſas leges cognoſcendas incubuiſſent, & plurimum ingenio valerent, acriq; judicio præditi eſſent, & opiniones anteceſſorum ſuorum per manus quaſi traditas, minus cum ipſius juris Iuſtinianei doctrina cõſentire intellexiſſent, veram legum ſententiam aſſerere, & receptas interpretationes impugnare, & confutare non verebantur. Itaq; licet pro ſingularibus ab iis ſunt habiti, qui præjudicata opinione autoritates potius, quàm rationis momẽta ſequuntur: tamen ſæpè rectius multa in jure explicarunt, quàm illi, quorum dogmata majori multorum hominum plauſu ſunt approbata. Quocirca noſtris temporibus Iuriſconſulti doctiſſimi *Alciatus*, *Mudeus*, *Duarenus noſter*, *Jacobus Cujacius*, atque alij recentiores in multis quæſtionibus, horum ſententiam olim à pleriſq; rejectam, ea opinione quæ pro communi habita eſt improbata, ſunt amplexi. Iam & genus dicẽdi facile atq; perſpicuũ, quo *Paulus Caſtrenſis* in cõment. ſuis uſus eſt, & in commemorandis integris capitibus *Ludovici Romani* memoria, quam Aeneas Sylvius prædicat, argumento ſunt, eos in ipſo jure perdiſcendo graviter verſatos eſſe. Multò verò minus ſe intra leges, metasq; illas à Iuſtiniano præfixas cõtinuerũt, qui his poſteriores fuerunt, *Franciſcus Aretinus*, *Barthol.*, *Capola*, *Alexander Imolenſis*, *Petrus Philippus*, *Corneus*, *Marianus Socinus*, & *Franciſcus Curtius*, majores,

Joan-

Joannes Maria, Riminaldus. At eos immoderata peccandi adverſus iſtas Iuſtiniani conſtitutiones, licentia etiam ſuperarunt, qui ætati illi ſuccreverunt, *Bartholomæus Socinus, Joannes Crotus, Jaſon Maynus, Philippus Decius, Jacobinus à S. Georgio, Joannes Igneus*, multique alij noſtrorum quoque temporum doctores, eorundem veſtigiis in interpretando iure inſiſtentes, quorum plerique ingentia ediderunt volumina. Cùm enim ut interpretum multitudo, ſic & opinionum, diſputationumq; ſylva, præter modum creſceret, atque hi omnium ſententias referre, ſuisq; libris complecti ſolerent, inde factum eſt, ut immenſos ſcripſerint commentarios. Hoc verò tractandi iuris genere utrum obſcuris in Pandectis, aliisq; iuris Iuſtiniani mandato collecti locis lucē attulerint, an luculentis tenebras obduxerint: facile erit ei ſtatuere, qui regulas illas à me propoſitas in iudicando ſpectaverit. Etſi verò quo poſtremi hi interpretes verbosiores & redundantiores in ſcribendo fuerunt: eò longiùs à lege modoq; interpretandi in Iuſtiniani edictis præſcripto receſſerunt, tamen & his ignoſcendum eſſe duco: ſi modò in ipſis quoque legibus explicandis, operam, ſtudiumq; poſuerunt. Ut enim ſupervacanea multa & manca ac mutila, ut etiam multa à propoſito aliena coacervarint, ut in interpretum opinionibus recitandis & excutiendis nimis longi fuerint, nihilominus tamen hæc & propter exempla priorum, & inveteratum hunc morem iis condonanda reor, ſi modò ipſa quoq; iuris capita contemplati fuerunt, & eodem reliqua omnia, veluti ad ſcopum direxerunt. Sin autem vel

legibus ipſis neglectis ac relictis, aut verbis menteque earum vix per tranſennam inſpectis, omne ſtudium atque tempus in recenſendis, diſquirendis, confirmandis, repellendis præcedentium interpretum opinionibus conſumſerunt, nec venia, nec excuſatione hos dignos arbitror. Neque enim ſolùm hujuſmodi interpretum diſputationes perverſæ, ſed & pernicioſæ ſunt juris ſtudioſis, quæ eos ab ipſius juris certi & finiti cognitione tanquam à veris fontibus, & ſedato quaſi amne, ad vaſtum inanium concertationum & incertarum opinionum, infinitarumque argutiarum, & verſutiarum mare abducunt.

Ex hac Iuriſconſultorum, qui ſibi jus Iuſtinianeum in lucem revocatum, tractandum ac interpretandum ſumſerunt, enumeratione, & cum eiuſdem edictis de illa re promulgatis collatione perſpici poteſt, primæ ætatis interpretes eis obtemperare conatos eſſe: qui autem eis ſucceſſerunt, vel uſu exigente, vel ſtudioſis efflagitantibus ea inſuper habuiſſe, & gloſſarum atque κατὰ πόδα interpretationis fines egreſſos eſſe: uberiusque atque plenius jus id explicaſſe, utilemque adhuc eam operam Iuriſprudentiæ fuiſſe. At tertiæ quartæ, & huius noſtræ ætatis doctores communem illum morem ſectantes, temporis progreſſu ac indies magis atque magis à ſanctionibus illis ſe removiſſe, atque tandem non ſolùm ſupinè & edicta Iuſtiniani, & pœnas in ijs conſtitutas neglexiſſe, verùm etiam audacter contemſiſſe, non ſine mgno Iuriſprudentiæ damno. Cùm enim poſtpoſito ipſius Iuſtinianæ legiſlationis ſtudio, omne fere tempus in doctoribus

bus contereretur, adaucto interpretum numero, multiplicata ſunt placita, cumulatis opinionibus plures & grandiores factitati commentarii, qui foecundiores extulerũt partus, atq; rurſus feraciores ediderunt fœtus, eisq; alij atque alij ſuccreverunt, donec eo proceſſum eſt, ut nullus, nec modus, nec finis ſcribendi in jure fuerit. Quare tam ingens & immenſa turba voluminum huius generis extat, ut nullo modo cum ea librorum copia, quæ Iuſtiniani temporibus extitit, vel multitudine vel magnitudine conferri poſſit. Quod ſi igitur vetus jus Romanorum *a* ob illorum variorum commentariorum copiam confuſum atq; perturbatum fuit, ut Iuſtinianus queritur, multò magis id de Iuſtinianea legiſlatione ſtatuendum erit, præſertim cum hæc doctorum noſtrorum opera libros illos & numero & granditate multum exuperent, puritate autem & perſpicuitate orationis, & rerum ipſarum tractatione atque boni æquique diſputatione, longè ſint inferiora. Ergo innumerabili & infinita hac vi voluminum, à noſtris doctoribus divulgatorum, non modò oppreſſa, ſed & penitus obruta fuiſſet, niſi Dei munere & conceſſu, perinde ut alia omnia ferè humaniora ſtudia, ex inveterata Barbarie, paulatim emerſerunt, ſic & vera Iuriſprudentia reſpirare & ſe erigere cœpiſſet. Nam cum refloreſcentibus literis, non modò ipſum jus Iuſtinianeum diligentius ſtudioſi in manibus haberent, ſed & alia quædam veluti ex parietinis fragmenta nacti eſſent, & plura indies Romanæ in omni genere diſciplinæ

Ius obrutum commentariis

Reſtituta vitori.

plinæ

a) *d. conſtit. 1. 2. 3.*

plinæ vetuſti moris hiſtoriarumque & antiquitatis monumenta prodirent, eaque illi ſtudioſius & diligentius colerent, adinventisq; illis inſtructi felicius in juris ſtudiis verſarentur, ejusque cognitionem aſſecuti, quàm longè interpretes illi poſteriorum ætatum, tum à veterum Iuriſprudentum more, tum à Iuſtiniani edictis diſceſſiſſent, intelligerent: quoad conſequi induſtria ingenioq; potuerunt, etiam atque etiam enixi ſunt: ut corruptum illud interpretandi genus animadverſione rectæ & ſynceræ rationis, qua in commentariis ſcribendis ipſi juris auctores uſi fuiſſent, corrigerent, & ad eandem præceptorum à Iuſtiniano hac de re traditorum accommodatione emendarent. Neque enim ut & ſupra indicavi, ſola Iuſtiniani præſcriptio & formula in hoc genere, tum propter ipſius legislationis imperfectionem, tum propter intermiſſum eiuſdem per multa ſecula & in ſcholis & in judicijs uſum, tum propter receptam proximis ætatibus contrariam interpretandi conſuetudinem, teneri potuit. Itaque non modò à multis hac noſtra memoria, qui ab inculta illa & ſalebroſa proximarum ætatum via, juris ſtudioſos in amœnum illud & pulchrum iter veterum Iuriſconſultorum revocare voluerunt paratitla, partitiones methodicæ, οἰκονομίαι, manualia, & ejuſdem argumenti ſimilia, à nonnullis etiam brevia quædam ſcholia & annotationes, quas inſtar κατὰ πόδα expoſitionis habuerunt, conſcripta fuerunt; in quibus alij aliis longè antecellunt, ſed & commentarij ad varias juris partes facti; quorum licet magna ſit inter ſe differentia: tamen quoſdam puto non admodum diſſi-

Commentaria nova neceſſaria fuere.

diſſimiles iis eſſe: quos ad edicta, aliasq; juris partes, primi nominis, juris auctores compoſuerunt. Ac licet hi quoque ipſi in Iuſtiniani ſanctionem commiſerint, cum is commentarios legislationi ſuæ adjicere penitus prohibuerit. tamen tantum abeſt, ut ullius pœnæ, nedum gravis illius à Iuſtiniano ſancitæ reos putem. Siquidem cauſis, quibus ad vetandum hoc genus librorum Iuſtinianus inductus eſt, in his locus non eſt: cùm perſpicuum ſit, nihil inde incommodi legislationi ſuæ: ſed multum potius commodi acceſſiſſe. Quòd enim nec id compilatores in jure illo concinnando præſtiterunt, quod ſibi perſuaſum habebant: quòd idem diu in tenebris obſoleverit: quod reſtitutum, poſteà tum à librariis depravatum, tum longis illis immenſiſque Commentariis conturbatum fuerit; nudæ illæ à Iuſtiniano conceſſæ expoſitiones non ſufficiebant: ſed luculentioribus interpretationibus, quibus redintegraretur, opus fuit. Quid quòd rationes etiam reddendæ erant, quamobrem & verus ille rectusq; mos, jam prorſus obliteratus, renovandus & pervulgatus rejiciendus fuerit? Itaque præſcriptum illud Iuſtiniani conjungendum fuit cum norma illa ſive regula de obſervatione & imitatione optimi illius generis interpretandi & commentariorum: quod in veteribus illis probatiſſimis Iuris auctoribus deprehenditur, & ea moderatio adhibenda, ut in paratitlis aliiſque permiſſis expoſitionibus, quoad eius fieri poteſt, accuratè eius edicta obſerventur; in iis verò, quæ vetuit; in uberioribus interpretationibus, & commentariis, qui ad exempla priſcorum Iuriſconſult.

ſunt

ſunt conformandi; vetita eius neceſſaria potius de cauſa neglecta, quàm temerè ſpreta eſſe videantur.

Ut igitur in interpretando & ſcribendo, ſic & in dijudicando, utriuſq; regulæ ſimul ratio habenda eſt. Etſi enim non ſolùm jam inde à revocato jure Iuſtinianeo, conſervata temporum ſerie, ſucceſſiones & differentias enumeravi, ſed & ſingulas ætates cum illis Iuſtiniani præceptis contuli, & examinavi, tamen in diſcernẽdis interpretum ſcriptis, non ea ſolùm attendenda ſunt, ſed priori illi regulæ, ut præſtantiori, adjungenda. Nam ſi ad utramque regulam conjunctim doctorum interpretationes exegerimus, non obſcurè cognoſcemus, qui ex iis rectum atque verum, qui contra corruptum & depravatum interpretandi genus uſurpẽt. Et cùm in utroque variæ ſint diſſimilitudines, & multiplicia diſcrimina, animadvertere licebit, qui inter laudabiles primum locum mereantur, qui in ſecundis, tertiis atq; poſtremis conſiſtant. Perpauci enim poſt culta illa ſecula perfecti Iuriſconſulti laudem ſunt conſecuti. Qui autem quibus præſtẽt, ex gradibus illis, quos ſupra expoſui, cùm de priori regula egi, perſpici poteſt. Rurſusque tum ex illa commemoratione variorum quaſi graduum & ætatum interpretum, tum ex contrariorum diſciplina ei conſtabit, qui aliis magis, aliis minus ſunt vitioſi. Ut enim major horum eſt caterva, ſic & plura genera, multipliciores varietates & differentiæ. Alij enim dum faciles & breves ſtudioſique eius ſimplicitatis, quæ in Ulpiani ſimiliumque auctorum commentariis elucet, videri vo-

ri vo-

ri volunt, ea quæ difficilia, abdita, & retruſa ſunt, prætereunt & tranſiliunt. Alij contra dum ſimplicitatem illam deſpiciunt, ex acumine ingenij & ſubtilitate, in tractatione reconditæ materiæ, involutarumque quæſtionum popularem ſibi laudem aucupantur; multa inutiliter & confusè & verbosè in utramque partem diſputando ſeipſos implicant, & quæ explanare debebant, obſcurant. Alij verò immemores ſui inſtituti, jus quod interpretandum erat, vix attingentes, aut ſi id ſibi tractare propoſuerant, protinus ab eo diſcedentes, omnem operam, ſtudium, atque tempus in referendis atque diſcutiendis interpretum opinionibus impendunt. Sed quorſum illa exempla, quæ infinita ſunt, commemoro? Huius autem diſputationis ſumma caputque eſt, ut cujuſque recitationes & lucubrationes cum normis illis maximè congruerint, ſic potiſſimum eſſe probandas, contraq; maximà omnium improbandas, quæ ab illis longiſſimè abfuerint. Cùm ergò quod optimũ & præſtantiſſimum eſt, idem inprimis ſit deligendũ; nemo eſt quin ex his intelligat, quos interpretes potiſſimùm conſectari & pervolutare debeat. In hos igitur ſi tantum temporis atq; ſtudij contulerit, quantum ad eos non modò cognoſcendos, ſed & imitandos ſatisfuerit, ſimul ut penitus eos perdidicit, & ſic judicium ſuum confirmârit: jam alios quoque libros, qui cum iis regulis minimè convenerint, legere ei licebit. Ut enim apes ex omnis generis floribus & herbis, ſi quid eſt boni ſucci exugunt, ſic Iuris ſtudioſi, judicandi facultate præditi, ex quibuſvis interpretum ſcriptis, optima

Delectus habendus.

optima quæque carpere, & colligere poſſunt, quod & olim Lucretius ſe facere prodidit:

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta.

Idem ſtudij ſibi exemplo Lucretij propoſitum fuiſſe *Duarenus* noſter diſertè in his ſuis operibus indicat. Unde & verſus illos ſæpè in ore habebat. Sic ex doctorum hominum monumentis accepimus, tum Virgilium ex Ennij veluti ſtercoribus aurum, Horatium ex luto Pacuvij gemmas conquiſiviſſe. Atque hæc eorum permitto arbitrio, qui ſola iuris cognitione & doctrina delectati, forum & iudicia non ſpectant, utrum iſtis operæ & temporis quid tribuere velint. Sed cum Iuriſprudentia opus ſit in agendo, utrum in eorum quoque, qui ad exercitationem, uſumque forenſem ſe volunt conferre (quod præcipuè iis qui ſe iuris ſtudio dederunt, propoſitum eſſe & debet & ſolet) facultate omninò poſitum ſit, animum ad interpretum illorum lectionem, applicare, vel non adiungere, equidem (prout nunc iudicia ſunt conſtituta) vehementer dubito. Etſi enim leges diſcimus, non ut in ſola earum cognitione acquieſcamus tantùm, ſed ut iis in curia, tribunalibus, & foro utamur, atq; hęc ita inter ſe cohæreant, ut alterum ex altero pendeat, eædemque illæ regulæ in exercitatione juris valere debeant, quæ in interpretatione obſervantur, (quod Iuſtinianus tum in eandam pœnam falſi velit eos incurrere, qui aliam legem ſive auctoritatem, quàm ex his libris in iudicio citarit, cui obnoxii ſunt, qui contra eiuſdem præſcriptum commentarios faciunt; tum Pan-

Practicis quid agendum.

dectas

dectas ſuas compoſuerit, non modò ex commentariis & interpretationibus ad leges, edicta, ſenatuſconſulta, aliiſque ejus generis, ſed etiam quæſtionum cùm aliarum, tùm publicè tractatarum, reſponſorum, epiſtolarum, actionum, publicorum, reliquorumque judiciorum, protribunalium ſententiarum, cognitionum, decretorum, appellationum libris ex ipſis auditoriis, judiciis & foro manantibus, ad quorum exempla meritò etiam in exercitatione juris animi noſtri dirigendi eſſent:) tamen quia non modò veterum judiciorum ordo prorſus eſt commutatus & inverſus, ſed nec ea quidem ratio, quæ à Iuſtiniano tradita, eiusque imperio in uſu fuit, ſervata, ſed nova quædam forma noſtris temporibus paſſim juxta ſuperioris memoriæ doctorum ſententiam efficta, & ferè ad præſcriptum *Pontificiorum Decretalium* eſt expreſſa, valdè vereor, ne quis his hominum moribus, & hoc judiciorum ſtatu, etiamſi in jure Juſtinianeo, optimoq; interpretum genere, multum diuque ſit verſatus, munus parteſvé vel judicis, vel advocati, cauſarumque patroni, ſine illorum interpretum vulgò receptorum cognitione tueri poſſit. Quare propter inveteratum, licet depravatum, judiciorum morem Iuris ſtudioſis, poſtquàm ſibi ex vera & ſincera Iuriſprudentia judicium compararunt; etiam illi interpretes cognoſcendi ſunt, quorum magnus hodie eſt in judicio uſus, quantumvis ſcripta eorum ad notas illas revocata ab iiſdem diſcrepent. Præterquàm enim quòd nonnullas difficiles quæſtiones ex ipſius juris penetralibus deſumtas, acutè & ingenioſè explanarint; multas etiam

Proceſſus judiciorum hodierni ſunt corrigendi.

ſpecies atque hypotheſes, de quibus nihil ſingulatim in legislatione Iuſtinianea proditum eſt, non imprudenter definiverunt: multas leges municipales, varioſque populorum & civitatum mores libris ſuis complexi & interpretati ſunt. Quid quòd multa eorum placita & dogmata, & in judiciis recepta, quódque interpretationibus eorum tanta ſit autoritas tributa, ut inſtar legis habeantur: quòd in jure dubio opiniones corũ plurium conſenſu approbare, non rarò verioribus, & cum legibus conſentientibus ſententijs, & expoſitionibus in magnis controverſiis à majori parte anteferantur, non quòd id quod verius cognoveris, non ſit amplectendum, tenendum, & ſequendum: ſed quòd non perinde aliis vel ita videatur, vel fidem facere, ſive perſuadere poſſis, qui quominus in contrariam ſententiam diſcedant, prohiberi non poſſunt. Neque enim ut in ſcholis germana iuriſprudentia dignitati ſuæ eſt reſtituta, ſic & in judicijs & curijs priſtino nitori reddita.

Quare tamdiu concedendum aliquid temporum injuriæ, hominum moribus, judiciorum conditioni, donec Deus Opt. Max. pro ſua erga genus humanum clementia magiſtratibus in mentem dederit, ut vitiis corrupti judiciorum ſtatus exploratis, in emendationem eorum, omni cura, omnique animi cogitatione incumbant. Ac mihi quidem ea de re diu multumque in hac ſummi huius tribunalis luce cogitanti, nulla melior ratio ejus corrigendi in mentem venit, quàm ſi aut veteris juris Iuſtinianei, conjunctis antiquis cujuſque gentis de eodem genere, cum æquitate congruentibus,

Iudiciorum ſtatus quomodo emendandus.

tibus, legibus municipalibus, priſtina ſimplicitas reſtituatur; aut ſi id fieri his noſtris moribus non poſſit, tamen ad illam formam, quàm proximè judiciorum ritus, uſuſque forenſis revocetur, eodem inſtituto, quod C. Iulio Cæſari & Iuſtiniano propoſitum fuit, ut legum multitudine conciſa, ex infinito finitum, ex confuſo concinnum, ex incerto certum, ex obſcuro perſpicuum redderent. Horum alterum ſi fiat, non modò perſuaſum habeo, ſed ex multis juſtis argumentis & veroſimilibus rationibus, quaſi pro certo ſtatuo, nec immortales, « innumerabileſque lites, nec inexplicabiles contro- « verſias, ſtrophiſque & antiſtrophis fallacium ho- « minum, maximè callidorum patronorum, & va- « frorum cauſidicorum, intricatas, nos habituros. « Unde enim illæ artes protelandarum litium, exceptionum & dilationum remoræ, his poſtremis ſeculis, & inventæ & coacervatæ ſunt? Quare niſi harum verſutiarum radix præcidatur, timendum eſt, ne hæc juriſprudentia practica, uſuſque forenſis, cum maximo & rerumpublicarum malo, & litigatorum detrimento, in meram convertatur ſophiſticam; præſertim cùm videamus, multos hodiè hac veræ philoſophiæ profeſſione abutentes, & ſanctiſſimam diſciplinam pecuniæ cupiditate polluentes, majorem rationem quæſtus, quàm honeſtatis, privatorum commodorum, quàm communis utilitatis habere. Hi enim, ut magnas opes ex miſerorum clientum ſudore & ſanguine conſequantur, procliviores ſunt ad lites protrahendas, quàm finiendas, cautelarum verſutarum, & artium aucupiorumque forenſium ſtudioſiores, quàm ju-

Practica ſophiſtica.

ſtitiæ, æquique & boni. Itaque qui ita ſunt affecti, quandoquidem contra boni viri officium faciunt; veteratores, litium concinnatores, rabulæ, moratores, ſophiſtæ; non juſtitiæ ſacerdotes, æquitatis patroni, iuris vel prudẽtes, vel conſulti; (quia ijdem ſunt viri boni, ſocietatis humanæ cupidi, reipub. ſtudioſi, & communis tranquillitatis, ac quietis, ſocietatis humanæ amantes) ſint neceſſe eſt. Sed quorſum me cogitatio de moribus noſtrorum pragmaticorum provexit? Ut igitur ad inſtitutum noſtrum redeam, quo in numero *Duareni* noſtri ſcripta ſint ducenda, ex ijſdem illis formulis ſatis apertè perſpici poteſt. Nam qui pro temporum horum ratione, luce Iuſtinianæ legislationi opus eſſe intelligebat: majorem operam in commentariis ſuis dedit: ut priorem regulam obſervaret, veterum juris autorum ſimilitudinem imitatione aſſequeretur, quàm ut Iuſtiniani præſcripto pareret. Itaque eorum & perſpicuitatem & ſimplicitatem & facilitatem, ordinemque & rationem in rerum tractatione, & in boni atque æqui diſputatione, & dijudicatione conſectatus eſt. At in partitionibus methodicis, titulorumque expoſitionibus ſe ad poſteriorem illam formulam, ad Iuſtiniani edicta de Paratitlis, & κατὰ πόδα interpretatione retulit, quanquam uberius pleniusque hæc genera ſit perſecutus. Summas ſanè primorum illorum ab inſtaurato jure Iuſtinianeo in enarrationibus illis ſuis & genere, & ſermonis puritate, & artificio tractationis, & præſtantia judicij ſuperavit.

Ad

Ad vos autem Philippe & Antoni *Geuderi*, hunc ſecundum Tomum mittere, & in nomine veſtro multis de cauſis divulgare volui. Primùm quòd eos in juris civilis ſtudijs progreſſus feceritis, ut & quas res & diſputationes in hac Præfatione tractavi, & quæ his commentariis difficilium quæſtionum & reconditorum in obſcuris juris capitibus ſenſorum expoſitiones continentur, de ijs optimè judicare poſſitis. Nam & utriuſque generis interpretes in Italia & Gallia, multum diuque audiviſtis: & quàm magna cum ingenij, diligentiæ & induſtriæ laude juris cognitionem comparaſtis: ad præclaræ reipub. veſtræ uſum, multos jam annos contuliſtis. Itaque non ſolùm intelligitis, quod optimum juris in Gymnaſiis ſit interpretandi genus: verùm etiam quæ commodiſſima eiuſdem in curiis & judiciis exercendi, & tractandi ratio perſpicitis. Deinde ut in veſtram notitiam clariſſimi & genere, & eruditione & virtute equitis, Livonij, Renaldi, Szoyenſis ſummi, & mei & veſtri amici opera veni: quantum inſigni & doctrinæ, & inſtitutioni Franc. Duareni primarij, id temporis in Academia Bituricenſi anteceſſoris noſtri tribueritis, & quàm ſedulam operam eius ſcholis & recitationibus dederitis, memoria teneo. Ea præterea me iſthic benevolentia complexi eſtis, ut non modò amicitia mihi vobiſcum fuerit, ſed & magnus uſus, frequensque ſtudiorum cõmunicatio. Nec dubito, quin tu, Antoni, diſputationum congreſſuumque noſtrorum, quos ſingulis ſeptimanis de rebus in jure controverſis non exiguo cum fructu habuimus, memineris. Ad hæc

tantis ornamentis, & externorum commodorum, & animi bonorum præditi, talique in ampliſſima civitate veſtra, loco atque honoris (tu Philippe præſertim) conſtituti eſtis, ut ex dignitate veſtra non parum & huic meæ diſquiſitioni & operum Duareni commendationi momenti ſit acceſſurum. Quocirca tum noſtram & erga anteceſſorem noſtrum memoriam, tum ſtudiorum inter nos conjunctionis veſtræque erga me humanitatis recordationem, tum amoris in vos mei conſtantiam, animique inductionem, quo potui literarum genere teſtificari volui. Valete.

Spiræ Calend. Septemb. anno Domini 1575.

Præ-

PRÆSTANTISSIMO DOctiſſimoq; Viro, D. NICOLAO CISNERO, Tribunalis Imp. Aſſeſſori, &c.

ANTONIUS GEUDER S. D.

Clariſſime Domine Doctor; Præfationem tuam luculentiſſimā præfigendam editioni ſecundi Tomi operum præſtantiſſimi illius quondam Jureconſulti Bituricenſis D. Franciſci Duareni, *in qua nempe de modo & arte docendi atq; diſcendi jura diſſeris, tumq; eam ſimul cum ipſo Tomo & Fratri* Philippo *& mihi conjunctim peramanter dedicas, ſuperioribus diebus ex manibus itidem clariſſimi noſtriq; amantiſſimi viri Doctoris* Chriſtophori Herdeſſiani *accepimus. Et quanquam res fratris eo nunc loco ſint, ut ille jam quintū fermè menſem graviter ex febribus acutiſſimis decumbat, nec ipſemet ob proſtratas tam graviter vires corporis, legere quicquam valeat, tamen ego mea vice non intermiſi, quin illud ſcriptum totum à principio uſque ad calcem ſummo cum ſtudio evolverim: unde ſanè voluptatem accepi tantam, quanta mihi vix unquam antehac ex quovis ſimili alio auctore contigit, propterea quòd in eo ſingula uſque adeò eximia cum eruditione & doctrina congeſta, & poſt in ſuas partes tam artificioſè diſtributa, tum denique tàm fideliter, prudenter, & accuratè lectori propoſita, & velut ad oculum demonſtrata deprehendi, quanta omnia, meo judicio, vel antiquorum vel recentiorum vix*

ullus unquam hactenus præſtitit. Nec dubium eſt quin hæc ceu Iſagoge tua inſignem etiam lucem ad intelligenda Duareni opera allatura ſit, quæ aliàs præſertim Tyroni difficiliora futura. Duplici ergò nomine tibi meritò univerſa Reſpubl. literaria gratias ſummas & perpetuas debet, primò pro illis ſeparatis & privatis tuis lucubrationibus, unde certiſſimum & immenſum ad percipienda jura fructum capiet ſtudioſa juventus, ita ut quæ prius cognitu difficilia, & ferè impoſſibilia viſa ſunt, hæc nunc propemodum ſine ullo labore, ſed mediocri ſaltem adhibita diligentia, ceu in o[illegible] ſequi queat: Nec deinceps minorem meretur laudem pietas tua, cum in colligendo, tum in publicando hoc tam inſigni Theſauro ipſorum operum Duareni, quæ non tibi ſoli, ceu tua ſolius induſtria & aſſiduitate congeſta, ad tuum privatum uſum reſervanda duxiſti, ſed & aliis, tum poſteritati inprimis communicare, eidemq́ conſulere hiſce ſtuduiſti. Quod autem poſtremum ad ipſas dedicationes noſtro fratrum nomine factas attinet, etſi facilè ſtatuere poſſimus, nos tam præclaris muneribus & monumentis impares eſſe, & potuiſſe, te multò potioribus illa conferre: tamen quia revera aliter ratiocinari non quimus, quàm illas ex ſingulari erga nos ſyncera & antiqua benevolentia profectas, ideò eas ſingulari tui obſervantia & amore amplectimur & colimus, tibiq́ pro iis maximas & habemus & agimus grates, daturi inſuper operam, ut ſucceſſu temporis nullam omninò tibi tuisq́ viciſſim inſerviendi occaſionem elabi patiamur. Interim benè ac feliciter vale, vir ornatiſſime, nosq́ amare nunquam deſine. Datum Norimbergæ, die 14. Januarij, anno 1576.

REVERENDO ET EXIMIO
Dei ſervo,
JOHANNI PHILIPPO MYLÆO,
Paſtori Seniori Eccleſiæ Heidelbergenſis,
QUIRINUS REUTERUS S. P. D.

EN tibi, *Reverende vir, amice vetus, D. Ciſneri* de CL. patre tuo, p. m. I. U. D. & Profeſſore in hac Academia patria, perhonorificam epiſtolam, quam ille cum in Galliis ageret, olim ad celeberrimum Oratorem & Poetam *Jacobum Micyllum*, honoris & amoris erga defunctum teſtificandi cauſâ ſcripſit, & Lugduni typis Sebaſtiani Gryphij anno abhinc L V. edendam curavit. Eam quòd pauciſſimis noſtri temporis hominibus, etiam amicis tuis, viſam eſſe ſcirem, unà cum aliis Ciſnerianis opuſculis, in aſpectum & lucem ætatis huius noſtræ reponere, & nomen *Mylæum* à caligine vel oblivione, quæ mortalibus obrepit facilimè, vindicare volui. Quod ut tibi jucundum fore confido, ſic ad famam & dignitatem familiæ tuæ pertinere exiſtimo. Magnum decus addit homini εὐγένεια: majus εὐζωΐα: ſed hanc ipſam promoveat imagines & exempla majorum, quæ ad æmulationem honeſtam poſteros excitant. Sic ha-

bent tum alij nepotes tui, tum inprimis unicus filius IOHANNES PHILIPPUS, Mylæi nominis & generis ſpes columenq́;, quod glorientur, quod imitentur. Nam de tali tantoq́; tam Avo quàm Patre, gratulari ſibi debent: quorum uterq; Iuris ſacerdos, ille quidem humani, civilis: Tu verò Divini, cœleſtis: ille Cathedram Academicam, tu Eccleſiaſticam in primario Urbis templo; uterque Heidelbergam exornavit & illùſtravit. Ac tu quoque eò felicior, quòd annos jam propè XLIV. in ſacro Miniſterio verſaris cum fructu; quo tum in Patria Ciſneri mea, tuaq́; communi, in qua tibi pignora cara, tum Ambergæ, tum Lutreæ ſub fortiſſ. Prin. *Joh. Caſimiro*, tandem hîc præclarè functus es; raro certè exemplo, Gloria hæc, uti ſperare juvat, exſtimulabit filium & nepotes tuos, ut avitis paternisq́; veſtigijs inſiſtant, & laudes majorum virtutibus propriis augeant, nomenq́; Mylæum, factis egregiis extendere ſtudeant. Id opto, voveo. Vale & ſalve diutiſſime. Scrib. è Muſæo: Kalend. Decembr. qua die ante XXVII. annos ſanctam tuam λειτουργίαν in æde SS. incoaſti: puriori doctrinâ poſtliminio revocata: quam nobis & poſteritati conſervet Deus, tanti muneris autor ad gloriam nominis ſui, & noſtram ſalutem. Amen.

NICO-

NICOLAI CISNERI

DE OBITU JOHANNIS MYLÆI JURECONSULTI,

Ad

IACOBUM MICYLLUM EPISTOLA.

VT ex literis tuis de *Joannis Mylæi* noſtri morte cognovi, quantum dolorem accepe-rim, inprimis tu pro meo in illum amore & conſuetudine noſtra, *Jacobe Micylle*, exiſtimare potes. Nam & nos ejus obitu, homine neceſſario, & ſententiarum voluntatumq; conſenſione conjunctiſſimo orbatos: & ſcholam Rempublicamq; noſtram viro docto bonoq; ſenatore privatam video. Quare quod mihi dubium non fuit, epiſtola etiam declarat tua, te commotum fuiſſe tali amico amiſſo; quales non multi his præſertim temporibus reperiuntur. Ego quidem, quò difficilius hanc amici jacturam, ut nunc ſunt hominum mores & ingenia, compenſari poſſe cerno: eò gravius illam moleſtiusq; fero. Nam quia plerique utilitate amicitias metimur: quia nihil magis in rebus humanis appetendum ducimus, quàm quod ſit fructuoſum: ut à quoque plurimùm nos fructus capturos ſperamus, ita nos illi potiſſimùm adjungere ſolemus. Ex quo fit, ut quæ cogitatione utilitatis, *Vulgus amicitias utilitate probat.*

litatis, & ſpe mercedis conglutinatur amicitia, ſæpius & frequentius in hac hominum vita exiſtat, quàm quæ ex naturali quadam ſocietate & mutua quaſi animorum applicatione ſenſuque amandi oritur. Atq; ut nihil impediat, quò minus acceſſione novorum amicorum veterum diminutionem exæquemus; ut abunde omnia in illis cernantur, quæ in his laudabilia fuerunt: ut nihil in illis amiſſum ſit, quod non in his redditum cumulatè habeamus: tamen neſcio quid deſiderij eorum, quibuscum diuturno uſu conjuncti fuimus, in animis noſtris relinquatur: Utrum ea vis vetuſtatis & conſuetudinis ſit; an ingenerata quædam in animis noſtris affectionis proprietas, ut quibus quiſq; rebus plurimum conſueverit, eas tum maximè requirat, cum & ſublatę ex oculis ſunt, & omnis ſpes recuperandi adempta, mecum conſtituere non poſſum. Id certò ſcio, me nunquam æquè illa vitæ præſidia atque opportunitates, quas in amicitia *Mylæj* habuimus, mente complexum eſſe, atque nunc, cum iis mihi eſt carendum. Semper enim mihi illa in *Mylæo* naturæ benignitas, illa conſuetudinis jucunditas, illa morum ſuavitas ob oculos obverſantur: atque ita eorum, quæ mihi ex humanitate ſua grata & jucunda acciderunt, memoria & cogitatio animum occupat meum: nullo ut momento temporis excludi poſſe videatur. Quid ni verò ejus meminerim? Qui ſi omnia ratione animoq; luſtraveris, quæ in vera amicitia ſpectari ſolent, nihil occurrat, quod non in illo poſitum fuiſſe reperiatur. Qui gravis & ſeverus erat, cum res poſtulabat: ita in amicitia ad comitatem

Unde deſiderium amici amiſſi.

Virtutes Mylæi.

tem & hilaritatem propendebat, ut nihil eo amabilius, nihil jucundius eſſet. Memoria teneo, illius morum & ſermonum ſuavitate nos ſæpè haudquaquam mediocriter fuiſſe recreatos, cum aut tuus animus gravioribus ſtudiis defatigatus eſſet, aut meus triſtitia & perturbatione quadam langueret. Iucundus autem, comis, & remiſſus ita, ut ab adulatione, à blanditijs, ab aſſentatione multum abhorreret. Cùm enim amicitiam veritate perpenderet, non veritatem voluptate & gratia amicorum æſtimaret: tantum aberat, ut quid ficti ad voluntatem loqueretur, ut nihil etiam veri vel in ipſis jocis & facetiis ad admonitionem intermitteret. Quocirca & in vitijs amicorum notandis liberior erat: quam libertatem tamen ita orationis feſtivitate ac venuſtate temperabat, ut niſi quis ſibi ipſi aſſentaretur, & nihil veri audire ab ullo vellet: non modò amicè acciperet, quæ ab eo benevolè fiebant, ſed etiam eius urbanitate & leporibus plurimum delectaretur. Etſi enim à ſimulatione longè alienus erat: tamen nihil acerbè, nihil aſperè, nihil contumelioſè in quemquam dicebat: ſed ita veritatem amplectebatur, ut acerbitatem vitaret: ita obſequio ſtudebat, ut in vanitatem & blanditias non impelleretur. Quam mediocritatem qui in amicitia ſervant, ut nec ad voluptatē amicorum ita ſe convertant, ut à veritate diſcedant: nec ita omnia ad veritatem revocent, ut in moroſitatem & importunitatem quandam incidant, eos ego ſumma dignos laude exiſtimo. Et quoniam verus atq; ſincerus erat, apertumq; ſemper quaſi pectus oſtendebat: ut id plerunq; benignitatis eſt indicium,

cium, & fidelitatis argumentum: cum univerſi generis humani ſocietatẽ ita colebat, ut de omnibus benè mereri ſtuderet: tum ne quod unquam à ſe amici officium ab ullo ſibi uſu familiaritateq́; copulato prætermiſſum eſſe intelligeretur: opera, ſtudio, induſtriaq́; ſua perficiebat. Equidem illum mei ſemper amantiſſimum cognovi: qui pluribus me majoribusq́; officijs in omni varietate fortunæ proſecutus eſt, quàm erant à quoquam poſtulanda, Atque ad id quidem in me ſtudium non merito meo, ſed benefica quadam prolixaq́; ſua natura eſt inductus. Quid enim à me in illum vel mediocre quidem profectum eſt? niſi id in referendæ gratiæ loco habuerit, quod & eum ardenter redamarim, & diligenter coluerim: quod ego, etiam ſi non in me is fuiſſet, qui fuit, prætermittere tamen ſine reprehenſione non potuiſſem. Itaque ſi quis in me humanæ naturæ ſenſus eſt, quin talis amici amiſſione angar atq; doleam, neceſſe eſt. Auget etiam hanc moleſtiam de ratione ſtudiorum meorum cogitatio: quoties mihi reditum in patriam propono. Nam quod ſperabam fore, me in eo genere ſtudiorum, in quo hìc potiſſimum verſor, ſocium, adjutorem & doctorem *Milaum* habiturum: qui mihi communicando, monendo, docendo adeſſet: eam mihi ſpem ipſius morte ereptam eſſe, non ſine dolore aut recordari aut commemorare poſſum. Ex quo haud ſcio, an non valde meum in patriam redeundi deſiderium minueretur: niſi illud tui aliorumq́; amicorum noſtrorum recordatione ſuſtentaretur: quum me & tuendo, & ornando pari cum illo ſtudio, gratia,

autho-

authoritate contendere ſolebatis. Quorum ego virtutem, candorem, humanitatem cum animo repeto, aliter mihi perſuadere non poſſum, quin priſtina illa veſtra in me agentem voluntas ſalva, & benevolentia incolumis permaneat. Quam ego cum præcipuum meum in ſecundis rebus ornamentum, & in adverſis ſolatium conſtituam: quandiu vos ſuperſtites habuero, nunquam mihi tum in aliis incommodis mitigatio, tum in hoc tanto mœrore levatio deeſſe poterit. Neque verò tantoperè de morte ejus conquererer, ſi nobis ſolum calamitoſa eſſet, & nullum inde damnum Academia noſtra accepiſſet. Verùm cùm & animum ipſius in publicas utilitates qui fuerit, conſidero, & horum temporum conditionem miſeriasq; Rerumpublicarum mihi propono: quò plus ſcholæ noſtræ prudentia, conſilio, & integritate ſua opis afferre potuiſſet, eò gravius illi malum Mylæi morte illatum eſſe ſentio. Quotus enim quiſque eſt, qui aut ita vim honeſtatis pulchritudinemq; virtutis mentis acie perſpiciat: ut non objecta ſpecie utilitatis capiatur? aut quamvis officiorum præcepta cognita habeat, quidq; in quaq; re faciendum ſit, intelligat: ita cupiditatibus ſuis imperet, ut quæ ratio ſuaſerit potius, quàm ad quæ appetitus rapuerit, ſectetur: aut ita deniq; in Rempub. affectus ſit, ut eius utilitates ſuis commodis anteponat. Non igitur eſt, quod miremur, in tanta hominum prudentium inopia, tanta virorum bonorum penuria, tanta ſalutarium civium raritate, tam gravibus & variis rerum confuſionibus perturbationibusq; & ſcholas & Eccleſias & Politias infeſtari.

piratarum, hoſtiumve incurrunt: aut in loca ſcopulis & ſyrtibus infeſta offendunt, aut commoto mari tempeſtatibus obruuntur. Sic cum Reipub. gubernacula ſapientibus & bonis rectoribus ſunt deſtituta, qui ſua ſcientia & virtute imminentes malorum fluctus depellant: quid prohibeat, quin iis invaleſcentibus naufragia patiantur, non video. Atque hæc eò vehementius timenda ſunt: cum prudentibus inſipientes, bonis improbi, fortibus audaces, modeſtis impudentes ſuccedunt. Qui quandiu in aliqua Reipub. parte dominantur, difficile erit in ea aut doctrinæ locum, in quo conſiſtat, aut virtuti præſidium, in quo conquieſcat, reperire. Quo nulla nocentior, nulla capitalior, nulla pernicioſior peſtis humani generis ſocietatem invadere poteſt. Quod enim huic exitium abeſſe poteſt, ubi temeritas ſapientiam expellit, innocentiam libido vincit, modeſtiam petulantia ſuperat, furor rationem tollit? Scio, *doctiſſime Micylle*, me longiùs eſſe lapſum: ſed quoniam aliò animum dirigentem neſcio quis æſtus in hũc excurſum abripuit: non credo, ſuccenſebis, quod de communibus calamitatibus cogitem: quas memini ſæpè etiam *Mylæum* noſtrum pro ſuo in res communes & publicas animo ſingulari dolenter deploraſſe. Nec verò non publicis incommodis multum mederi potuiſſet: niſi quo tempore muneris ſui functio aditum ei ad majorem authoritatem dederat; eodem omnem illam ſpem atq; conſilia mors præmatura pervertiſſet. Quo etiam nobis illam graviorem, ſuis luctuoſiorem, patriæ acerbiorem fuiſſe, non eſt, quod diſſimulemus. Nam quandiu ante

Mylai vitæ. vixerat, licet ingenij & officij laude floreret: tamen ita ſemper rationes vitæ ſuæ adverſa fortuna, qua conflictabatur, impedivit: ac ſi ſedulò in id incumberet: ut ne quò indolis præſtantia, & animi virtutibus ducebatur, eo cum fructus amplitudine & Reipub. dignitate contingeret. Ut enim puer domi ijs artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, inſtitutus eſſet: cùm vix à ſuis facultatem proficiſcendi ad vicinas Academias ſtudiorum cauſa impetraſſet: non in ijs ita progredi potuit, quin ſæpè in ipſo curſu retardaretur. Neq; tamen effectum eſt, ut quamvis multis incommodis inſtitutum vitæ genus debilitaretur, id defereret; quin eò potiùs labore & contentione animi id perſecutus eſt, ut ingenuarum artium cognitione omnibus ferè æqualibus ſuis antecederet. Quocirca cum eruditio eius non ſolùm vulgi ſermone celebraretur, ſed publico teſtimonio comprobaretur: Spiram urbem imperij nobilem & celebrem à Senatu non repudiandis conditionibus & præmiis ad aperiendum ludum atque juventutem optimis tum moribus, tum literis inſtituendam, admodum juvenis eſt evocatus. Quo in munere & induſtria in laborando & prudentia in docendo, & honeſtate in rectè beateq; vivendo ita ſe probavit: ut à ſuis obſervaretur, ab omnibus amaretur. Hîc verò tamdiu quietè & tranquillè vixit: quoad ſæva quædam tempeſtas & proborum omnium communis Germaniam invaſit. Ea oblata occaſione, quæ jam aliquot annos nequicquam virtutem eius oppugnaverat fortuna, tamen effecit, ut qui tum fluctus in optimos quoſq; deri-

vaban-

vabantur,in illius etiam caput redundarent. Iis in altum abreptus vehementer quidem cunctis procellisque ſe circumfundentibus periclitatus eſt; oppreſſus autem non eſt. Etenim hanc ipſam tempeſtatem, cum in immenſum excreviſſet, ſubitò diſſipavit is, qui ſuorum nunquam obliviſcitur Deus. Atque hîc illud quidem manifeſtò compertum eſt: quod ſæpè regia ornatus dignitate vates in ſuis carminibus commemorat: tum ſcilicet maximè divini numinis clementia homines afflictos & perculſos recreari, erigi, confirmari, cum illis exitium ante oculos verſatur. Quare ejuſdem benignitate non ſolùm ex iis aſperitatibus *Mylæus* noſter emerſit: quibus non temeritate, non petulantia, non culpa ſua objiciebatur: ſed & ſerenior ei poſt, clariorq; lux affulſit: ut non tam caſus ille ei obſtitiſſe, quam profuiſſe videretur. Cooptatus enim in ordinem Iureconſultorum; vel jus civile publicè, unà cum aliis apud vos interpretaretur: eum ſe præſtitit, ut ad multò ampliores honores pervenire potuiſſet, ſi ſe à ſuis ſtudiis abſtrahi paſſus eſſet: & ſplendorem eorum; quorum vita in contentionibus ac dimicationibus occupatur, ocio ſuo literario, quo non ſine dignitate fruebatur, anteponere voluiſſet. Ecce autem fortunæ iniquitatem, quæ cum illum tot affectum miſeriis, tot jactatum difficultatibus, nihilominus conſiſtere, & florere etiam honoribus videret: tantæ eius fœlicitati invidens: quod ipſa per ſe conficere minus potuerat, in eo opem à morte, funeſto quodam propinquitatis genere ſibi cognata, imploravit: ipſa ut omnes ei aditus ad majorem glo-

riam & dignitatem intercluderet. Ergo hæc conſolationi humanæ infenſa, talibus gaudens precibus, magno amicorum incommodo, gravi ſuorum damno, inſigni Reipub. detrimento, manus

Mors.

Myläo intulit violentas. Quàm fallax hominum ſpes, quàm inconſtans conditio, quàm fragilis vita, quæ in medio ſæpè ſpatio debilitatur: & ante in ipſo flore concidit, quàm maturitatem ſuam aſſequatur. Sed enim jam inde à primi patris noſtri errato præclara hæc hæreditas ad nos pervenit: ut quæ impreſſio mortis propter delictum in illum eſt inuſta, eodem exemplo in totum poſterum genus, quod ex eo originem ſtirpemq; traxiſſet ſuam, permanaret. Simulatq; igitur liberam hanc in genus humanum mors poteſtatem & dominatum habuit, neminem ſibi eximium, cui parcat, ducens, nullaq; ullius aut ætatis aut fortunæ, aut virtutis ratione habita, in omnes ex æquo perbacchatur. Quin etiam, ſi quid ei in delectu diſcriminis ſit tribuendum, id animadvertere licet, illam potius in delitias humani generis & univerſitatis ornamenta, quam in peſtes hominum graſſari. Quis enim non videt, ut quiſquis eſt vita digniſſimus, publicis rationibus utiliſſimus vel fore ſperatur, vel exiſtit: ita citiſſimè velut in herba enecari, aut magno nobis cum detrimento eripi. Quod ſi igitur eadem crudelitate animum mors deleret, quâ corpus conſumit, nihil humano genere eſſet miſerius, nihil afflictius, nihil calamitoſius. Certè ſi animus à poteſtate mortis liber non eſſet: quid ſpei, quid ſolatij, quid præmij reliquum foret ijs, qui in perſequenda honeſtate, infinitis ſe laboribus fregerunt?

Conſolationes contra mortē. Anima immortalis.

runt? Qui pro ſalute patriæ uſque ad extremum diem nullum tranquillum atq; otioſum ſpiritum duxerunt? qui deniq; pro aris atque focis ſanguinem ſuum profundere non dubitarunt? Et quæ pœnæ improborum flagitijs à vindice Deo conſtitutæ eſſent, ſi quibus finibus vita, iiſdem ſpiritus noſter terminaretur? qui cum omni ſcelere humanam congregationem lacerent, & tanquam mortis acerbiſſimæ hoſtis noſtræ ſatellites ſint, in figura hominis feritatem beluina immaniorem repræſentantes in ſuummet genus ſumma impietate ſæviant: omnibus tamen in hoc mundo deliciis, omnibusq; copijs circumfluunt. Quapropter qui hanc ſibi conſolationem proponunt: ut quia mors peccato Adæ in omne genus fuſa & propagata, omnes juri ſuo ſubjecerit, hoc moderatius ferendam ducant. non illi mihi quidem levare dolorem ſuum, ſed exacerbare videntur. Nec ſi veterum vel Philoſophorum, vel aliorum magnorum virorum, quæ ſibi in rebus adverſis accommodarint ſolatia, attentius inſpicio: cum in ijs malis, quæ vel commutabilia non ſint, vel multis communiter accidant, non eſſe graviter dolendum ſtatuerunt, in illis ullo modo acquieſcere potuiſſe reperio. Nam quid opis inde calamitoſo accedit, quòd aliter fieri non poſſit: aut quid auxilij illi affertur, quòd id, quo ipſe affligitur malo, cum multis ſit commune? An non eo majori animus vel offenſione concitatur, quo minus eam, qua premitur, ærumnam vitare poteſt: vel graviori triſtitia angitur, quo in plures & communi & ſingulari ſibi conjunctione devinctos malum diffun- *Neceſſitas & ſocietas malorum nil ſolantur.*

ditur, latiusq; in humani generis ſocietatem pervadit: Sed non eſt, ut rationes conquiramus; Plena eſt exemplorum vetuſtas, plenæ eorum, qui vera Dei cognitione caruerunt. hiſtoriæ: qui cum hiſce ſe conſolationibus mitigationem habituros ſperarent. earum conſideratione in acerbiores acerbitates ſe præcipitarunt. Itaque has & hujus generis ſententias quis non intelligit. non ullum tutum ad portum; ſed ad ſcopulos, ſyrtes, & maxima naufragij pericula perducere? Ergò aliud nimirum ſit oportet, quod animis ægris medeatur: quod omni memoria ſapientiores in vacatione culpæ & animorum immortalitate poſuerunt. Etſi verò facilè dedero, & rectæ voluntatis conſcientia, & meditatione ævi poſt mortem ſempiterni nonnihil in rebus afflictis dolores mitigari: tamen ut verè pacato & tranquillo animo in omni motu tempeſtateq; fortunæ, tanquam ſcopuli, firmi, immotiq; conſiſtamus, non ſatis fuerit ſtatuere, animos cum corporibus non interire: ſed neceſſe eſt, ut cogitationes mentemq; noſtram omnem in eo figamus, quem cum mors humanæ naturæ participem, ut cæteros homines more ſuo impetiviſſet: eà ſcilicet ſpolia reportavit, ut adverſus omnes eos, qui in illo homine Deo, ſpe fideq; hærent, & vis illius repreſſa & aculei ſint excuſſi. Unus, unus igitur portus ille capiendus nobis atq; tenendus eſt; ut omnia ſolatia noſtra in Christo conſtituamus: qui ex arce ſummi patris ſolioq; omnipotentis Dei in terras delapſus, noſtram carnem induit: qui multis in mortalis vitæ conditione vexatus contumelijs, plurimis jactatus iniurijs,

Fides in Chriſtum.

culpam

culpam in ſe criminum noſtrorum omnem tranſtulit: qui velut hoſtia, ſubijt ipſe ſupplicium, luitq; ſuo ſanguine pœnam, quam peccata noſtra commeruerant. Siquidem hæc tot & tanta ſuſcepit & perpeſſus eſt, ut labem illam, quam primi noſtri parentes in naturam noſtram induxerant, repararet: ut ſalutem noſtram, tum noſtra culpa afflictam, tum inſidijs malignorum ſpirituum interceptam, inſtauraret: ut nobis iter ad Dei conſortium, ſentibus & opicibus ſcelerum noſtrorum impeditum & obſtructum, omnibus disjectis & repulſis repagulis, & impedimentis, aperiret. Quocirca ſi nobis in hoc præſidium perfugiumq; noſtrum fuerit, qui damnum generis noſtri adventu ſuo correxit: qui morte ſua nos à morte vindicavit, qui reſurrectione ſua cœleſtis nos cum Deo & vitæ & gloriæ compotes reddidit: quomodo mors cunque fremat atque indignetur, nihil aliud efficere poterit, quàm ut nos ex vita mortali & ærumnoſa in vitam immortalem, & bonis omnibus affluentem tranſvehat. Quid enim eſt in hoc corrupti mundi ſtatu commodi, de quo magnoperè jactare poſſimus? Quid non potius laborum & ærumnarum? Non libet hîc perpendere ex utraq; parte, & æſtimare, plura ne bona an mala in hominum vita fortunaq; verſentur: quandoquidem nemo vel ex media plebe adeò ſtupidus eſt, quin ſi collectis huius vitæ commoditatibus voluptatibusq; & in unum coacervatis, in contentionem incommodorum & miſeriarum deduxerit, facilè depræhendat, hæc & numero & magnitudine illis longè eſſe ſuperiora. Circumſpice omnes vitæ hu-

Vita miſeria.

manæ partes: nullam profectò neque publicis neq; privatis in rebus reperies, quæ ullam partem temporis, vel diurni vel nocturni pura & vacua à moleſtiis angoribusq; relinquatur. Quid multa? quo quo verſus oculos mentemq; converteris, omnia occurrent plena difficultatum, plena ſollicitudinum, plena periculorum tum vitæ, tum aliarum rerum, in quibus occupationes noſtræ cernuntur. Nam quòd vitiorum peccatorumq; perpetuæ quaſi comites ſunt afflictiones & calamitates, quamdiu in vitioſi corporis compagibus, tanquam impuro quodam carcere includimur, multis variisq; malis objecti ſumus. Itaq; quod morimur, ob vitioſitatem naturæ depravatæ morimur; ut veram apud Deum vitam vivamus. Quippe eo in nobis extincto, quod caducum, quod contaminatum, quod pravis cupiditatibus addictum eſt, divinum illud & cœleſte, abruptis & diſſipatis captivitatis ſuæ vinculis, quibus hîc in anguſtum coarctabatur, & graviter premebatur, ſolutum & liberum & priſtino imperio reſtitutum in amore Dei ſui in omnem æternitatem vigebit. Tum ſcilicet gravis illius & laborioſi certaminis finis erit, quod nobis à natura corrupta intra noſmetipſos comparatum eſt: in quo tantum ſæpè inducta circa nos caro valet, quo ab his cuſtodijs corporis retinemur, ut nobile illud, & in flatu Spiritus ſancti in nobis excitatum omnem cum Deo rationem habere ſtudens, ex meditatione illa beataq; cura perturbet, à veri boni inquiſitione diſiungat, & ad inquinatas ſordidasq; cogitationes vilium abjectarumq; rerum detrahat. Quò magis etiam

pij

pij & ſancti homines qui mentis fideiq́; complexu in Jesu Christo hærent, corpore laxari concupiſcunt: quaſi tum demum victuri eſſent, cum ex hac vita exceſſerint. Et verò qui ex hac turba & colluvione ad beatorum illud concilium cœtumq́; proficiſcuntur: omni concretionis humanæ fragilitate ſegregata, ab omnibus laboribus periculisq; immunes, ea lætitia felicitateq́; perfruuntur: ut præ illa omnes mundi delitias & proſperitates, quaſcunq; aut lingua nuncupare, aut ſibi poteſt cogitatio deſcribere, tanquam cœnum ſordesq́; ducant. Cujus præcelſi muneris tametſi adumbrata initia, quædam ab ijs etiam in hoc mundo percipiantur, qui ſe pietate fideq́; ad Deum conferunt: tamen propterea quòd & in mente eorum caligo, & in voluntate contumacia, & in appetitionibus motibusq́; cordis confuſio turbatioq; quædam reliqua inſideat, quibus cum varia malorum genera ſunt colligata: nunquam ſibi eam hîc beatitudinem polliceri poſſunt, quæ nihil in ſe acerbitatis miſeriarumq; habeat. Poſt autem ab omni labe puram omnis mali expertem, ſuisq; quaſi numeris perfectam adipiſcentur: cum corporis vinculis liberati in æternam illam ſedem domumq; migrarint. Cùm igitur *Mylæus* noſter, quoad vixerit, cætera ita egerit atque ſuſceperit, ut ad Deum omnia referret: non mihi dubium eſt, quin perpeſſio & mors Christi, quæ pro cunctis ſuſcepta eſt, ipſi etiam valuerit ad culpæ expiationem. Non eſt multis ut probem, animum ejus in religione Chriſtiana præſtantem & rectam de ſalute ſententiam fuiſſe; omnes qui *Mylæi pietas.*

ejus conſuetudine uſi ſumus, non ignoramus; quantum CHRISTI morte confiſus ſit, non tàm oratione quàm vitæ innocentia & probitate declaraſſe. Qua de cauſa non extincta quidem illa *Mylæi* vita, ſed in melius eſt commutata. Etenim Dei Patris clementia, JESU CHRISTI merito, Spiritus ſancti ductu, ex hac rerum perturbatione in cœleſtes illas regiones ſublatus, ejus gaudij & lætitiæ conſors eſt factus, quæ nequaquam cum fluxis noſtris voluptatibus eſt comparanda. Etſi igitur hoc veriſſimum & certiſſimum eſt genus conſolationis: talibus animis, atq; ita inſtitutis in CHRISTI religione mentibus, qualis illa *Mylæi* noſtri profectò extitit, donatam vitam, non ereptam eſſe: tamen, ut verum fatear, haudquaquam animum mihi ſedatum reddit. Neſcio enim quibus quaſi doloris aculeis, etiam in ijs, quæ mihi ad conſolandum appono, amor animum meum pungat & extimulet: ut illam ſuavitatem, illam integritatem, illam fidem conſtantiamque amicitiæ vehementius deſiderem. Itaq; quamdiu me meæ memoriæ ſenſus non deficiet: tàmdiu tanti & viri & amici privatio & amiſſio in eo cum triſti quadam recordatione hærebit. Sed tamen ne aut felicitatem eius non ſatis grato animo interpretari, aut luctum mœroremq; meum ad domeſticam magis utilitatem, quàm ad amicitiam referre videar, quoad ejus à me fieri poterit, ut modum quendam dolori conſtituam, operam dabo. Quod quidem à te factum eſſe, ex literis intellexi tuis: ex quibus apparet te tantum amori dediſſe, ut tuæ non ſis oblitus ſapientiæ: qui in moleſtia eum adhibes

hibes modum: ut in eo, & quod natura & humanitas poſtulat, & ipſa ſapientia animiq; magnitudo flagitat, ſimul conjunxiſſe videaris. Neque enim humanæ exuere naturæ ſenſus poſſumus: ut non ijs quæ nobis in vita tùm chara, tùm jucunda fuerunt, nos privari doleamus. Sed in ipſo dolore modum ſervare, & animum affectum à triſtibus cogitationibus revocare: id ego fortis conſtantisq; viri eſſe maximè judicârim. Quod qui aſſequuntur ſummo ſanè à Deo Opt Max. beneficio afficiuntur. Illi enim cùm non extrinſecus, aut benè aut malè ſuſpenſas habeant rationes: fit ut optimè contra fortunæ impetus muniti armatique ſint: nihilq; rerum humanarum non placatè moderateq; ferant. At hoc rerum adverſarum præſidio, quoniam te præclarè inſtructum eſſe video: quamvis animum meum mœrore labefactarit: tamen unà cum alijs, quæ ad conſolandum valent, tuam mihi firmitudinem gravitatemq; animi proponam, eamq; pro mea virili imitabor. Nam quia tu, cùm quidem non pauciores mœrendi cauſas habeas: tenes tamen modum, & me ut idem faciam cohortaris: non committam, ut aut eo exemplo, quod mihi à te ſuppeditatum eſt, uti nolle incuſer: aut id recuſare velle redarguar, quod tibi placere probariq; intelligo. Itaque ut mones, quantum potero, me ab ijs moleſtijs & angoribus abducam: & ad id animum adjungam, ut quod præſtantius atque laudabilius eſt, memoriam ejus liberali propenſoq; animo proſequamur. In quo, quod te paratum ſentiam, enitar, ut me ad tuam voluntatem aggregem: ne aut in illum mortuum,

aut

aut in ſuos liberos vivos officiū deſideretur meum. Sed ego ulterius fortaſſis, quàm decet, provehor: nec ſatis, ad quem ſcribam, animadverto. Quod mihi ignoſcas ſanè velim. Neq; enim id à me ſuſceptum eſt, ut aut rationes meas tibi explicarem, aut ut in quo genere mihi & opportuna & fructuoſa remedia appoſuiſti, in eo ipſe tibi medicinā facerem. Sed certè, qua ſum animi affectione, intermittere non potui, quin his literis & meum in te ſtud[illegible] n declararem, & in manes *Mylæi*, qualemcunq; memorem animi ſignificationem præſtarem: & erga utrunq; amorem meum teſtificarer. Illud igitur, unum ſi addidero, finem faciam, quod meus in te incredibilis amor me prætermittere non ſinit; ut quò minus multi ſint, qui labentes & inclinatas Academias ope conſilioq́; ſuo erigere & recreare, & patriam noſtram, ſcriptis ſuis illuſtrare poſſint: eò in ingraveſcenti jam ætate tua, & perpetuis tot annorum laboribus, quos ſuſcepiſti, nos ut monumentis erudires, & locupletares tuis, majorem tuæ valetudinis curam habeas: ut te tum nobis tui amantiſſimis, tùm ſcholæ, Germaniæq́; noſtræ conſerves. Nam quia *Illuſtriſſimus Princeps noſter Fridericus Palatinus* in id jam curam cogitationesq́; ſuas confert, ut afflictæ Academiæ noſtræ medeatur: quo ad gravem illam plagam curandam peritioribus opus eſt medicis: eò magis & de te, & de *Henrico Stolone noſtro* ſollicitus ſum: quòd vos ea remedia adhibituros mihi perſuaſum habeo; quæ abſq; ſingulari prudentia, exquiſito judicio, diuturno uſu, nemo applicare poterit. Certè niſi vos, & qui vobis adjun-

Fridericus El. Palat. Academiæ inſtaurator.

H. Stolo.

adjungentur, in id communi ſtudio, conſentientibus voluntatibus, incubueritis, ut morem corruptum, & conſuetudinem vitioſam, ratione incorrupta & exemplis puris corrigatis, exigua mihi ſpes de inſtauratione ſcholæ veſtræ reliqua oſtenditur. Nec mihi dubium eſt, quin clariſſimi viri, *Chriſtophorus Probus*, Principis noſtri Cancellarius, & *Arnoldus Obſopæus*, eidem conſilio ſuo in ſanandis ſcholæ vulneribus ſint adfuturi: quorum ad ſtudia propaganda, voluntatem confirmatam, & ad patriam, utilitatesq́; communes naturam excitatam jam pridem perſpexi. Deus omnis boni author Principi noſtro in hoc pio & ſalutari inſtituto numine ſuo dux & adjutor exiſtat: illius voluntatem confirmet, conſilia juvet, fortunas conſervet, regiones tueatur, ut neq; vi bellorum, neq; alia fortunæ tempeſtate ſollicitudo & cura ejus in fulciendis Academiæ ruinis impediatur. Multum alij operæ & laboris, & ſumtuum ponant in bellis gerendis, ut bellicam ſibi parent gloriam, quæ ſæpè non tam à virtute quàm fortuna proficiſcitur: & non ſine multorum calamitate & exitio acquiritur. At longè magno Principi glorioſius, Deo gratius, & communi hominum ſocietati ſalutarius eſt, ad Pacis firmamenta & ornamenta animum cogitationesq́; ſuas convertere: quæ niſi ipſis quoque bellis quærantur injuſta nefariaq́; ſunt habenda, in illis autem pacis præſidiis ſtudia etiam pono doctrinæ & literarum: in quorum propagationem maximis de cauſis, multos ſummos Principes incubuiſſe, omnium temporum hiſtoriæ teſtantur. Nam ubi ſcholæ benè inſtitutæ florent:

Chriſtoph. Probus Cancellarius.

rent: neque Eccleſiæ intelligentibus doctoribus neq; Curiæ prudentibus Senatoribus, neq; Civitates bonis Civibus deſtituuntur. Itaq; ſi Illuſtriſſimus noſter Princeps id, quod conſtituit, de inſtauranda Academia perfecerit: cùm ditionem ſuam plurimis adaugebit bonis, tum & in terris celebritate nominis immortaliq; gloria, & in cœlo æterna felicitate, uberrimos pietatis liberalitatisq; ſuæ fructus capiet. Sed hæc tu melius. Quod reliquum eſt, te majorem in modum, *Jacobe Micylle*, rogo: ut qua me ab initio benevolentia, in amicitiam & fidem tuam recepiſti: eadem erga me ſemper eſſe velis. Ego quicquid operâ, ſtudio, & diligentia mea conſequi potero, quantulum id quidem cunq; eſt, id omne tibi defero, atque polliceor: neq; mihi res tàm erit ulla cordi quàm ut indies magis atq; magis meam in te obſervantiam recognoſcas.

EPITAPHIUM DOCTORI IOANNI MYLÆO compoſitum à Iacobo Micyllo.

HAC *qui fortè viam tenes viator*
Paucis accipe, ni tibi moleſtum eſt:
Doctoris tumulum vides Mylæi:
Qui quondam patria ſolo relicto
Et Moguntiaco profectus agro,
Multos inſtituit ſcholam per annos,
Formavitq; animos recentiores
Quà Nicer geminas it inter arces,
Muſarumq; ſacros rigat penates:

Legum

Legum primitias & inſtituta
Majoris docuit profeſſor artis.
Vir candoris amans & æquitatis:
De ſe qui moriens reliquit illud,
Vivus quòd placuit bonis, nec ullo
Latus crimine mortuus quieſcit.
Huic ergo facilem precare ſomnum,
Et Pacem cineri levemq́; terram,
Lucem dum reduci videre ſummam
Et vita dabitur frui perenni.
Tantum te volui. Vale viator.

ALIUD.

HIC cineres ac oſſa jacent tumulata *Mylæi*
Quē patria Ulma tulit, terra Moguntiaca.
Pierius artes & legum vincula norat,
Et titulo pariter clarus utroque fuit.
Sed neq́; virtutem curant neque nomina parte
Quicquid erat parvo clauditur omne ſolo.

IDEM GRÆCE.

ἘΝθάδ' Ἰωάννην κατὰ μοῖρ' ἐκάλυψε Μύλειον
Οὗ πατρὶς Οὔλμα ἔην, γαῖα Μογοντιακή.
Ὅς ποτε πουλυμερεῖς ἐδίδαξε δίκας τε νόμους τε
Καὶ σκολιὰς ἀνδρῶν ζωὸς ἴθυνεν ὁδούς.
Νῦν δὲ θανὼν θεσμοὺς κεῖται πολυδέγμονος ἄλλους
Ξυνὸν ὀπιπτεύων γῆς τε πόλου τε κριτήν.

ORA-

ORATIO STUDIOSORUM nationis Germanicæ in Schola Biturigum, de cæde & interitu DANIELIS SCHLEICHERI germani,

Ad

Ampliſſimum Senatum Pariſienſem,

A

NICOLAO CISNERO ſcripta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SI magnitudinem injuriæ, quæ nobis innocentibus trucidatione civis atque popularis noſtri, à nocturnis illis graſſatoribus domeſticisq; ſicarijs illata eſt, mente cogitationeq; veſtra comprehenderitis, facilè, & quàm juſta ſit, de tanti facinoris crimine, ab integerrimis urbis Biturigum judicibus lata ſententia, & quàm temeraria reorum ad vos appellatio, & quàm æqua atq; honeſta noſtra, de legitima judicij in facinoroſos exſecutione, poſtulatio, vos pro veſtrâ prudentia, PATRES CONSCRIPTI, æſtimare poteritis. Neq; enim tam remiſſos in ulciſcendo judices eſſe oportebat: quin cum diligentiſſimè omnia quæ acta geſtaq; eſſent recognoviſſent, dignam maleficio facinoroſis illis homi-

hominibus pœnam infligerent: neq; tam confidentes reos noſtros, quod cùm nulla defenſionis cauſa nitantur, apud eos tamen ſe pœnam ſceleri ſuo debitam effugere ſperent, qui ex omnibus Galliæ partibus propter ſapientiam, in ampliſſimum ſenatum, propter ſanctitatem, in ſummum florentiſſimi hujus regni judicium ſunt ſelecti: neq; nos vel tam negligentes, vel inofficioſos, vel impios: ut quod à nobis, & patriæ amor, & amicitiæ fides, & tam miſerabilis necis miſericordia exigeret, non extremum hoc officium, & amico & civi noſtro, tam crudeliter occiſo, in cæde ſuâ vindicandâ præſtaremus. Ac de judicum quidem æquitate & damnatorum impudentiâ, paulò pòſt abũdè cognoſcetis. Ad nos quod attinet, ſi hæc calamitas noſtra tantùm eſſet, nec alios attingeret, ignoſceretis certè, ꝓ æquitate veſtrâ, noſtro in perſequẽdâ damnatorum pœnâ ſtudio: etiamſi nihil inde in Academiam, nihil in Rempub. detrimenti derivaret, veniam tamẽ juſtè huic animorum noſtrorum commotioni ac dolori contribueretis. Nunc verò cùm communis hæc ſit calamitas: cùm in ſocietatem doloris noſtri venerit tota civitas: cùm hæc noſtra perſecutio nihil à communi utilitate diſſentiat: cùm plurimum Reipublicæ interſit, ut audacium ſceleri reſiſtatur, innocentium afflictio levetur, periculum, quod in omnes intenditur, propulſetur: in ſpem venimus maximam, vos quoq; à communione mœroris noſtri non ſejunctos fore, ſed & ſolicitudini noſtræ ſubventuros, & communi omnium affectioni, & deſiderio ſatisfacturos. Etſi enim morte optimi civis noſtri vehementer

ſanè commovemur: tamen non ita nos indignationi noſtræ, in hac actione parêre volumus, ut ultra rationis, ultra æquitatis, ultra humanitatis fines provehamur, quemadmodum ipſi cupiditati furoriq; indulſerunt ſuo, qui non niſi vitâ & ſanguine hominis Germani, animum ſuum ſatiare potuerunt: quin præcipuo illo & proprio ſenſu doloris noſtri amoto, quod omnes boni, quibus de hujus ſceleris atrocitate conſtat, in ejuſdem perpetratores ſtatuendum eſſe duxerint, id à vobis ut ſtatuatur, non recuſamus. Atq; ut faciliùs intelligere poſſitis, IUDICES, & nefariam reorum libidinem, & indignam digniſſimi vitâ juvenis mortem, & commune periculũ, tametſi graviora, maiora, indigniora ab iis facta ſint, quàm ut ſatis commodè de iis dicere queamus, tamen quoad poterimus, facinus quemadmodum commiſſum ſit, breviter exponemus. In quo quòd paulò longius exordium rei demonſtrandæ repetamus, quæſumus vos IUDICES, ne moleſtè patiamini. Daniel Schleicherus Ulmæ natus, honeſto ſplendidoq; inter ſuos loco, & urbe Germaniæ imprimis nobili, quòd iis literis, quibus ætas puerilis informari ſolet, diligenter inſtitutus, incredibili bonarũ artium & linguarum ſtudio flagraret: ut primùm per ætatem licuit, à parentibus ſuis, in urbẽ veſtram, eruditiſſimis in omni doctrinæ genere hominibus affluentẽ miſſus eſt. Quo in loco, cùm in politiores diſciplinas aſſiduè incumberet, & iis horis, quæ à gravioribus ſtudiis vacuæ dabantur, ſe in linguâ Gallicâ exerceret, biennio, & propter excellens ingenium, & induſtriam ſingula-

gula-

gularem, non modò magnos progreſſus in Græcis Latiniſq; literis fecit, ſed uſu etiam domeſtico animadverſioneq; diligenti, Gallicum ſermonem egregiè addidicit. Inde domum revocatus, de parentum conſilio in Italiam eſt profectus: cùm ut doctiſſimos quoſq;, quorum tum nomen magnâ in laude & gloria poſitum erat, audiret, & in ſuo quemq; genere, præſtantiſſimum, ſibi imitandum deligeret: tum ut diverſarum gentium naturam & mores cognoſceret, easq; externorum populorum linguas apprehenderet, quarum hodie frequentiſſimus eſt apud Principes & reges uſus. Neque in eâ quidē regione ſibi defuit, nec patris expectationē fefellit: ſed id, quod propoſitum erat, conſequutus, & à Philoſophiæ præceptis, cæteriſq; artibus ingenuis inſtructior, & à linguarū externarū cognitione locupletior domū rediit. Iam tum in adiumētis rerum gerēdarum, quæ habere ii debent, qui Rempublicā rectè ſint adminiſtraturi, multò maximas partes ius civile tenere cernebat. Itaq; excitatus nomine & famâ celeberrimi, Iuris interpretis, *Frāciſci Duareni*, Bituriges ſe contulit. Ac quidē eo tanquā architecto præeunte non infeliciter fundamēta in arte illâ iecit, reliquam etiam exædificationem abſoluturus, niſi quæ tempeſtas hanc ſcholam invaſit, in illius præcipuè caput redundaſſet. Etenim qui odio in genus humanū inveterato, unum id molitur, id agit, ut omnes benè conſtitutas, & ſcholas & Civitates, & regna perturbet, idem etiam, quas neſcio turbas in hac Academiâ, & auditorū multitudine, & doctorū excellētia florente, cōcitavit. Quarum utinā aliquē nunc tandē finē proſpicere poſ-

ſimus. Sed in hac libidine petulantiâ, protervitate, quid timeamus, habemus: quid ſperemus, non habemus. Certè niſi ſceleratorum hominum amentiæ occurratur, niſi maleficia plectantur, niſi condemnatorum exemplo, alij ad faciendam injuriam retardentur, quin idem nobis exitium impendeat, in quod Schleicherus noſter incidit, non mediocriter pertimeſcimus. Is enim octavo Idus Maji, cùm à cœna, quodam noſtrûm à ſe ſalutato, præeunte civis cujuſdam famulo, cum funali ardente domum redire vellet, in itinere à collectâ & armatâ reorum noſtrorum manu, ex inſidijs excipitur, exceptus circumvenitur, circumventus opprimitur, oppreſſus quinque inflictis vulneribus, perfoſſoq; corde, miſerabiliter trucidatur. Ita quem locum ſibi tanquam Iuris quoddam & æquitatis domicilium delegerat, ex quo rectam & legitimam vivendi rationem duceret, in eodem inventi ſunt homines teterrimi, qui neglectâ religione juris, ſpretâ legum majeſtate, contemtâ magiſtratus autoritate, popularem noſtrum, animi, corporis & fortunæ dotibus præclarè ornatum, indigniſſimè vitâ privarunt. Fuit hæc mors luctuoſa nobis, acerba Doctoribus, moleſta magiſtratibus, gravis bonis omnibus. Nam multa ſimul ante oculos verſabantur: mors crudeliſſima juvenis florentiſſimi, furor & immanitas perditorum gladiatorum, ſcholæ diminutio, quietis & tranquillitatis publicæ perturbatio. Quocirca inſequenti die magiſtratus authores cædis undique conquiri juſſit, quorum pleriq; cùm quòd ſceleratè, quòd audacter, quòd nefariè feciſſent, quemadmodum

defen-

defenderent, non reperirent, non ſe judiciis, non legibus committere auſi, & ſceleris conſcientiâ & ſupplicij terrore perterriti, eâdem ipsâ nocte aufugerant: duo tantùm ex ijs, divinâ, ut credimus, providentiâ in urbe detenti, à lictoribus ſunt apprehenſi & in carcerem abducti. Interea quidam ex noſtrâ gente, ad illuſtriſſimam Biturigum principem Margaritam legatur, qui eam doceat, qui homo Daniel Schleicherus fuiſſet, de ſcelere & injurijs Sicariorum conqueratur, officiumq; ſuum in hoc maleficio puniendo imploret. Optima Princeps, re omni expoſitâ, pro ſuâ pietate, & incredibili in ſcholâ Rempublicamq; amore, magno ex civis noſtri nece, dolore affecta, ad judicem rei capitalis, quid de reis fieri velit, perſcribit, qui & officio ſuo & mandato tum Principis Margaritæ, tum Chriſtianiſſimi Regis adductus, aſcitis in conſilium hominibus prudentiſſimis, diligentiſſimè, ut in re tantâ fieri debet, de omnibus inquirit, inquiſita inter ſe confert, collata examinat, & tandem causâ omni perſpectâ, capitalem in homicidas illos, & præſentes & abſentes fert ſententiam. Qua decretum eſt, ut duo illi, datâ mulctâ, fiſco quingentorum Francorum, & centũ collatis ad faciendum monumentum, in facinoris teſtimonium, juxta tumulum occiſi Schleicheri, in foro Gordiano laqueo ſtrangulentur: hi autem præſtitis ex bonis eorum Principi mille libris Francicis, ducentis item ad erigendam ſtatuam in loco admiſſæ cædis, cum inſculpto cauſæ programmate eodem ſupplicio, quandocunq; apprehenſi fuerint, afficiantur: & ut in condemnationis judicium

imaginaria in eos interim conſtituti ſupplicij executio exerceatur. Ecce autem vobis hoc cùm fieret, quid in aliis, quos damnatorum amore & conſuetudine devinxerat impuriſſimæ naturæ, & turpiſſimæ vitæ ſimilitudo, reverentiæ in leges, quid obedientiæ in magiſtratus, quid pietatis in pręceptores perſpectũ ſit, quæſo conſiderate. Nam quòd magiſtratum vidiſſent perditorũ perverſitatẽ reprimere velle, & ſuę in facinoroſos ſeveritatis iudicia exiſtere, ita homines aliqui ꝓpter impuritatem, ad omne vitium flagitiumq; paratiſſimi furore & irâ exarſerunt, ut non ꝓcul ab inſaniâ abeſſent. Itaq; quin hi legũ iudiciorumq;, atq; omnis ſeverioris diſciplinę hoſtes furorem ſuum in eum potiſſimùm effunderent, qui hæc ſervãda, colenda, exercenda docebat, qui ipſi infeſtiſſimi erant, non officio, non pudore, quem iam omnem ex animo eiecerant, ſed nec metu quidem ſupplicii ante oculos poſiti contineri potuerunt. Optimi enim viri, doctiſſimi hominis, clariſſimi JCti, *Franciſci Duareni*, imaginem in tabula depictam, eodẽ in loco, quo ſuppliciũ de ſceleratis hominibus ſumitur, ſuſpenderunt. O ſcelus horrendũ! ô indomitam libidinem! ô impudentiã ſingularem! hæccine obſervãtia? hoccine ſtudiũ? hic amor grati eſt diſcipuli? in Doctorm ſummum, præceptorẽ fideliſſimũ? Quęritis quid in illos commiſerit, quâ re iram odiumq; in ſe illorum cõmoverit? ipſi ſi adeſſent, ſi ab ijs cauſa quæreretur, cur tantâ in anteceſſorẽ ſuum libidine, tantâ petulantiâ ſint uſi, nullam aliam allegarent, quàm illum omnibus jus reddi, judicia fieri, ſcholæ ſuæ ſcelere illorum vexatæ mederi, Reipublicæq; perturbatæ priſti-

priſtinam quietem & pacem reſtituere, exteros inſontes tueri, noxios cives coërcere velle. Hoc enim, hoc humaniſſimi iſti viri ſæpe queruntur, hoc moleſtè ferunt, curæ etiam anteceſſoribus noſtris ſalutẽ eſſe noſtrã: perinde atq; ſi qui in Galliã ſtudiorũ causâ proficiſcãtur, omni bonorũ ope magiſtratus auxilio, legum præſidio deſtituendi, & ab omnibus deſerendi eſſent: ut eos, inſtar proſcriptorũ, cupiditati, inſidiis & ferocitati ſuę objectos haberẽt, quos impunè vexare, violare, trucidare poſsẽt. Id ſcilicet *Franciſco Duareno* tantâ, tam gravi, tam atroci exprobrabitur ignominia: quod authore Cicerone, clariſſimi Romanę civitatis viri, optimis tẽporibus ampliſſimum ſibi pulcherrimumq; duxerũt, ut in flagitioſos animadverterẽt, innocẽtes defenderẽt, ab hoſpitibus, ab exteris nationibus injurias ꝓpulſarent. Eò ne illorũ effrænata cupiditas, eò ne audacia, eò ne veſania prorũpet, ut ꝑceptori ſuo, optimè de omnib' ſuis auditorib' merito, in cauſa juſtiſſima, non modò clam detrahãt convitiũq; dicãt: verùm etiam publicè in foro, ante ſcholam ea injuria appetãt, ut quam illi ſexcenties cõmeruerant, cruci eũ ipſimet quantũ in ſe eſt, affigere velint. Sed hæc nos referre piget, pudetq;, quæ illos facere non puduit: quę idcircò attigim', ut quid rationi, quid honeſtati, quid modeſtiæ in illis loci ſit, qui cũ reis vitæ ſocietate cõjuncti fuerũt, intelligatis. Quanquã nos quidẽ ſociorũ ſcelere illorũ crimen non aggravabimus. Quid enim eſt, quod ex aliorum facinore illorum impudentiam & perverſitatem metiamur? quaſi verò nõ ex iis, quæ paulò antè à nobis in narratione eorum, quæ in cæde Schleicheri acta ſunt,

illa cognoſci queat? Quam ipſam magis eos cumulaſſe & adauxiſſe judicabitis, ſi quàm libidinosè, quàm ſuperbè, quàm impudenter in Judices inſultârint, explicare velimus. Nos ſanè quò magis de illis cogitamus, eò minus miramur à vobis homines illos, ad quidvis audendum projectos petere, ut ſupplicia vitent, quæ à vobis pro maleficijs ſuis metuere atq; horrere debebant. Verùm hæc præterire viſum eſt, non quòd ſint contemnenda, ſed quòd ipſa à magiſtratu vos accipere malimus. Ad ea igitur redeamus, quæ propriora hujus cauſæ ſunt & adjunctiora, quæ ſi aliquantò accuratiùs excuſſeritis, luce clariùs, Patres Conscripti, videbitis, juſtam crimini eorum à Iudicibus Biturigenſibus pœnam eſſe irrogatam. Quid enim eſt in hac causâ, quod vehementer ſit obſcurum? qui locus, aut ingenium requirit, aut eloquentiam deſiderat? Danielem Schleicherum civem noſtrum occiderunt. Quid afferent, quare id ſibi faciendum putârint? neceſſe eſt enim, ſi factum ſuum defendere velint, cauſam ejus juſtam, & magnam & perſpicuam ponant: vel quòd injuriâ eos affecerit, vel quod afficere voluerit: quorum nihil in Schleicherum, vel objiciendi causâ conferre poſſunt. Neque enim eſt, quòd nobis ſolis fidem adhibeatis: teſtimonium petite ejus, quod ſcribimus, ab anteceſſoribus, à magiſtratu, à civibus urbis hujus, ab hoſpitibus, quibus cum D. Schleicherus vixit. Si ſecus vobis ſignificatũ à quoquam fuerit, quàm nullum hominem, non modò ab illo læſum, ſed ne offenſum quidem fuiſſe unquam, hæreat ſanè in eo interitus culpa. Quin tantùm abeſt, ut cuiquam mole-

moleſtus eſſet, ut omnia quæ jucunda, ex humanitate alterius, & morum ſuavitate homini accidere poſſunt, ex illo acciderent. Ac ne illud quidem ab adverſarijs dici poteſt, vel privatas inimicitias Schleicherum cum ijs geſſiſſe, qui cum omnibus amicè vivebat; vel minas jactaſſe, qui omnium erat modeſtiſſimus: vel inſidiandi animo fuiſſe, qui inermis ferè uno tantùm comitatus amico, lucernâ prælucente ambulabat. Quid verò ſi hæc omnia in alterâ parte reperiantur? quid enim illa multorum conſpiratio? quid præter pugiones & gladios, arma magis in prælio contra hoſtem, quàm in civitate quietâ ab incolis uſitata? quid nocturnæ converſationes? quid locus opportunè captus? quid inopinatus ad angiportum incurſus? Vereor ne moleſtiam vobis faceſſamus, ſi in tam perſpicuis rebus, utri de injuriâ inferendâ cogitarint multis palàm facere velimus: Rurſus igitur eódem revertamur, quæramus quid ſit, quòd illos ad hunc necandum moverit. Multa ſæpè, licet falſa ſint, tamen ſuſpicioſè dici poſſunt. Hîc ſi non dicimus cauſa cædis, ſed vel minima injuriæ ſuſpicio reperta fuerit, quamobrem impetum in eum feciſſe videantur, non recuſamus quin illius explicatione ſcelus illorum ſuffulciatur: ſin nihil attulerint, cur Schleicherum potiſſimùm ex noſtro numero ſibi de medio tollendum eſſe duxerint: quâre eos ad manus, mucroneſq; cruentos in illum intentandos, fuiſſe impulſos cenſebimus? niſi quòd ſibi in obvium quemque noſtrum, tanquam inferam quandam beluam irruendum exiſtimaverint? quos non in ſylvis, aut ſaltibus, ſed

in mediâ urbe gladijs, telis, ſecuribusq; conficerēt. Tibine, tibi, mi Schleichere, patria noſtra, quòd Germanus eſſes, exitio fuit? At certè id non metuebas, nec pugnandi cupidus, ad Martis caſtra, ſed otij & pacis ſtudioſus ad Muſarum delubra profectus eras. Hæc videlicet eſt ſancti illius juris hoſpitalis obſervatio, cujus jam olim etiam apud gentes veræ religionis ignaras. tanta cura fuit, ut qui labefactarent, in graviſſimas pœnas inciderent. Et eſt quiſquam adhuc, qui his rebus cognitis ſuſpicari poſſet, adverſarios noſtros iniquo judicio condemnatos eſſe, & majus facinore ſupplicium in eos eſſe conſtitutum? Quid eſt aliud judicio, legibus, ac dignitate veſtrâ abuti, quàm hoc modo apellare in hoc conſilio, in quo totius Galliæ ampliſſimi viri, ſanctiſſimi judices ſedent: impunitatis, abſolutionisq; ſpem ullam habere eos, qui per ſcelus, necem juveni ornatiſſimo intulerunt? Quòd ſi vos igitur, PATRES CONSCRIPTI, non in hac causâ, qui ſit veſter animus in audaces hos & ſceleſtos homines oſtenderitis, ſi non innocentiæ prẹſidio fueritis, ſi non magnitudine ſupplicij, alios ab ejuſmodi delictis revocaveritis, eò ſe efferet effrænata multorum cupiditas & audacia, ut non modò noctu, ſed interdiu, nō clam, ſed in ſcholis, in templis, ante oculos Doctorum & judicum cædes ſint futuræ. Tanta erit diſſolutorum & profligatorum libido, tantus furor, ut ubi propter judicij & legum diſciplinam, ſumma ſecuritas & tranquillitas eſſe debebat, ibi propter metum gladiatorū nemo liberẹ ſit auſurus pedem extra portam efferre. Hæc tot & tanta incommoda & pericula, ſi ob oculos poſueritis,

ritis, non nobis dubium eſt, quin in hac cauſâ, ſi non noſtrûm, at publicæ utilitatis rationem ſitis habituri. Neq; enim ignoratis, quod à ſapientiſſimo Athenienſium Legislatore Solone dictum eſt, Rempublicam duabus rebus contineri, præmio rectè factorum & pœnâ maleficiorum. Ubi enim licet, quod libet, quia in hac vitioſitate naturæ libet, quod non decet, ſumma ex illa licentia rerum omnium confuſio perturbatioq; exiſtat neceſſe eſt. In quâ, quòd nec regnum ullum, nec civitas, nec domus ſtare poſſit, & leges inventæ ſunt, & reperta judicia, quæ hoc ſpectant, hoc volunt, ut injuriæ obſiſtatur, ut inſontes defendantur, ſontes puniantur. Ut enim medici in corpore, ſi quid ejuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, aut urunt, aut ſecant, aut in totum abſcindunt, ne aliam corporis partem corrumpere poſſit. Sic leges propter humanæ ſocietatis conſervationem conditæ ſunt, ut tota hæc hominum inter ſe conjunctio ſalva ſit: quicquid peſtiferum eſt amputare, & à communi tanquam humanitate corporis ſegregare jubent. Cùm igitur ea ſint animadvertenda delicta maximè, quæ plurimùm hominum communitati obſunt: quis eſt, quin intelligat omni ſupplicio dignos eſſe eos, qui nullâ laceſſiti injuriâ, in figurâ hominis, feritate plus quàm beluinâ, hominem vitâ, communitatem homine ſpoliant? Quòd enim humanitatis obliti, immanitate beſtias vincentes, in ſuummet genus ſæviunt, ex hominum numero ſunt ejiciendi: quòd juris naturæ immemores, ex hac communis vitæ ſocietate, eos ſine

ſine causâ tollunt, quibus cum naturali conjunctione ſunt copulati, ex ejuſdem humanæ conſociationis finibus ſunt exterminandi. Quare ſi in cæteris cauſis, quæ à vobis pro rebus communibus expediuntur maximè, perpetuò vobis ſalutem Reipublicæ, incolumitatem civitatum, vim legum, gravitatem judiciorum propoſuiſtis: nec hîc hortatorem, aut monitorem deſideratis, qui vobis, quid faciendum ſit, ſuggerat. Illud enim omninò nobis de veſtrâ æquitate perſuademus, quales vos aliis præſtitiſtis, tales etiam vos exteris nobis imperrituros eſſe. Satis ante demonſtraſtis, nihil vobis juſtitiæ adminiſtris priùs, nihil antiquius eſſe, quàm omnes eâdem juris & judiciorum æquitate continere, jus cuiq; ſuum tribuere. Vos igitur ſi memineritis, quod vos facere certò ſcimus, quàm ſeverè religioſeq; de hujus generis criminibus judicaveritis, neq; jam committetis, ut quid vel de religione, veritateq; judiciorum, vel de veſtrâ autoritate deceſſiſſe videatur. Nos quidem quod noſtrum eſt fecimus, ut in brevi eorum, quæ facta ſunt explicatione, rem omnem oculis veſtris ſubjiceremus. Ex qua ſi audax & ſceleſtum illorum facinus apparuerit, tum deniq; vos oramus & obſecramus, poſteaquam honeſtiſſimum, illum juvenem, chariſſimumq; popularem noſtrum amiſimus, hoc ſaltem nobis detis, ut tam nefaria cædes ijs pœnis teneatur, quæ in id communi gentium jure, legibus, conſtitutionibusque veſtris ſunt conſtitutæ. Veſtrum hoc munus eſt, veſtræ partes, defenſionem innocentiū non prætermitte-

mittere, flagitia perturbatorum otij & quietis publicæ, non impunita relinquere. Quanquam cùm nec noſtrâ, nec cujuſquam adhortatione egeatis, non utemur ea pluribus: illud adjungemus, ſi ſeveritatem veſtram in legum majeſtate aſſerendâ, audacium libidine refrenandâ, improborum ſceleribus coërcendis, juſtiſſimâ judicum ſententiâ comprobandâ oſtenderitis, multum veſtro vos judicio, & dignitatem veſtram, quæ per ſe ampliſſima eſt adaucturos, & afflictas civitates recreaturos, & pacatas confirmaturos eſſe.

NICOLAI CISNERI

ORATIUNCULA

De gradibus Juriſconſultorum, in promotione Doctorum.

Habita Heidelbergæ. Anno 1562.

CUM in more ſit inſtitutoq; majorum poſitum, ut in quo genere doctrinæ honores conferuntur, ex eodem aliquod orationis argumentum deſumatur: eandem & mihi conſuetudinem jam ſequendam eſſe exiſtimavi. Conſtitui igitur de diſtinctis juris auditorum, & profeſſorum ordinibus, variisq; Juriſconſultorum officijs, omniumq; eorum privilegijs pauca quædam dicere. Ac quidem,

dem, quis ordo diſcipulorum ſive auditorum juris fuerit, donec in lucem Reipublicæ prodirent, vel legum profeſſores fierent, *Juſtinianus* noſter docet in conſtitutione ſua, quam ad profeſſores legum ſcripſit, cujus initium eſt, *Omnem Reipub. noſtra*, &c. Infimus autem eſt auditorum Iuris primi anni gradus, quos ipſe *novos Juſtinianos*, ſive, ut alij legunt, *Juſtinianæos* vocat, quos olim ridiculo cognomine *Dupondios* appellatos ait. Sic autem ſtudijs juris initiatos primo anno dictos eſſe, Andreas Alciatus l. 4. de verb. ſignif. & Cælius Rhodiginus lib. 2. lect. antiq. c. 37. tradunt, quod modici eſſent valoris atq; æſtimationis; ſive à dupondio nummo, qui duobus aſſibus valebat, ſive à dupondio pondere (quod idem eſt, quod ſtater ſive ἀλεξάδραχμον) denominati fuerint. Hos autem idcircò Imperator à ſe *Juſtinianeòs* appellari voluit, quod quæ ſuo nomine ex omni penè veterum Inſtitutionum, ut ipſe quidem gloriatur, corpore compoſitæ erant Inſtitutiones, ijs traderentur. Proximus ab his erat *Edictalium* ordo, qui ſecundo anno Prætoris edicto operam dabant: unde & *Edictales* nominabantur. Tertius gradus erat *Papinianiſtarum*, *à Papiniano* cognominati, quod ejus lectioni operam darent tertio anno: Græco vocabulo λύται appellabantur, quod jam eò in juris ſtudijs progreſſi eſſent, ut legum nodos diſſolvere poſſent. Qui verò quintum jam annum juris ſtudijs operam impendebant, *prolyta* nuncupabantur, qui inde nomen ſuum habuerunt, quod λύτας in ambiguitatibus juris explicandis ſuperarent. Ita legitima ſcientia inſtructos ad omne opus

pus legitimum vult Juſtinianus procedere: atque oratores maximos, juſtitiæq; ſatellites, & judiciorum optimos tàm athletas, quàm gubernatores in omni loco ævoque felices ſe præſtare. Atque hæc quidem Juſtinianus de diſcipulis, ſive auditoribus, ſive ſtudioſis juris *d.* §. *Diſcipuli igitur*, &c.

Eos autem, qui in Iuris ſcholis legum doctrinam tradebant, nunc *Antecesſores*, ut in inſcript. d. conſt. & in conſt. Tanta. §. *Quæ omnia.* & §. *Sed cum proſpeximus.* *nunc profeſſores legum ſive legitimæ ſcientiæ.* d. conſt *in princ. vet. Sed cum vos.* & §. *Illud verò. c.57. Quibus.* ubi Ulpianus ait, cujuslibet diſciplinæ præceptores *magiſtros* vocari: nunc magiſtros, ſive magiſtros juris, ut in conſt. *de confir. digeſt. Tanta.* §. *Quæ omnia:* nunc *interpretes* juris. *d.* §. *Quæ omnia.* Ac cæterorum quidem nominum perſpicua eſt ratio. Antecesſores autem idcò dicti putantur, quod antecederent, & quaſi præirent docendo diſcipulis & auditoribus ſuis. Verùm illa ordinum nomina, unà cum juris ſtudijs, & præſcripta à Iuſtiniano docendi leges ratione, in ſequentibus ſeculis obſoleverunt, quibus omnes literarum diſciplinæ fœdâ barbarie non ſolùm inquinatæ, verùm penitus etiam obrutæ fuerunt. Quo factum, ut aliæ poſtea graduum honorumq; appellationes multò latius patentes, ut *Baccalaureorum*, *Licentiatorum*, *Doctorum* ſive *Magiſtrorum*, receptæ fuerint: quibus etiam his noſtris temporibus paſſim Academiæ in omni genere ſtudiorum, Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ & artium liberalium, utuntur. Et quidem *Baccalaurei* à bacca laurea, qua coronari ſolebant, ſunt dicti.

Hos

Hos ad juris ſcholam quod attinet, idem *Alciatus* d. c. 10. & lib. 2. prætermiſſ. in principio, & *Eguinarius Baro* in d. conſtit. 2. cum lytis comparant. *Licentiati* à licentia, hoc eſt, facultate, quam adepti ſunt, ſuſcipiendi Doctoratus inſignia, appellantur. Nam licentia pro facultate ſive poteſtate ab *Ulpiano* accipitur in deſcriptione juriſdictionis *l. 3. de juriſdict.* Hos ijdem illi autores cum prolytis conferunt. *Doctores* ſeu *Magiſtri* omnes illi quidem vocantur, quibus inſignia doctoralia conferuntur. Propriè tamen id nomen ijs competit, qui docent. Itaq; in hac ſignificatione rectè illos *Alciatus* cum anteceſſoribus Iuſtiniani componit. Hoc modo verbum *Doctorum* uſurpatur à Gregorio in præfat. decreti. & à Bonif. in præfat. ſexti Decretal. Hinc *Eguinarius Baro* eos qui codicillis Doctores ſine adminiſtratione dicerentur, honorarios doctores exemplo aliorum honorum l. c. 2. Cod. ut dignit. ordo ſec. & No. 69. ut ordinis præfecturæ nominat. Hos autem Doctores dici, quod licet docendo occupati non ſint, tamen facultate & habitu docere poſſint, notant *Panormitanus*, & *Philippus Decius in c. 1. in fine de judicijs. Fælinus* & pleriq; Pontificiorum interpretum in rubric. procœmij Decret. & ſexti. Hujus autem generis Doctores, ut probè *Alciatus* admonet d. c. 10. lib. 8. παρέργων ſolo inſignium honore à Licentiatis differunt. Unde &, quæ in favorem Doctorum introducta ſunt, etiam ad Licentiatos pertinent. Quando autem hi honorum gradus in ſcholis juris inſtituti fuerint, certi mihi nihil conſtat. Veriſimile autem eſt, aut ipſius *Lotharij* tempori-

poribus, à quo Jus civile Romanorum à Iuſtiniano collectum in ſcholas, & tribunalia revocatum eſt: aut non multò poſt in juris gymnaſia receptos iſtos gradus eſſe. Quicunq; autem hujus inſtituti autores fuerint, cum illis finem propoſitum fuiſſe arbitror, ut his honoribus tum diſcipulos, ſuis quaſi præmiis ad majorem diligentiam & acrius ſtudium incitarent: tum quos quiſq; in Iuris ſtudiis progreſſus feciſſet, his quaſi certis quibuſdam notis teſtificarentur. Quod enim anteceſſorum collegia his gradibus quaſi teſtimonia quædam diligentiæ & doctrinæ his perhibebant, quibus illi deferebantur: hac ratione non ſolùm auditoribus atq; diſcipulis calcar quoddam addebatur, ut ad ſtudiorum ſuorum curriculum conficiendum ardentiori animo, majoriq; cura & induſtria contenderent, verùm ipſis etiam Rebuſpub. quaſi delectus quidam eorum ſuppeditabatur, quorum opera uti poſſent. Ex quo mos ille apud majores noſtros deſcendit, ut ferè ad nulla in ſcholis, docendi præſertim munia, ad pauca verò in Rebuſpublicis, maximè in curijs tribunalibusque officia admitterentur, qui hujuſmodi honorum inſignibus affecti non eſſent. Permagni enim intereſſe Reipub. exiſtimabant, non quibuſvis, qui ſe juris ſtudioſos profitebantur ad ejuſmodi officia, quibus ſine juris cognitione ſatisfieri non poteſt, promiſcuè aditum patere, ſed ijs ea committi, qui anteceſſorum ſuorum comprobationem meriti eſſent, cujus rei illi honorum gradus documento erant. Nec verò in hoc genere nobis vetuſtatis deſunt exempla. Nam *Leo* Imperator in d. illa 11. cujus antè memi-

ni. Cod. de advocat. divi. jud. conſtituit, ut Iuriſperiti eorum, qui ſe in conſortium advocatorum præfecturæ prætoriæ cooptari petunt, doctores jurati ſub actorum teſtificatione depromerent, Juriſperitia eos inſtitutos, qui in locum vacantem ſubrogari cupiebant. Centum enim & quinquaginta erant ſtatuti, ſive ordinarij præfecturæ advocati, qui in conſilio præfecto prætorio aſſidebant. Ex hac igitur conſtitutione intelligi poteſt, Doctorum, & Anteceſſorum judicio in hoc genere plurimũ Leonis temporibus tributum fuiſſe. Ante autem ipſos Doctores ſeu Magiſtros cujuſcunque diſciplinæ à primis præcipuisq; ordinis Decurionum approbari oportebat: L. *Magiſtros.* & l. penult. Cod. *de Profeſſorib. & Medicis.* Qui verò *Auguſto* Imperatore, Jureconſulti munere publicè de jure reſpondendi fungi volebant: id eis ab ipſo principe impetrandum erat. Idcircò autem *D. Auguſtum* ex ſua autoritate id ætatis Juriſconſultos conſulentibus reſpondere voluiſſe, *Pomponius* d. l. 2. d. §. Primus. *D. Auguſtus* refert, ut major juris autoritas haberetur. Sed ut ad inſtitutum, de quo digreſſi ſumus, redeamus; ſi in tribuendis illis honorum gradibus eaſdem cauſas nobis ob oculos poneremus, quarum initium id à prudentiſſimis viris in juris ſcholas eſt invectum (ut ijs quaſi teſſeris quibuſdam diligentes à negligentioribus, induſtrij ab ignavis, docti ab indoctis diſcriminati, virtutis & eruditionis ſuæ fructum aliquem caperent) magis id mihi probaretur, quàm quæ graduum & ordinum diſtinctio Juſtiniani

ſtiniani

ſtiniani temporibus, & antè obſervata fuit. Præcipuè enim Iuſtinianus in diſcernendis à ſe mutuò Scholaſticis tempus ſpectarat, ut, quò diutius quis in Iuris ſtudiis verſatus eſſet, eò honeſtior titulus ei tribueretur; eò honeſtius nomen deportaret. Qui verò gradus hos instituerunt, hi majorem eruditionis, quàm temporis rationem habuerunt: cùm doctiſſimos quoſque primis atque ſummis honoribus afficiendos eſſe duxerint. Sed tamen, quin & patrum noſtrorum memoria, & his noſtris temporibus honorum magnorum in omnibus ferè Academijs magnus ſit abuſus, diſſimulare nec poſſum, nec debeo. Neque enim ſolùm in conferendis his honoribus exiguum diſcrimen inter eruditos & ineruditos habetur: verùm etiam pecúnia doctrinæ anteponitur. Quo fit, ut honeſtiſſimi hi tituli, qui olim ſingularis doctrinæ, & excellentis virtutis præclara erant teſtimonia, pariter apud omnis penè loci atque ordinis homines in tantum contemptum abiverint, ut propter eos optimæ atque ſanctiſſimæ diſciplinæ in omni ferè genere ſtudiorum vileſcant. Etſi verò pravus ille, & vitioſus quaſi mos meritò eſt deteſtandus; in quem etiam jam olim invecti ſunt interpretes noſtri, ut Salicetus *in l.ult. C. de legit. tutor. Lud. Bologninus* in Auth. Habita. Cod. Ne filius pro patre. Panormitanus in c. *Cum in cunctis. De elect.* tamen non modò propterea Iuris civilis ſtudia aſpernari cōvenit: ſed nec ideò hęc honorum inſignia omninò ſunt abjicienda. Diſtinguēdus enim eſt cujuſq; rei uſus ab abuſu,

ut ille retineatur, hic autem repudietur. Alioquin optimarum etiam, & ad vitam ſalutemq; hominis neceſſariarum rerum jactura facienda erit, ſi abuſum potiùs, quàm verum uſum intueri voluerimus. Qua de cauſa viri doctiſſimi, vobis à nobis hos gradus quaſi operæ, ſtudij, atq; eruditionis veſtræ teſtimonia petentibus collegium noſtrum deeſſe noluit. Verùm antequam eos vobis honores conferam, leges prælegam, &c.

PROMOTIO.

Reliquum eſt, ut ad ea, quæ propria ſunt, veniã. Cùm igitur jam facultatem ſuſcipiendi gradum à digniſſimo Dn. Decano acceperitis: Ego autoritate publica ab eodem conceſſa, vos quinque omnes & ſingulos in jure noſtro de ſententia, & graviſſimo judicio Collegii Doctores promoveo, creo, & proclamo, eoq; omnia vobis privilegia largior, quibus hic ordo ſingulari conſilio eſt ornatus: Quod ut felix & fauſtum ſit, vobis laudi, nobis dignitati, Reip. ornamento, Eccleſiæ Chriſti emolumento, faciat æternus & omnipotens Deus. Addo nunc etiam ritus à maioribus uſurpatos atque ſolennes.

PILEUS.

Olim apud veteres Pileus fuit libertatis inſigne, ut vel ex Marci Bruti numiſmatis intelligi poteſt. Sed quod genus pilei vobis confertur, id apud nos etiam cœpit eſſe dignitatis indicium. Itaq; cùm

hoc

hoc ipſo ornamento dignitate quadam ordo noſter afficiatur, vobis quoque elaborandum eſſe intelligitis, ne quid contra huius ordinis dignitatem committatis.

Annulus.

Annulus aureus olim apud Rom. equeſtris ordinis fuit ornamentum, quo ipſe à plebeio diſtinguebatur. Quid etiam iure annulorum aureorum contineatur, vobis ex libris autorum noſtrorum notum eſt. Nam dignitate augebantur, quibus hoc jus conferebatur. Quocirca idem & vobis tribuo, ut in ſuperiorem ordinem eveham, ut eò majori & diligentia & honore operam veſtram Reip. navetis. Nam cum hoc ipſo munere magis Reip. obligati ſitis, in id etiam ſummo ſtudio, ſummaque cura incumbere debetis, ut eidem officium veſtrum præſtetis.

Liber.

Cum & in omni genere ſtudiorum neceſſaria ſit diligens librorum lectio, & non omnibus promiſcuè munus docendi ſit largiendum, utraque de cauſa librum vobis aperio, & ut ſtudium & lectionem non intermittatis, & ut vobis publicè docendi poteſtatem, publica autoritate concedam. Vos igitur operam date, ne officio veſtro deſitis. &c.

PRAESENTATIO CANDIDATORUM JURIS NOVEM.

Moris fuit apud Romanos, ut Candidati majorum magiſtratuum, tametſi omni genere virtutum cumulati eſſent, tamen non modò in forum, ſed etiam in campum Martium virum aliquem, per quem commendarent, & qui ſuo nomine peteret, adducere ſolerent. Sic pro Q. Callidio Prætorio candidato *Metellus* pius Conſul, pro C. Fannio conſulatus candidato C. *Gracchus*, pro Marco Lepido Cn. *Pompejus*, pro *Pub. Scipione* Naſica patruelis ejus *Affricanus* major, pro L. Flaminio *T. Flaminius* ſupplicare non dubitarunt. Eadem ratione, vir clariſſime, digniſſime Domine Decane, Collega cariſſime, licet hi novem noſtri Candidati abundè ſe tibi ab eruditione & virtute ſua commendare poſſint, tamen pro veteri hujus Academiæ conſuetudine eoſdem tibi à me commendandos eſſe exiſtimavi. Ac cum tibi & doctrina horum novem nota ſit, & morum vitæque honeſtas perſpecta: non eſt, ut ſingulorum coràm te hîc laudes commemorem. Nam id in rebus dubiis & ambiguis fieri ſolet: at verò ante ſpectata eſt nobis horum omnium & doctrina & vitæ integritas. Deinde tametſi mihi de eorum virtutibus dicturo oratio deeſſe non poſſit: tamen & temporis, quod multipliciter nobis diſpertiendum eſt, rationem habeo; tum qua ſunt mode-

modeſtia & verecundia præditi, nolunt hîc laudum ſuarum explicationem inſtitui. Nam quam viam proximam & compendiariam Socrates ad gloriam eſſe dicebat, id & antè egerunt, & nunc etiam ſtudent, ut boni & docti eſſe, quàm videri malint. Quocirca copioſa de iis oratione prætermiſſa, cum & diſputatione & examine non modò Academiæ legibus ſatisfecerint, ſed & majoribus ornamentis dignos ſe oſtenderint, cumq; in hac publica teſtimonij & gradus deſignatione tua requiratur autoritas, à te & collegij noſtri, & meo etiam horum novem Candidatorũm, amicorum meorum nomine etiam atque etiam peto, ut his in jure noſtro facultatem, & (ut vocant) licentiam ſuſcipiendi gradum, & ſuprema inſignia concedere velis. Quod ſi à te impetravero, & quod noſtro collegio digniſſimum eſt, facies, & mihi rem gratiſſimam præſtabis, & hos optimos & doctiſſimos viros hoc tuo beneficio tibi in perpetuum plurimùm devincies.

Oratio
D. Nicolai Cisneri
De Legibus.

Habita Heydelbergæ in Academica Panegyri ante promulgationem Legum. Anno 1563.

Etsi minimè decorum & quaſi ſupervacaneum videri poſſit, Generoſi Domini Barones, ampliſſimi, nobiliſſimi, clariſſimi, ornatiſſimi viri, auditores cariſſimi, quæ dignitas, quæ utilitas, quæ neceſſitas legum ſit, multis in hac ampliſſima & ornatiſſima concione explicare; cùm ferè neminem ex vobis reperiri exiſtimem, quin & bonis literis tinctus & cœleſti doctrina imbutus ſit: ita ut Deum fontem & autorem legum eſſe, tum ex verbo Dei, tum ex incoatis intelligentijs, natura nobis inſitis cognoſcat: tamen & quia notitiæ illæ vehementer in nobis obſcuratæ ſunt, nec ex doctrina divinitus tradita, in omnibus ex æquo rurſus communicata illa humano generi in prima rerum origine & creatione à Deo ſapientia & imago reſtituitur: idcirco ut cum omnibus legibus honeſtis, tùm his etiam noſtris diligentius obtemperetis, priuſquam leges ipſas recitem, & de præſtantia atque laude earum dicam; vos, qui juriſdictioni noſtræ ſubjecti eſtis, ad earundem obſervationem & obedientiam adhortabor.

Ac pri-

Ac primò quidem cùm lex ſit ex mente divina in hominum animos derivata; ut qui Deus ſit, quæque ejus voluntas, homines cognoſcerent, & quæ vellet, ſequerentur, fugerentq; contraria; atq; hac lege non modò cum cœleſtibus conſociarentur, verùm etiam ſummæ, præſtantiſſimæ, atq; optimæ illius naturæ æternæ ſimulacrum in ſe quaſi in ſpeculo quodam repræſentarent; quod vel melius bonum, vel excellentius decus hoc ipſo munere à Deo ſummo rectore & domino rerum concedi potuiſſet? Summo enim bono nihil ſuperius: quod cum in ipſo Deo poſitum ſit, ab eo in nos transfuſum eſt, cum ſui nos numinis participes fecit. Quoniam igitur hujus divinæ lucis atq; ſummi boni communicatione, in qua vera dignitas noſtra poſita eſt, & qua ceteris animantibus omnibus præſtamus, nihil nobis prius, nihilq; antiquius eſſe debet, in id ſummo ſtudio ſummaq; cura noſtra ſponte incumbamus oportet, ut ad hanc Dei in nobis ſimilitudinem & cognationem tuendam, ad hanc cum divina mente ſocietatem conſervandam, ad hanc dignitatem noſtram aſſerendam, & retinendam legi, eſt, deſcriptioni cœleſti & ingeneratæ animis noſtris juris atque injuriæ regulæ, atque ipſi præpotenti & æterno Deo pareamus. Nam ut omne honeſtum per ſe eſt expetendum; ſic hæc ipſa ſive lex ſive imperandi prohibendiq; ſapientia, quæ rectè facere jubet, vetat delinquere, à Deo humano generi data, per ſe amanda eſt & colenda. Itaq; qui tam ingratus eſt erga Deum, ut ad obedientiam hujus legis hoc tanto benefici non adducatur, cum divinum illud ſapientiæ de

Legum [di]gnitas ac autore & fine.

num mentibus noſtris infudit, ut imago naturæ ſuæ in nobis conſpiceretur, ut & voluntas noſtra cum ſua voluntate congrueret: hunc in hominibus Chriſtianis, quales nos eſſe volumus & debemus, numerandum non eſſe puto. Ac licet hæc ad legem inſitam, ſeu jus naturæ potiſſimùm pertinent: quod neq; hominum ingeniis excogitatum neq; populorum juſſis, neq; Principum decretis, neque magiſtratuum edictis conſtitutum eſt: ſed ortum habet à principe illa lege & mente omnia regentis Dei, jubentis honeſta, prohibentis turpia; tamen eodem referri debent hominum ſcita, & propriæ cujuſq; civitatis leges, quæ pro ratione regionum, locorum, populorum, aliorumq; attributorum variæ atque diverſæ ſunt; ſi modò ad illam juris atq; injuriæ regulam, juſtorum injuſtorumq; diſtinctionem, & exprimantur & dirigantur, & ad ſalutem civitatum atque communitatum vitamq; omnium quietam & tranquillam condantur & ſanciantur. Qui enim pernicioſa, peſtifera & injuſta populis juſſa deſcribunt, quidvis potius quàm leges tuliſſe ſunt exiſtimandi. Quibus enim ſcitis quid mali ineſt, etiamſi à populo ſunt accepta. tamen non modò leges non ſunt habendæ, ſed nec appellandæ quidem. Quòd ſi verò ad utilitatem & incolumitatem civium & ad honeſtè beateq; vivẽdum leges in civitatibus compoſitæ referantur, eaſdem etiam obſervandas & venerandas eſſe, divina nos docent oracula. Nam quem cultum & quem honorem magiſtratibus Deus nos vult præſtare, eundem etiam legibus ab iis prudenter & utiliter latis tribuere debemus. Atq; hinc etiam *Plato* lib.

Legum humanarum vis.

to lib. 6. de legibus ſcribit, eum, qui legibus obtemperet, Deo ipſi obtemperare. Unde & *Demoſthenes* legem donum & inventum Dei vocat. Neque refert, quòd leges illæ humanæ ſint mutabiles, & quòd in alijs atq; alijs locis aliæ, ut Plato in Minoe refert, ſuis temporibus longè aliis legibus Græciam quàm Aphricam uſam eſſe. Nam ut Architas Pythagoreus tradidit, in legibus regionum & locorum ratio haberi debet, quòd nec omne ſolum omnia ferat, nec omniũ hominum animi omnium inſtitutorum ſint capaces. Satis igitur fuerit, ſi ad rectè facta vocent, & à vitioſis avocent, aut alioquin ad publicam vel commoditatem vel quietem & pacem leges illæ humanæ & politicæ accommodentur.

Etſi autem, ut ſupra oſtendi, propter mandatum Dei & honeſtatis ſtudium vitam noſtram rectè inſtituere, eamq; ad legum præſcriptum, ad virtutem hortantium, à flagitio deterrentium, conformare deberemus, etiamſi nulla utilitas conſequeretur: tamen & hæc ipſa inter ſe hominum conſociationis & Rerumpublicarum & cujuſq; noſtrum ſalus & incolumitas flagitant, ut morem legibus geramus. *Plato* lib. 5. de legib. pluribus oſtendit, quàm ad hominum inter ſe conjunctionis & conſociationis conſervationem neceſſaria ſint legum vincula; quòd niſi legum metu homines refrenarentur, immaniſſimam vitam acturi eſſent. Atq; ejus rei hanc adducit cauſam: quod tum demum & ſocietas inter ſe hominum ſtabiliatur & Reſpublicæ atq; civitates floreant, & confirmentur, quando ita hominum civiumq; animi ſunt

Utilitas legum.

ſunt comparati, ut publicam ſalutem & utilitatem Reipub. privatis anteponant emolumentis: in hac autem naturæ labe nullius hominis ſit tantum ingenium: ut vel quæ ad communem humanæ vitæ utilitatem pertineāt, ſatis cognoſcere, vel id etiamſi cognoverit, omnem ſuam operam, ſtudium ac curam ad Rempubl. ſemper conferre aut velit aut poſſit. Quocirca concludit opus eſſe legibus, quæ & hominum ſocietatem & Reſpublicas defendant & tueantur. Hunc tanquam ducem ſuum ſequuntur *Cicero* in lib. de legib. 2. idcirco legem in optimis rebus ponendam ratiocinatur: quòd quæ lege careat civitas, nulla ſit habenda loco. Platonis quoq; diſcipulus Demoſthenes, eloquentiſſimus Orator, legem civitatis animam vocat, quod ut animal, ſi anima deſtituatur, concidat & pereat: ſic civitas, quę legibus deſtituitur, nullo modo conſiſtere poſſit. Et *Euripides*, cujus ſingulos verſus ſingula teſtimonia Cicero putat, in ea fabula, quam *ſupplicum* nomine inſcripſit, nihil putat plus dignitatis & boni civitati adferre, quàm leges. Sic *Ariſtides* Civitates ſine legibus cōmodè gubernari nō poſſe innuit, cū eas τῶν πόλεων ἡγεμόνας nominat.

Νομοφύλακες neceſſarij. Verùm enimverò licet optimæ & ſanctiſſimæ leges civitati alicui ſint præſcriptæ, tamen nulla earum vis eſt, niſi ſecundùm eas cives vivant. Sed quia qui eas ignorant, etiam ſequi non poſſunt: idcirco olim veteres curabant, ut diligenter ab omnibus cognoſcerentur. Hinc illuſtri & celebri aliquo publico loco legum tabulas affigere ſolebant. Sic Athenienſes πρὸς ἐπωνύμους εἰκόνας, id eſt, apud Heroū ſtatuas: Sic Romani in foro pro roſtris

tabu-

tabulas legum habebant. Hinc prudentiſſimus ille legiſlator Minos, rex Creteſium (quem cæteris omnibus νομοθέτης ideò Plato in Minoe pfert, quòd nihil in legibus ejus ad ſua uſq; tempora fuerit immutatũ: & quòd Lycurgus, quas Lacedæmoniis leges dedit, inde accepiſſet) cũ quaſi νομοφύλακας legum judices Rhadamantum per Cynoſum, & Tallum per totam Cretæ inſulam conſtituiſſet, ne quis incolarum leges ſuas ignoraret: hos omnes civitates & pagos ter in anno adire, & ſculptas in tabulam æream leges circumferre & palàm proponere juſſit. Hinc Charondas in procemiis legum ſuarum refert, legem juſſiſſe, ut cives omnes ea legum procemia memoria tenerent, & in diebus feſtis poſt Pæanes recitarent, ſi quos ſacri convivij præfectus id facere juſſiſſet; ut illa legum præcepta ſingulis etiam notiſſima & familiariſſima fierent. Hinc etiam Chilo unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus eam civitatem ſummis laudibus dignam prędicat, quæ plurimùm & maximè leges audiat. Neq; verò ut ullius momenti legum eſt cognitio, niſi earundem diligens accedat obſervatio. Illis enim propoſitus eſt finis πρᾶξις, non θεωρία. Itaq; idem Plato lib. de Legib. ult. non ſatis eſſe ait bonis legibus Rempubl. inſtruere, eaſq; civibus cognitas eſſe, ſed hoc maximè deſiderari & omninò requiri, ut diligenter & ſtudioſè ſerventur. Ac ſcitum eſt illud Horatianum: Quid leges ſine moribus vanæ proficiunt? Vanas leges vocat, quæ non obſervantur: Et *Juſtinianus* noſter in Novell. 161. eas leges, quæ tantùm in tabulis ſcriptæ extant, & non etiam reipſa & factis utiles ſunt, inanes exiſtimat. Unde

Minos.

Charondas

Vide Stob. ſerm. 42.

Unde eam Civitatem optimè conſtitutam eſſe *Socrates* dixit, in qua cives ſecundum leges viverent, & ſontes punirent. Sic *Ariſtophanes* in Ranis, vel potius *Euripides* in Supplicibus, tum ſalutem civitatum procurari ait, cùm leges, uti decet, obſervantur. Sic enim apud hunc legitur:

Τῆς Αἴθρας πρὸς Θησέα,
Τὸ γὰρ τοὶ συνέχον ἀνθρώπων πόλεις,
Τοῦτ' ἐσθ' ὅταν τις τοὺς νόμους σώζῃ καλῶς.

Sic *Zaleucus* in prooemijs legum ſuarum, quas cõpoſuit, cunctos vult obedire legibus. Qui etiam paulò pòſt monet, & peſtiferum & turpe eſſe, ſi leges nominibus cedant: contra autem ſalutare & honeſtum: ſi homines legibus parcant. Et *Sophocles* in Phædra: Nunquam ſanè tuta & ſecura poteſt eſſe civitas, in qua leges, jus, & modeſtia pedibus conculcantur. Quare *Ariſtoteles* lib. 4. Polit. τὴν εὐνομίαν duabus in rebus eſſe poſitam ſcribit: & ut leges atque jura in civitatibus rectè conſtituantur, & ut efficiatur, ut iiſdem legibus diligenter obtemperetur. Neq; enim εὐνομία in civitate eſſe poteſt, in qua non utiles, ſed vitioſæ leges ſunt latæ: nec bonarum etiam legum ullus eſt uſus, ſi non colantur, & ſerventur. Itaq; idem *Ariſtoteles* in Rhetor. eam Rempubl. in qua nulla ſit legum obſervatio vel obedientia ei Reipub. ſimilem ſtatuit, quæ nullas omninò leges habet. Quæ cùm ita ſint, prudentiſſimè *Plato* non modò in Republ. benè conſtituenda ſapientes νομοθέτας, id eſt, legiſlatores requirit: verùm etiam, ut quæ benè conſtituta eſt, conſervetur, neceſſarios eſſe ait diligentes νομοφύλακας, id eſt, legum cuſtodes & vindices.

Εὐνομία.

dices. Atq; hoc officium cum alii Philoſophi, tum idem ille Plato cujuſq; Reipublicæ & civitatis gubernatoribus & magiſtratibus tribuit.

Unde etiam in quinto de legibus magiſtratum legum miniſtrū appellat. Et in lib. ſequenti Rempubl. optimis legibus informatam nec florere, nec diu conſiſtere poſſe, multis oſtendit, niſi ſint magiſtratus idonei, qui ſummam legum curam habeant: qui bonos tueantur & præmiis honorent: improbos autem pœnis afficiunt. Sic *Ariſtoteles* homines incolumes eſſe non poſſe multis oſtendit, niſi ſint qui præſint. *Pomponius* quoq; noſter parum eſſe, ait, jus in civitate exiſtere, niſi ſint, qui jura reddere poſſint. Ac tametſi magiſtratus inſignibus virtutibus præditos, & eximijs dotibus ornatos eſſe velit; tamen inprimis ab ijs exigit, ut in legum autoritate tuendâ & ſalute Reipubl. procurandâ diligentiſſimi ſint, & ut erga obedientes benignitatem, in pravos autem ſeveritatem exerceant. His etiam artibus eos, qui gubernacula Reipubl. tenent, vult inſtructos eſſe Virgilius aureis his verſibus ſuis:

Tu regere imperio populos, Romane, memento
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Quæ licet belli ducibus dicta eſſe videantur, tamen non minus ad magiſtratus togatos quàm ad præfectos militiæ armatos pertinent. Imò verò *D. Paulus* his ipſis de cauſis magiſtratibus gladij poteſtatem à Deo cõmiſſam docet; ut bonos defenderent & tuerētur, à flagitioſis a. pœnas dignas ſumerēt. Ex quo etiã *Solon* dicere ſolebat, Remp. duab' rebus contineri,

neri, Præmio & pœnâ. Ac quidem *Democritus*, leges beneficiis ſibi homines adjungere velle tradit: ſed pleroſq; ea beneficia aſpernari: in eos autem hanc beneficentiæ vim declarare, qui legibus obedirent. Qui verò in legem committunt, hos admonendos primò & increpandos eſſe Zaleucus præcipit. Quod ſi admonitionibus ijs audientes non ſint, mulctandos & puniendos eſſe: Inobedientiam enim graviſſima quæq; in civitate mala excitare. *Ariſtoteles* quoq; nihil tam pernicioſum civitati eſſe demonſtrat, quàm inobedientiam. Et Sophocles nullum majus eſſe in Republ. quàm inobedientiam, malum ſcripſit. Ἀναρχίας δὲ μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν. Idem Sophocles in Ajace, nec Reſpublicas illas diu durare poſſe, nec leges vim ullam habere ait, ubi metus abſit. Itaq; ut hæc inobedientia, quà cùm communis illa inter homines ſocietas perturbatur, tùm Reſpublicæ & civitates convelluntur, aut coërceatur, aut tollatur, varia pœnarum genera ſunt ſancita; quæ quàm neceſſariæ ſint, Plato libr. de Legib. 10. oſtendit. Et *D. Paulus* magiſtratum vult pœnis vindicare flagitioſorum maleficia. Quò verò his noſtris temporibus & extremâ quaſi ſenectâ mundi magis atq; frequentius vitia & ſcelera, proh dolor, dominantur, eò & gravioribus & acerbioribus pœnis nobis opus eſt. Nam & Triphonymus noſter exaggerandas exacerbandasq́; pœnas eſſe indicat, cùm flagitia & ſcelera creſcunt & cumulantur. Sed hoc ipſum & prudentiæ & juſtitiæ magiſtratus committitur; qui præcipuè & in legum autoritate, & in Reipub. ſalute ſervanda ſpectare debet, ut bonis

Pœna ſunt neceſſaria in Republ.

præmia

præmia decernantur, in malos autem & ſceleratos pœnæ ſtatuantur, tum ut juſtitiæ officia præſtentur, tum ut furores talium improborum hominum compeſcantur, tum ut aliis, ut à flagitijs & ſceleribus abſtineant, exempla proponantur.

Jam verò etſi ſalus & incolumitas tum univerſi generis humani, tum ſingularum civitatum à nobis non poſtularent, ut legibus pareremus; tamen ſua quiſque utilitate ad vitam ſuam juxta legum normam conformandam commoveri debebat. Nam tùm Chriſtiani omnes, tùm virtutum ſtudioſi, & honeſtatis amantes, nos qui Reipub. literariæ nomen dedimus, eſſe volumus. Quare tum Dei ipſius, tum virtutis, tum honeſtatis amore nos, etiamſi nullæ nobis leges poſitæ eſſent, tamen juſta ſectari, injuſta averſari deberemus. Quid? quòd hæc ipſa humanitatis ſtudia, quib. adoleſcentia noſtra formatur, nos ad honeſta impellant, & à turpibus deducant, ſi modò veri ſunt hi Poëtæ verſus: *Literati maximè legibus obediant.*

Adde, quod ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Quòd ſi verò quos hæc, quæ liberalia ingenia omnia maximi faciunt, non afficiant, eos certè pœnarum motus à vitijs abſterrere debebat. Nam quia Deus flagitia & ſcelera tum odit, tum punit, etſi fortaſſe in magiſtratus manus eiuſmodi improbi homines non incidant: tamen Dei ipſius juſtitiam & poteſtatem non effugient. Etenim hæc ipſa eſt vel Nemeſis vel δίκη illa veterum ethnicorum, quæ & Iuſtitiæ aſſidere & judicijs præeſſe, & commeritas ſontibus pœnas infligere traditur: Quæ cùm omnes ſceleratos exagitat: tum verò

graviſſimè contemtores juſtitiæ divinæ, legumq; omnium, quæ ab ea ipſa deducuntur, excruciat: Cujus tormenta ne ſentiamus; Deum colamus, Virtutes ſectemur, vitia fugiamus, & ſecundùm præcepta tum divina, tum humanas etiam leges, vel ad ſalutem, vel ad utilitatem, vel ad tranquillitatem ſive univerſi humani generis, ſive ſingularum civitatum, Rerumpublicarum & univerſitatum accommodatas, omnes actiones noſtras & vitam congruenter inſtituamus.

DIXI.

NICOLAI CISNERI

ORATIO

De Legum autoritate retinenda.

Ab illo pronuntiata, cùm Rectoris Academiæ Heidelbergenſis munere fungeretur.

SOLENNE ac quodammodo ordinarium eſt, *Patres conſcripti, ſtudioſa juventus, auditores optimi*, ut hoc tempore ab ijs, qui novos magiſtratus ineunt, de encomijs legum, earumque in omni Republica, & neceſſitate & utilitate aliquid dicatur; verùm cùm id jam antea toties factum ſit, & ſæpius etiam fiat, tædioſum ac propemodum ſupervacaneum fuerit, eâ de re nunc verba facere. Etſi enim

iterum

iterum ac tertiò (ut proverbium habet) quod pulchrum dicendum eſt, tamen ex frequenti iteratione etiam ejus, quod eſt optimum, tædium & nauſea dubio procul naſcitur; & jam ante legum utilitatem atque neceſſitatem, omnibus, aut ſaltem pleriſque ita innotuiſſe perſuaſum habeo, ut quaſi Jovis filium Corinthum dicturus, aut cramben repetere videar, ſi eandem iterum jam proponam. Attamen ne à receptâ conſuetudine omninò diſcedam, & ſcenæ nonnihil inſerviã, atque id quod mei officij eſt præſtem, *de legum authoritate retinenda*, pauca quædam recitabo. Quid enim attinet, bonas eſſe leges in Republ. niſi earum quoque vis atque autoritas vigeant? quid prodeſt leges in cœlum uſque extollere laudibus, ſi nemo ijs pareat? quæ legum poteſt eſſe commendatio, quarum non ſit uſus? Nulla certè omninò. Nam Ariſtoteles in Rhetoricis rectè dixit, paria eſſe, nullas eſſe leges & ijs non uti: Et Iuſtinianus in Novell. 161. inquit; Τί γὰρ ὄφελος ἔσαι τῶν νόμων, εἰ μέχει γραμμάτων εἶεν ὄντι, καὶ μὴ τὸ χρήσιμον, διὰ τῶν πραγμάτων αὐτῶν, καὶ τῶν ἔργων τοῖς ἀρχομένοις παρέχοιεν, id eſt, *quæ enim eſt utilitas legum, ſi in literis tantùm conſiſtant, non etiam per ipſa facta atque opera, ſubditis utilitatem de ſe præbeant?* Quare Ariſtoteles libro 4. Politicorum εὐνομίαν ſeu rectam legum rationem dicit non in eo tantùm eſſe, ut leges bonæ ſint conſtitutæ, ſed etiam in eo, ut omnibus perſuaſum ſit, ijs eſſe obtemperandum. Nam & leges, quarum uſus nullus eſt, inanes ſunt, & malis legibus ſi obtemperetur, εὐνομία dici non poteſt. Itaque & Plato in conſtituendâ Republicâ non

tantùm de nomothetis, ſeu legumlatoribus, ſed etiam de nomophylacibus ſeu legum cuſtodibus, & exſecutoribus copiosè diſſerit. Ac tantò magis de illa altera τῆς εὐνομίας parte, atque nomophylacia, legumq; autoritate retinenda dicendum eſt: quantò vita eorum, qui legibus parére debent, diſſolutior eſt, quantóq; mores ſubditorum ſunt corruptiores, Quàm pauci namque hâc tempeſtatum turbâ, & hâc veluti extremâ mundi fæce, inveniuntur, qui ſuum officium rectè faciant? Quàm non multi, qui legibus ut debent obtemperent, reperiuntur? Quàm frequentia ſunt hodie delicta? Quàm crebræ legum transgreſſiones? Quàm nulla ferè legum ubique vis? Atque utinam tam benè legum ſtaret autoritas, quàm rectè à ſapientibus ſunt conditæ. Legum profectò bonarum ubique ſatis eſt, obedientiæ verò parum, ut, quod *Anacharſis* Philoſophus aliquando dixit, leges eſſe veluti aranearum telas, quæ pauca animalia eáque minuta retineant, à pleriſque autem disrumpantur; id noſtro hoc ſeculo verius dici poſſit, quo non facilè legibus obtemperant, niſi qui perrumpere eas non poſſunt. Quod indignum admodum eſt hominum ſocietate & converſatione, cùm nullum vinculum fortius ac firmius ad cœtus hominum colligandos ſit, quàm leges; nihil humanæ naturæ magis conveniat, quàm converſatio & ſocietas. Vnde Ariſtoteles τῇ φύσει πολιτικὸν ζῶον hominem aliquoties pronunciat. Adeò, ut, qui legum vincula diſſipant, atque ſic humanam ſocietatem convellunt, veluti hoſtes naturæ & gigantes non immeritò cenſeri poſſint. Sanè eleganter ab Ariſtotele dictum eſt, ra-

tionem

Digitized by Google

tionem in homine eſſe veluti imperatricem, & hortari ad optima ſaltem in naturis benè conſtitutis, in diſtortis autem & depravatis naturis, affectus dominari & imperium obtinere. Quod ſi probè diſcutere velimus, rectè pronunciabimus, eos qui legibus obtemperare recuſant; non bonæ ſed diſtortæ & corruptæ eſſe naturæ. Lex ſiquidem nihil aliud eſt, quàm (ut Cicero loquitur) ratio ſumma, inſita in naturâ, quæ jubet ea quæ facienda ſunt prohibetque contraria. Et ſicut ratio vitioſos affectus in homine cohibet, ita legum autoritate, ut idem Cicero inquit, docemur domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Ac cum leges ſint inventæ, ut ſint emendatrices vitiorum, & commendatrices virtutum, à quibus vivendi doctrina ducatur, (ut Cicero loquitur, & Chryſippi definitio, quæ in l I. exſtat, non obſcurè oſtendit,) cùm leges ad ſalutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam & beatam ſint conditæ, cum imperent honeſta, prohibeantque contraria, cum à diis immortalibus inventæ & hominibus donatæ ſint & Deorum immortalium proprium ſit hominibus benefacere, atque rebus humanis conſulere, quis non videt atque intelligit, quàm remotiſſima ſit, atque eſſe debeat à bonis naturis inobedientia erga leges? quis judicare non poteſt, quid de iis pronunciandum ſit, qui legum præcepta non audiunt, earumq; autoritatem infringunt? Honeſta quidem & liberalia ingenia hæc facile expendunt, & ſuâ ſponte, atque ductu melioris naturæ, virtutiſque & honeſta-

tis amore libenter legibus obtemperant. Oderunt enim peccare boni virtutis amore, adeò ut in retinendâ legum autoritate. apud illos non multum laborandum ſit. Quia verò improborum plerumq; major eſt numerus, rari quippe boni, vix, ſunt numero totidem, quot Thebarûm portæ, ac divitis hoſtia Nili, ut inquit poëta; id in retinenda legum autoritate præcipuum eſt, ut malitiæ contumacium & inobedientium occurratur, ne boni aliquid etjam incommodi, ut fieri plerumque ſolet, propter illos patiantur, & in deteriori, quàm mali, ſint cõditione. Equidem, qui paululum pudoris & ingenuitatis habent, neque omninò & extremè mali ſunt, ſi non ipsâ honeſtatè, tamen turpitudine & ignominiâ moveri debent, ut ſuum officium faciãt, Quis etenim invenitur, cui quid melioris naturæ ſupereſt, aut in quo humanitatis aliquid viget, vel in quo non omnis generoſitatis vis eſt exſtincta, qui ſi non ipsâ honeſtate, turpitudine tamen moveatur plurimum? Si cogitet, vitiorum perpetuam comitem eſſe ignominiam & dedecus, inobedientiam autem erga leves vitiorum non eſſe poſtremum, imò ſi Ariſtoteli lib. 5. ad Nicom. cap. 1. credendum ſit, tranſgreſſionem legum omnem injuſtitiam continere. At quia multi nec ipsâ honeſtate nec turpitudine propoſita, ad legum obedientiam pertrahi poſſunt, acriori etiam in legum retinenda autoritate opus eſt remedio, legitimis videlicet pœnis. Etſi enim ſatis pœnæ habet ignominia, tamen apud quoſdam qui frontem perfricuerunt, nihil agitur, niſi ſeriò, & velati vinculis in officio retineantur. Quò pertinere videtur, quod Home-

rus

rus omnis virtutis pater, (ut Iuſtinianus Imperator eum appellat,) in Iliade fingit, Ulyſſem virum ſapientem Grajos reditum in patriam parantes, ad oppugnandam Trojam revocare oratione prudenti, & verbis benignis, præſertim verò hâc ratione, quod dicebat turpe eſſe diu manſiſſe & vacuum redire: Cui orationi cùm plerique acquieviſſent, ſolum Therſiten hominem ut corpore, ita animo deformem, inobedientem & rebellem ſe exhibuiſſe, quare verberibus ab Ulyſſe, *eum*, ut conticeſceret, adactum: ſignificans, aliter bonos ac mediocres, aliter malos coërceri, ut faciant, quod ab illis requiritur. Generoſus enim animus, ut Seneca ait, rectius ducitur quàm trahitur; at homines ſervili, & illiberali ingenio præditi, non niſi verberibus ac pœnis redduntur meliores, Nam Phryx, ut in proverbio eſt, non niſi plagis emendatur. Quare *Ageſilaus* magnus ille Lacedæmoniorum rex interrogatus, quâ ratione tantam multitudinem in officio retinere poſſet, reſpondiſſe fertur, benignitate verborum, & gravitate pœnarum. A quâ ſententiâ non eſt alienum, quod *Ulpianus* Iureconſultus, in libro primo de juſtitia & jure, Iureconſultos ſacerdotes juſtitiæ vocat, eò quòd bonos efficere cupiant non ſolùm metu pœnarum, verùm præmiorum quoque expectatione. Itaque & *Solon* Athenienſis ſapiens unus ex ſeptem, & qui ex ſeptem ſolus ſcriptor legum fuit, Rempublicam duabus rebus conſtare dixit, præmio & pœna, ſi Ciceroni credimus. At Democritus Philoſophus, ut autor eſt Plinius, duos omninò Deos eſſe cenſuit, beneficium nempe, & pœnam. Ad retinendam

igitur legum autoritatem, apud improbos præſertim, ſolum ferè & unicum remedium in legitimis pœnis conſiſtit. Leges namque non ſunt otioſa præcepta Philoſophorum ſine exſecutione, ſed talia quæ in civili ſocietate obſervanda omninò ſunt, ut transgeſſores coërceantur. Sic Modeſtinus in oratione legis, virtus, inquit, legis hæc eſt, imperare, vetare, promittere, punire. Et definitio Iuſtitiæ ſatis oſtendit, bonos præmia & defenſionem, malos autem pœnas demereri; cùm dicitur eſſe jus unicuique tribuendi ſuum, idque eleganter in ejus deſcriptione expreſſit *Heſiodus* in ἔργοις, cùm oſtendit eam ſine vindictâ nequaquam contemni, & cultores ſuos multis commodis afficere, & inter cætera inquit, ἡ δὲ παρθένος ἐστὶ δίκη, &c.

Id eſt,

En Dea juſtitia eſt magno ſata de Jove, virgo,
Inclytaq; & cœlum, quibus eſt veneranda Deabus,
Hac ubi judicio rectum violatis inique.
Mox patri, ad cujus latus aſſidet, ora reſolvens,
Incuſare ſcelus non deſinit, impia regum,
Qui jus pervertunt & credita regna profanant,
Auſa: luunt pœnas donec popularibus aquas.

Idq; & Chryſippus, in juſtitiæ deſcriptione, quam refert Gellius lib. 14. c. 4. ſatis etiam expreſſit, cùm ait, eam hâc imagine à pictoribus fieri ſolitam formâ atque filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus neque humilis, neque atrocis, ſed reverendæ cujuſdam triſtitiæ dignitate, verba ejus ſunt: Παρθένος δὲ εἶναι λέγεται, κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορον εἶναι, καὶ μηδα-

μηδαμῶς ἐνδιδέναι τοῖς κακούργοις, μηδὲ προσίεσθαι μήτε τοὺς ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων. Οἷς ἀκολούθως καὶ σκυθρωπὴ γράφεται καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ ἔντονον, καὶ δεδορκὸς βλέπουσα ὥστε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος, τοῖς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντος τοῦ τοιούτου προσώπου, τοῖς δὲ ἑτέροις προσάντους. Id eſt, Virgo eſſe dicitur, quod ſymbolon eſt, incorruptibilem eſſe; quæ maleficis nihil concedat, non blandos ſermones, non excuſationem, non precationem, non aſſentationem, neq; verò aliud quicquam talium admittat, triſtis denique & contracta fronte pingitur, atque intenta, aſpectu præterea torvo, ut injuſtis terrorem incutiat, juſtis verò confidentiam præbeat; hujuſmodi nimirum vultu, qui tum adverſus amicos gravis, adverſum inimicos formidabilis. Atque hæc non obſcurè, ut opinor, quomodo legum autoritas retinenda ſit, docent.

Porrò in authoritate retinendâ, non incommodè militaris virtutis exempla ſequemur, quæ docet, quòd adverſus ſubjectos benevolentiâ, adverſus rebellantes audaciâ utendum ſit, ut habet dictum *Ageſilai* regis Lacedæmoniorum, id nobili carmine expreſſit Virgilius, cùm ait:

Tu regere imperio populos, Romane, memento
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Sicut enim boni ducis eſt obedientibus parcere, rebelles verò opprimere armis: ita ejus, qui Reipublicæ præeſſe vult, id potiſſimum eſt, ut bonos defendat atque tueatur, improbos verò etiam cor-

poralibus pœnis coërceat; quod & ſacræ literæ magiſtratui imponunt. Cùm enim non fruſtrà poteſtatem ſeu gladium gerere dicunt, ſed ut ſit ultor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit, ut D. Paulus ad Romanos 13. affirmat. Adeò enim pœnis in retinendâ legum authoritate opus eſt, ut ſi creſcat malitia ſubditorum, aliquando exacerbandæ ſint, quò pœna unius ſit metus multorum. Nam ita præſtantiſſ. Iureconſultus *in L. cum facta de pœn.* inquit, Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quotiens nimium multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſt; Nobile & memorabile eſt apud Aulum Gellium exemplum, quod oſtendit, nonnunquam neceſſarium eſſe; ut mulctæ vel pœnæ, quæ ad coërcendam malitiam non ſufficiunt, augeantur. Cum enim in XII. tabulis ſcriptum eſſet, *Si injuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ ſunto*; Quidam Lucius Neratius, homo egregiè improbus, atque immani vecordiâ erat, qui pro delectamento habebat, Os hominis liberi ſuæ manus palmâ verberare, cum ſervus ſequebatur, crumenam plenam aſſium portitans, & quemcunq; depalmaverat Dominus, numerari ei ſtatim ſecundum XII. tabulas quinque & viginti aſſes jubebat. Quæ res poſteà Prætores Romanos movit, ut hanc mulctam abolerent ac relinquerent, & injurijs æſtimandis ſe recuperatores daturos edicerent. Tales Neratij dubio procul non pauci noſtris temporibus inveniuntur, qui, ſi intelligunt, legibus aut nullam, aut non magnam pœnam comprehenſam, contemptu quodam quaſi impunè peccant; at non intelligunt,

Gell. lib. 20. c. 1.

gunt, magiſtratum conſideratis atque examinatis circumſtantijs, ſæpè pœnam poſſe augere, & ex officio debere, ut ſalva ſit Reſpublica & improbitati multorum occurratur. Quæ cùm ita ſe habeant. manifeſtè ut opinor, intelligitis, non eſſe ſatis, leges eſſe in Reſpublicâ bonas, niſi autoritas earum quoque ſuſtineatur, non tantùm benevolentiâ, & humanitate apud bonos, ſed etiam ſupplicijs ac pœnis apud rebelles, & improbos. Ad quam rem cùm ab initio requiratur cognitio ejus, quod lex præcipit, diligenter quæ leges Reipublicæ noſtræ præcipuæ & ordinariæ ſint, omnes ac ſinguli animum advertant.

RECITATIO LEGUM.

Hæc ſunt, auditores dilecti, quæ in Republ. noſtrâ ſervari, ejus neceſſitas atque utilitas poſtulat, quæ quia vobis nunc cognita ſunt, reſtat ut ſecundum illa & vitam & ſtúdia veſtra formetis, ita, ut potius benevolentiâ ac præmijs, quàm pœnis digni ſitis. Ego enim, quod ad meum officium attinet, non committam ut quid magiſtratu indignum, privatâ aliquâ animi affectione agam; ſed leges, quarum veluti cuſtos & inſpector conſtitutus ſum, ſequar atque obſervem, bonos humanitate amplectar; malis, ut par eſt, ſuum quoque reddam. Omnes autem, ac ſingulos adhortor, ac, ſi fas eſt, rogo, ut vitam ſuam ita inſtituant, quò parentem me, quàm magiſtratum aut legum vindicem potiùs habeant. Quòd ſi ſui causâ id forſan facere nolint, ſaltem mei causâ, benè vivant, ne

mihi,

mihi, homini aliâs ſatis occupato, & multis moleſtijs, his præſertim temporibus turbulentis, diſtento, plus etiam & laboris, & moleſtiarum adferant. FAXIT DEUS OPT. MAX. Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut Reſpublica noſtra diu ſit tranquilla, & honeſta ſtudia cum ſuis cultoribus feliciter foveantur.

DIXI.

ORATIO
Clariſſimi viri,
D. NICOLAI CISNERI I. C.

Habita in prælectione Legum Collegij facultatisq́; Iuridicæ. 5. Maji, anno 1561.

QUOD in more poſitum eſt, & tanquam ſolenne ab ijs obſervatur, qui vel Academiæ, vel collegij facultatisque ſuæ, & à maioribus traditas, & ab illuſtriſſimo Principe noſtro confirmatas leges publicè recitare ſolent, ut tum vel generatim, omnium liberalium ſtudiorum, vel ſpeciatim eius diſciplinæ, quam præcipuè excolunt, & vim effectumque declarent, & laudes prædicent; tum ad diligentem, & eorundem ſtudiorum curam, & legum obſervationem auditores ſuos adhortentur; de iiſdem & ego, ne à recepta conſuetudine diſcedere videar, ante differam, quàm ad legum collegii noſtri recitationem veniam.

Hoc

Hoc igitur vobis, Studioſi, perſuaſiſſimum eſſe velim, noſtrarum legum autoritatem eſſe divinam & ſacroſanctam. Omnes enim bonæ leges ab ipſo Deo ducunt originem, & hominibus imperantur, Id docent ἔννοιαι κοιναὶ, communes illæ notiones mentibus noſtris impreſſæ: ex quibus tanquam ſcintillis prudentes legiſlatores ignem luculentum optimorum ſtatutorum elicuerunt.

Nec eſt, cur quis dicat, iſtud de eo iure eſſe accipiendum, quod naturæ noſtræ, quaſi norma & regula quædam ſit inſitum, quo non ſolùm ius & iniuriam inter ſe, ſed omninò omnia honeſta ac turpia dijudicemus: & honeſta in virtute, turpia in vitiis ponamus, id verò cum idem ſit, quod mens ratioq; prudentis: quæ de eius dignitate dicuntur, ea non eſſe referenda ad illam juris tractationem, quæ nobis hîc in ſchola ſit propoſita; Quæ enim juris ſunt naturalis, quia latiſſimè pateant, vitæque benè & rectè degendæ tum principia, tum viam etiam & rationem complectuntur, eorum doctrinam, noſtris præſertim temporibus, magis à Theologis, & Philoſophis ἠθικοῖς, quàm à Iureconſultis eſſe petendam. Nam Theologi cum in legis divinæ interpretatione verſantur, cum ad virtutes, & rectas vitæ actiones homines adhortantur, cùm à vitiis homines abſtinere, domitas habere libidines, coërcere vitioſas cupiditates docent, cum quæ præmia virtutibus, pœnæ vitiis divinitus impoſitæ ſunt, tradunt; ea quæ juris ſunt naturæ perſequuntur. De legis, non Evangelij doctrinâ loquor, hæc enim nullâ Naturæ notione, aut intelligentiâ humanæ rationis, vel conſtat, vel compræhenditur;

ſed

ſed per filium Dei, ex ſinu æterni patris nobis, ejuſdem immenſâ bonitate patefacta, fide & percipitur & nititur. Sic & Philoſophi, cum de eâ Philoſophiæ parte, quæ de officiis atque moribus eſt agunt, à quibus conſtanter honeſteque vivendi (quod ad civilem vitam pertinet) præcepta ducuntur, ea omnis ex Iuris Naturæ fontibus hauriunt.

Verùm enimverò licet ea, quæ juris Naturæ propria ſunt, etiam Theologis & Philoſophis communicentur; tamen non idcircò à ICtorũ officio, tametſi in juris civilis interpretatione vel tractatione verſentur, removebimus. Neq; enim illi tãtùm humiliora iſta, de ſtillicidiorum vel parietum jure diſputant, de ſtipulationum aut judiciorum formulis, de partu ancillæ tractant: verùm Rerum publicarum inſtituta, aliarumq; etiam optimarum rerum, in quibus juris vis conſiſtit, cognitionem complectuntur, legesq; de ijſdem proponunt. Hinc quæ olim Philoſophi ſibi ſumſerunt, ea *Vlpianus* potiùs Iuriſconſultis tribuit. Ut enim Philoſophos & officij & benè vivendi diſciplinam profiteri, *Cicero* refert, & ipſam Philoſophiam virtutis indagatricem, expultricem vitiorum vocat; quæ urbes pepererit, quæ homines ſocietate vitæ obſtrinxerit, quæ tranquillitatem vitæ largita ſit: Sic & *Vlpianus* Iureconſultos juſtitiam colere, boni & æqui notitiam profiteri, bonosq; cives & metu pœnarum & præmiorum oblatione efficere tradit, & ipſe etiam *Cicero* lib. 2. de LL. juſſa ac vetita populorum, vim habere ad rectè facta vocandi, & à delictis avocandi, itemq; leges ad ſalutem civium, civitatumq;

tatumq; incolumitatem vitamque hominum & quietam & beatam conditas eſſe refert. Quin ut idem Cicero & de rebus divinis, & de magiſtratibus, officiiſque publicis, & de privatis rebus leges præſcribit: Sic & Ulpianus jus aliud pro Reipublicæ ſtatu, aliud pro ſingulorum utilitate conſtitutum docet: quod ipſum non tantùm ex civilibus præceptis conſtare, ſed & ex jure gentium & naturali collectum eſſe oſtendit. Hinc ut alij Philoſophiam rerum divinarum ſcientiam, ſic & Ulpianus Iuriſprudentiam definit. Quod verò officij genus, quæ doctrinæ de moribus pars, non in tribus his Iuris Præceptis concluditur, quæ ab eodem Ulpiano referuntur, nimirum, *Honeſtè vivendum, Neminem lædendum, ſuum cuique tribuendum eſſe?* Porrò cum ſuperioribus temporibus, Iuris Pontificij cognitio, quod quædam ſanctorum patrũ placita, & cõciliorum decreta complectatur, omninò ferè à IC. idcircò requiſita ſit, ut quæ Chriſtianæ ſint religionis, perſpecta haberent, cur in hâc tantâ luce noſtrorum temporum; ſacrarum literarum, & præcipuorum capitum doctrinæ cœleſtis notitiam non expoſceremus, & Iuris Civilis adjungeremus? Sed quid in his diutius immoror, cùm hâc ipsâ de re, ſummâ cum laude, ſuperiori anno, pluribus hoc in loco Clariſſimus collega noſter Franciſcus Balduinus dixerit. Ac ut maximè demus, potiſſimam nos operam juri civili navare, num idcirco quis, aut leve hoc aut inutile ſtudium noſtrum eſſe exiſtimaverit? Quaſi verò vel eundem ſcopum jura civilia, vel eundem finem cum jure Naturali non habeant? Ut enim *Cicero* demonſtrat,

monſtrat, hæc ipſa quoq; jura, quæ quiſq; ſibi populus quaſi ꝓpria conſtituit, & ad omnium rerum principem Naturã, unde profecta ſunt, diriguntur: & ad ſalutem civitatum, atq; utilitatem Rerumpublicarum ſcribuntur. Et qui primùm ejuſmodi ſcita ſanxerunt, populo oſtenderunt, ea ſe ferre, quibus illi honeſtè beateq; vivant. Hinc in ijs, quæ ſunt contra rectam rationem legemque naturæ, nec jura quidem conſtitui poſſunt; Neque enim eò dementiæ & impudentiæ proceſſerunt, ulli legiſlatorum prudentium, ut decreta ſcitaq; turpia vel noxia proponerent, aut populo perſuaderent; ut quæ mala & pernicioſa ſunt, pro bonis ac ſalutaribus haberentur, aut ut jus eſſet latrocinari, jus adulterare, jus teſtamenta falſa ſupponere. Quin ſi qui in populo, aut injuſta aut peſtifera juſſa deſcripſerunt, quia contrà fecerunt quàm polliciti, profeſſique ſunt, quidvis potiùs tulerunt, quàm jura, quàm leges Civiles: perinde ut nec medicorum præcepta verè dici poſſunt, ſi quæ inſcij imperitiq; pro ſalutaribus mortifera conſcripſerunt. Ex quo apparet, jura civilia nec in totum à naturali vel gentium jure recedere, nec ad alium finem conſtitui poſſe, quàm ad incolumitatem utilitatemque civium.

Neque verò excellentibus illis legum latoribus, quos tantopere vetuſtas celebravit, aliud fuit propoſitum quàm cùm animadverterent propter vitioſitatem depravationemque Naturæ, nec notiones illas rectæ rationis planè vigere: nec propter varietatem rerum unum illud atque perſpicuum jus, unâ eâdemque ratione proponi poſſe, ut legis

Natu-

Naturæ, ad quam tanquam ad Cynoſuram ſpectabant, vim, in ſuas leges, quoad ejus fieri potuit, transferrent: non tamen eidem per omnia ſervirent. Itaque licet ad eandem metam, juſtitiam ſcilicet, omnes tenderent, non tamen unâ tantùm viâ eâdemq; ratione utebantur; quod in diverſi loci, naturæ atque ingenij hominibus, non eundem in jure habendo modum ſe tenere poſſe prudenter attenteque conſiderarent. Quare ut finem ſaltem juri naturæ propoſitum conſequerentur, ſtudebant; quo modo & quâ ratione ad eum pervenirent, non laborabant. Hinc licet ſummoperè & *Lycurgi*, & *Solonis*, & *Zaleuci*, & *Zamolai* leges prædicatæ ſint, tamen quia illi non iiſdem gentibus leges tulerunt: aliæ Lacedæmoniorum, aliæ Athenienſium, aliæ Locrenſium, aliæ Fhuriorum, aliæ Getarum leges, juraque civilia fuerunt. Etſi autem in ratione ſciſcendi propter diverſitatem circumſtantiarum fuit diſſimilitudo: tamen eundem finem omnes illi juris legumq; conditores ſpectaverunt, ut videlicet juſtitia coleretur, conſociatio inter ſe hominum retineretur, & tranquillitas incolumitasq; civium ſervaretur. Idem etiam ſcopus in ſuo jure conſtituendo Romanis propoſitus fuit, qui eâ æquitate jus ſuum temperarunt, ut multæ civitates & populi, jure ſuo relicto, illud ſint amplexi. Iam etiam ſuâ ætate *Polybius*, Jus civile Romanorum, non dubitavit cæterarum omnium civitatum & populorum legibus anteponere. Nec verè in ullo populo tanta fuit Iuriſprudentiæ cura, tantumque ſtudium, nec tanta IC. autoritas, dignitas & amplitudo, atque apud Romanos. Quare

præclarum fuit *Lotharij* Imperatoris inſtitutum, quod eorũ jus civile in ſcholis doceri, & ad judicia, &tribunalia revocari,ex eoq; jus dici curavit. Quod cum etiam id temporis ab ingenioſis & prudentibus viris cupidè receptum ſit: & hodie à doctiſſimis exercitatiſſimisq; viris maximè comprobetur, non eſt, Optimi auditores, quòd vel minimum ſuperſtitioſorum & fanaticorum hominum deliria vos moveant, qui, rejecto hoc jure, vel ex ijs, quæ ipſi finxerunt, vel ex legibus Moſaicis potius judicia & tribunalia noſtra conformari putant, quorum ineptiæ jampridem à ſummis viris ſunt abundè confutatæ; Nec invidorum hominum obtrectationes & inſidiæ nos in cœpto ſtudio retardent, qui ambitione excœcati, honeſtiſſimum hunc ordinem, quem ſuis cupiditatibus obſiſtere ſentiunt, deletum cuperent, quo liberius poſtea pro ſua libidine dominari & regnare poſſint. Quibus licet ilia rumpantur, nihilominus tamen, quamdiu aliquis reliquus erit Reipublicæ ſtatus, Iuriſconſultorum ordo nõ concidet, nec civilia hæc ſtudia prorſus collabentur. Certum eſt enim, nec domum ullam, nec civitatem, nec gentem, nec hominum inter ſe ſocietatem, ſine lege & jure conſiſtere poſſe. At fruſtra leges & jura ſunt in civitate, niſi ſint quoque, qui leges tueantur & jura reddant. Quare hujus noſtri ordinis calumniatores & obtrectatores, nolint velint, horum civilium ſtudiorum tractationem ex manibus hominum excutere non poterunt, aut ſumma rerum omnium confuſio & perturbatio ſequatur neceſſe eſt, qua & illi ipſi quoque tandem obruantur. Horum igitur vel

ſtulti-

ſtultitiam, auditores, floccifaciamus: vel malitiam virtute noſtra frangamus, & in hanc noſtram diſciplinam cognitione rerum maximam, uſu & tractatione præſtantiſſimam, quæ ſalutem Rerumpublicarum, incolumitatem civium, vitæque hujus tranquillitatem tuetur & conſervat, omni curâ & ſtudio incumbamus, nihilq; ejus dignitate & utilitate prius, nihilq; antiquius ducamus.

Reliquum eſt, ut de legibus ipſis videamus. Sunt autem hæ. &c.

NICOLAI CISNERI
De præſtantia & utilitate Ethices.
In Ariſtotelis libros de Moribus
Oratio,

Habita Heidelbergæ, Anno 1552. cùm Profeſſionem Philoſophiæ Moralis in Academia primus auſpicaretur.

Quòd Deus æternus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti pro immensâ ſuâ & infinitâ erga nos benevolentiâ, his perditiſſimis temporibus nobis tantum quietis & pacis conceſſit: ut optimarum artium ſtudia ad omnes vitæ partes neceſſaria tractare poſſimus, gratias ei immortales & agimus & ſummâ animi contentione habemus. Nam cùm *Gratiarum actio pro pace, poſt bellum Germanicum.*

jam perturbata ſint omnia; cùm omnes ferè civitates & provinciæ ardeant bellis; cùm multis calamitatibus ad perniciem penè profligata ſit communis patria noſtra Germania: ingens profectò clementiſſimi Dei eſt beneficium, quòd hæc ſchola non ſit diſſipata: niſi verò, quantopere Martis tumultus Muſarum ſtudia averſentur, ignoremus. Quoniam igitur hæc nobis tranquillitas in mediis belli fluctibus magis ope & auxilio divino, quàm ratione conſilioq; noſtro accidit: toto eum pectore precor, ut cùm univerſum rectè docentium & diſcentium cœtum tueri & ſtudia doctrinarũ conſervare velit: tùm & hoc inſtitutum meum pro inexhauſta ſua clementia fortunare. Quòd eò magis eſt ab ipſo ſummis flagitandum precibus, quod periculum eſt, ne, ſi ipſe nobis non adfuerit, immanis illa & intoleranda barbaries rurſum conſequatur; Quam ſi qui ſint, qui revocare ſtudeant, illi profectò digni nõ ſunt, ut hanc ſuaviſſimã lucem intueantur; Quibus equidẽ libenter permiſero, ut in illâ tetrâ voluptate, ad ſatietatem uſq;, Cymmeriorum ſe involvant tenebris, vel denſioribus etiã, ſi appetãt, modò nobis noſtrã lucẽ nõ invideãt, aut adverſnetur. Et quia mihi dubiũ non eſt, quin hoc meũ ſtudiũ & ſuſceptio explicandæ de moribus doctrinæ in quorundam reprehenſionem incurrerit: antequam rem ipſam aggrediar, pro me pauca dicam, non quò mihi potior ſit, hoc quidem tempore, excuſationis meæ quàm officij ratio: ſed ut cauſa hujus inſtituti cognita & probata, majori cum benevolẽtia, reliqua hoc in loco dicentẽ audiatis. Quòd ſi igitur ſunt, quibus alienum videtur, quòd τῶν ἠθι-

Εὐχή.

Cur Ethicen ſuſceperit.

κῶν

κῶν explicatio primùm ſit his tẽporibus conſtituta, quæ à majoribus noſtris publicè expoſita non fuerint: quanquam nec illis quidem ad eam normam omnia officiorũ momenta dirigentibus, nec mihi conſtat, quomodo illa pars Philoſophię omniũ utiliſſima ſit ab iis pertractata; quã, qua fuerũt prudẽtia, haudquaquã omiſiſſe credo: tamen ſi vim hujus ſtudij ignorẽt; quãta utilitas hinc ad bene vivendũ demanet; ex me paulò pòſt intelligẽt. Cujus magnitudinẽ cum Princeps noſter Illuſtriſſ. Elector *Fridericus*, cũ ſuis Conſiliarijs cõſi[illegible]aret: cujus benignitati, quidquid hinc cõmodi [illegible]ſcetur, acceptũ ferre debem⁹: re in omnes partes deliberatã, & cum alijs doctrinæ generibus collatâ, hãc præ cæteris in ſcholã ſuã inprimis introducendã eſſe exiſtimavit. Quanquã quid op⁹ eſt, ut his reſpondeã? qui ſi uſq; eò ab omni morũ & virtutũ diſciplinâ abhorrẽt, ut huic laudabili inſtitutioni reluctentur, ut eos hujus doctrinæ expoſitio minimè injucũda & inutilis offendat; ꝑfectò tã barbaris & importunis hominib. nullis argumentis, nulloq; orationis genere ſatisfeceris. Qui a. ſi hoc maximè placeat, alios malunt judicio & prudentia p̃ſtantiores, quàm me, qui nec ingenio multũ, & uſu parũ poſſũ, huic officio præeſſe: illis ego, ſi Principis mens cum illorũ volũtate cõgrueret, non invit⁹ accederẽ. Etenim ſi ego ijs, q̨ publicis com̃odis melius cõſulere poſſent, meis rationib. impedimẽto eſſe vellẽ: facerẽ improbè; quãtũvis id ſit com̃une noſtrorũ temporũ vitiũ. Cum verò mihi ſit, non magnopere appetẽti, ſed ꝓ occaſione & mori & ſtudijs meis accommodata, abitum cogitãti, ab Illuſtriſſ. Principe, Domino meo clemẽ-

tiſſimo, hoc munus collatum, quid eſt, quòd illi ſint in me iniqui; quibus hoc beneficium nondum erat expectandum? Nam quia illius potiſſimùm ſumtibus hæc functio continetur; facilè quivis æſtimare poterit; niſi tanta eſſet Principis in ſtudia optimarum artium propenſio, tantaq; in me benevolentia, hâc de fontibus virtutum & præclararum actionum enarrationem loco publico inſtitutam fore. Quare cum hæc ejuſmodi cauſa ſit, quam nec induſtrius, nec officioſus, nec publicæ utilitatis ſtudioſus deſerere poſſit; nec mihi, ut ſpero, ab ullo viro bono vitio dabitur, ſi nec benevolentiam illuſtriſſimi in me Principis ignorare, nec autoritatem aſpernari, nec voluntatem negligere voluerim. Et quia utile & fructuoſum ſcholæ noſtræ judicavi, quòd me huic loco præfecerit: ſummo in id ſtudio ſummaq; cura incumbam, ut ſi me exquiſitum judicium, varia rerum cognitio, & ſingularis quædam defecerit eruditio, fidem tamen in docendo, & diligētiam in inquirendo non ſitis deſideraturi,

Propoſitio. Sed quia hanc defenſionem meam apud æquos locum habituram ſpero, veniam nunc ad id, cujus cauſa huc acceſſi. Nec verò hîc omnia ea quæ Græci προλεγόμενα vocant, dicam: quorum quodlibet multis exponi poſſet: ſed ea tantùm, quæ principio præteriri nullo modo poſſunt: ut, quæ ſit hujus inſtitutionis utilitas: & qua de cauſa Ariſtotelis potius ἠθικὰ explicare duxerim; quaq; ratione exponere conſtituerim, indicabo. Cætera, quæ vel in aperto ſunt poſita, ut de natalibus, patria & vita autoris, veſtris ingeniis judicioq; committam: vel, de quibus poſteriori loco eſt agendum, ut de inſcriptione,

ptione, argumento, & ordine librorum, craſtinà die explanabo. Ac primò quidem cum nos Plato jubeat in omni negotio, in omni actione, in omni rei alicujus inſtitutione finem conſiderare: ut ſciamus, quo quidq; referre debeamus: utinam magnitudinem utilitatis, quæ ex hac Philoſophiâ morali proficiſcitur, oratione exprimere & declarare poſſem: Sed quia vim ipſius non modò facultate conſequi, ſed ne cogitatione quidem complecti poſſum: veſtrum erit omnia, quæ adferri ad hanc rem poſſunt, etiamſi à me minus dicuntur, veſtris animis & cogitationibus comprehendere. Nos enim perinde ac qui magna numina ſale & farre colere conſueverunt, quicquid noſtrâ operâ & ſtudio colligere potuimus, ad excellentiam hujus doctrinæ oſtendendam in medium conferemus. Ecquis veſtrum eſt, quin quanta ſit univerſæ Philoſophiæ dignitas ſciat. Nam ſive in naturæ conſiderationem, & in rerum à naturâ provenientium contemplationem intueamur, ſive diſſerendi rationem nobis proponamus, ut quid verum, quid falſum ſit, quid conſentiat, quid repugnet, judicando in re quaq; cognoſcamus: ſive in honeſtè vivendi & morum præcepta animum dirigamus: nullum bonum ſapientiâ optabilius, nullum præſtantius, nullum homine dignius in hac rerum humanarum conditione reperiemus. Etenim quæ vita hominum eſſe poſſet, niſi ex Phyſicis vitæ ſubſidia & morborum medicinam peteremus? quæ certi ab incerto, primorum à medijs & ultimis eſſet diſcretio, niſi diſtinguendi ratio nobis ex Dialectica ſuppeteret: quæ hominum inter ipſos conſociatio,

Vſus Ethices.

Philoſophia dignitas.

Phyſic.

Logic.

niſi conſilio & diſciplinâ morum ad juſtitiam atque manſuetudinem traducerentur? Neque enim ſolùm ea Philoſophiam complectuntur, quæ à Philoſophis perſcripta ſunt, verùm elementa tantùm & fontes in illorum libris traduntur: faſtigium autem & θριγκὸς (ut Plato vocat) à Jureconſultis & Medicis imponitur: cùm horum Profeſſio nihil aliud ſit, quàm copioſior rerum naturalium, illorum autem, morum & legum quâdam cum varietate expoſitio. Quid? quod *Plato* illuſtrem Dei famam in artibus his ſparſam eſſe prodit? Quid? quod *Paulus* hanc humanarum divinarumque rerum cognitionem *veritatem Dei* ad Rom. cap. 1. v. 18. & 25. vocet? Itaq; ſi quis eſt tam ferus, tam barbarus, tam crudelis, ut hoc præclariſſimum ſummi Dei in nos beneficium aſpernetur, cum, ſi ex animo faciat, hominem de homine exuiſſe, & in aſini naturam transformatum eſſe exiſtimo. ſin verò ſtudio maledicendi, calumnioſum in Deum judico. Herodem ſcribunt filium Antipatri Idumæi, qui ex humili ſtirpe & obſcurâ familiâ ad ampliſſimum locum, & regium evectus erat faſtigium, omnes clarorum, & alto loco oriundòrum genealogias, quas quidem in ſuâ ditione conquirere poterat, mandaſſe aboleri: ut ſublatis de origine antiquiſſimâ, ejusque familiæ monumentis, ignobilitas etiam ſui generis minus poſteris innoteſceret. Similima eſt vituperatorum Philoſophiæ ratio: quorum alij cum tam ſalutarem vitæ doctrinam non didicerint: aut, ſi pro vulgi more in illa verſati, uſum ejus non cognoverint:

Jurecoſſ. Medici.

In contemtores Philoſophiæ.

tint: alij quæſtuoſas artes ita in delitiis habeant, ut ſine lucro nihil gratum, nihil jucundum, nihil honeſtum eſſe ducant, quò magis vel inſcitiam ſuam obtegere, vel perverſitatem occultare poſſint, conjunctis viribus bellum innocentiſſimis Muſis inferunt, & in earum perniciem conſpirant. Sed quid ego nunc ineptus vel de illius præſtantia, vel de horum impudentia in hoc ornatiſſimo doctiſſimorum virorum cætu declamem? ignotam ſcilicet rem pluribus verbis commendem; quaſi aut vos de ipſius nobilitate dubitaretis: aut illa à præſtantiſſimis quibuſq; autoribus collaudata non eſſet?

Collatio moralis Philoſophiæ cum cæteris partibus.

Cùm igitur tota Philoſophia bona ac fructuoſa, nec ulla pars ejus inculta atque deſerta ſit: tum nullus feracior, nullus uberior, nullus florentior in eâ locus eſt, quàm de vitâ & moribus. *Socratem* ſcribit *Cicero* hac de causâ ab *Apolline* ſapientiſſimum eſſe dictum: quod primus à rebus occultis, & à naturâ ipsâ involutis Philoſophiam avocarit, & ad vitam communem adduxerit: ut de virtutibus & vitiis, omninoque de bonis rebus & malis quæſiverit. Ac quidem haud ſcio, an non omnis vitæ degendæ ratio, omnes officiorum fontes, tota hominum communitas hac potiſſimùm parte contineatur. Non faciam, ut enumerem omnia adjumenta & auxilia, quæ ex hac doctrinâ in nos derivantur. De his ſolùm paucis diſſeram, ſine quibus nos in pace & tranquillitate vivere non poſſumus.

Vide Xenophont. ἀπομνημονευμ. libr. 1. Socratis ſermonem a. præſtantia Ethices.

Quid tam nobis in omni actione & opere quæ-

De Fine hominis.

rendum eſt, quàm quid ſit finis, quo ſint omnia bene vivendi recteq; faciendiq; conſilia referenda: quid ſequatur natura, ut ſummum ex rebus expetendis; vel fugiat, ut extremum malorum. Quantopere enim proſit in omni munere vitæ, optimum & veriſſimum exquirere, oſtendit oratorum ſapientiſſimus & Philoſophorum diſertiſſimus Cicero: cum omnem vitæ rationem ſummi boni definitione ſcribit comprehendi. Etſi autem in hac perdifficili & perobſcurâ quæſtione nullus Philoſophorum ad veritatem prorſus pervenerit: tamen nos in tantâ varietate ac diſſenſione illorum non abs re facturos arbitramur: ſi ſententias tã diſcrepãtes inter ſe Philoſophorum ad verã normam contulerimus & qui propius ad rem ipſam acceſſerint, qui longius receſſerint, expoſuerimus. An quid grando, nix, ros, pruina, quæ ratio tonitru, fulminis, fulguris, quot aſpirationum ſint genera: quibus ex cauſis oriantur, ex comparatione diverſarum inter Philoſophos rationum oblectationis causâ indagamus: in his ea, quæ vitam complectuntur omnem, negligemus? Neq; verò eorum mihi probatur opinio, qui non id ultimum bonum Philoſophos inveſtigare voluiſſe ſentiunt: ad quod omni noſtrâ cogitatione omniq; ſtudio aſpiramus. Nam ſi in eo vitam non poſuiſſent beatam, unde illa orta eſſet diſſenſio? Sitne quis quoad vivat, beatus, an expectandum extremum ætatis tempus, ut tum demum felicitatem conſecutus videatur, cum ſupremum vitæ diem morte confecerit? Ergò eam illis ſtatuamus, ſecretis malis bonorum complexionem & beatitudinem fuiſſe pro-

ſe propoſitam, quâ nos credimus, beatos ævo frui ſempiterno. Ut autem innumeras Philoſophorum ſententias ad certa quædam capita revocemus: primum has ſimplices defenderunt, nihil bonum, niſi honeſtum, ut *Stoici:* nihil bonum niſi voluptatem, ut *Epicurus:* nihil bonum niſi vacuitatem doloris, ut *Hieronymus Rhodius*. Deinde illas compoſitas; mixta tria genera bonorum, maxima animi, ſecundaria corporis, externa tertia, ut ex his virtutis actio flueret, ut *Peripatetici:* voluptatem cum honeſtate copulatam: ut *Dinomachus* & *Caliphо*, à quibus parum in *Idea boni* diſcrepabat *Plato;* indolentiam honeſtati adjunctam, ut *Diodorus*. Et omnes quidem excutere opiniones ſupervacaneum ſit, contenti autem erimus, ſi earum potiſſimum collatione utamur, quæ aliqua firmâ nituntur ratione. Quorſum enim attinet multa de eorum decretis verba facere, qui id ultimum bonum conſtituerunt, quod homini non ſit propriũ, & cum cæteris animantibus commune? Nam ſi opera & induſtria hominis paratur, ijs ſit præditum affectionibus oportet, quas & Ariſtoteles recenſet: primum ut tantum in hominem cadat, non ulli alij animanti ſubjiciatur: deinde ut à præſtantiſſima animi facultate proficiſcatur, tum ut perfectiſſima, & optima ſit ejus partis actio: quæ rationis eſt particeps. Quare ne dicendum quidem puto de eorum ſententiis, qui omnibus numeris perfectum & abſolutum finem, aut cum cæteris animantibus communicarunt, aut in corpore collocarunt, aut fortunæ temeritati ſubjecerunt.

Philoſophorum opiniones de ſummo bono.

Epicuri rejecta.

Videamus igitur, quid nobis ſaniores de extrema

Ariſtoteles probatur. mo fine afferant, in quo totius ſapientiæ cardo verſatur. Ariſtoteles ex proprio officio, & munere hominis ſtatuit facultatem in actionibus, quæ virtuti congruant. Egregia verò ſententia, quæ declarat, eum pro ſuo mirifico ingenij acumine ſtudioſiſſimum honeſtatis fuiſſe: cujus cùm quaſi lumen aliquod aſpexiſſet; nihil formoſius, nihil pulchrius, nihil præſtabilius ea actione poſuit: quæ virtuti eſſet conſentanea. Quod ſi adumbratâ ejus opinione tam longè progreſſus eſt, quid putamus effecturum fuiſſe, ſi ipſam honeſtatem undique perfectam & abſolutam penitus vidiſſet: illud quidem perſpicuum eſt, majore cum mentis acie præditum fuiſſe, quàm eos, qui in virtute ſolùm collocarint: propterea, quod ſæpè incidant tempora, quibus vim ſuam virtus exercere non poſſit. Ex quo factum eſt, ut cum res ſalutares, magnæ & dignitate plenæ quaſi inſtrumentis quibuſdam efficiantur, quarum amotio vitam etiam labefactet beatam: in honeſtis actionibus felicitatem ineſſe judicarit. Quocirca ſi hæc vita, quod ipſe putabat, omnibus ſuis partibus completa, & perfecta eſſet: Si mens incontaminata: ſi voluntas incorrupta: ſi appetitiones inferiorum virium inviolatæ: non viderem, quomodo à veritate ipsâ omninò Ariſtoteles diſſentiret: præſertim cum in virtute perfectiſſimâ haberi ſummum bonum doceat. Nam cùm ante lapſum peccatumque primi patris noſtri Adami vitæ beatæ perfectio in firmâ & immotâ Dei agnitione, in veræ gloriæ ipſius participatione, in congruentiâ animi, cum judicio Dei divinitus inſito, poſita

ſita fuerit: nihil nobis ſpecie & pulchritudine virtutum aut amabilius, aut formoſius viſum fuiſſet; ad quam omnibus viribus contendiſſemus. Inprimis autem ex illuſtri illâ divinitatis cognitione immenſo ardore erga Deum mentes conflagraſſent: & animus noſter tanto deſiderio obediendi Deo aſtuaſſet, nihil ut appetijſſet Dei voluntati contrarium: ſed ad ejus præſcriptum omnes actiones atq; conſilia accommodaſſet. Quod ſi igitur ab excellenti illo ſtatu conditionis noſtræ non noſtro vitio dejecti eſſemus: ſanè ſummum nobis bonum ex Ariſtotelis ſententiâ in virtutum ſtudio & exercitio fuiſſet conſtitutum. Neq; enim arbitror tantùm civiles actiones honeſtas Philoſophos virtutis nomine notaſſe, ſed pietatem, cultum Dei, & totum quaſi chorum rectè factorum. Niſi fortè id non Philoſophico more à *Platone* dictum putemus; nullam in mortalium genere eſſe excellentiorem pietate virtutem. Sed quia eſt caligo offuſa menti: quia depravatus eſt voluntatis aſſenſus: quia non niſi ad omne genus cupiditatum inclinata eſt morum & appetitionum vis & facultas, fit ut ſcopuloſæ ſint noſtræ cogitationes: ut hæ ipſæ actiones, quas gloriando & prædicatione tanquam optimas efferimus, labe quâdam ſint maculatæ. Quis enim omnium eorum, quorum ortus à vitioſâ Adami ſtirpe proficiſcitur, inventus eſt, qui ita moratus fuerit: ita animo ac vita conſtitutus: ita perfectus, ut lex Dei poſtulat, ut ejus juſtitia flagitat. Quàm verſa, quàm mutata in nobis (proh dolor) in pejorem partem ſint omnia,

Pietas ſumma virtus.

mnia, unumquemque noſtrum & deplorare & videre æſtimo. Quoniam igitur nihil vel eorum etiam, quæ cum virtute geruntur, non ſit vitio pollutum, non ſordibus peccatorum impurum, non ingenerata & inveterata pravitate corruptum, nulli actioni, nulli officio, nulli virtuti, quantumvis laudabilis ac gloriatione digna videatur, in hac iniquiſſimâ vitæ conditione felicitatem tribuerimus.

Ac tametſi multi ex nobis, qui Chriſti ſumus inſtituti doctrinâ, acceſſione gratiæ Dei per Spiritum ſanctum nobis collatæ, noſtris virtutibus nos beatitudinem promereri vel conſequi ſempiternam confirment: tamen nec eas quidem tam puras, tam perfectas eſſe probaverint, nihil ut labis aſperſum ſit. Nam cùm Deus in nobis mentem ab omni fece liberam, voluntatem nullâ in re ipſius decretis reluctantem poſtulet: qui in ſuâ probitate, & ſanctitate ſpem ſummi boni ponunt, ipſi an judicio Dei ſatisfaciant, viderint. Mihi certè id quidem prorſus perſuaſum eſt, nihil nos ad conſequendam ſalutem Deo præſtare poſſe, etiam tum, cum omnia elaboramus, quæ in honeſtate virtuteq; tuenda ab homine poſſint confieri.

Quò magis Platonem admiror, qui cum animæ notitiam excitantem acribus ſtimulis voluntatem ad res arduas, & præclaras ſummâ cum delectatione perſequendas pro extremâ felicitate habeat: eamq; Ideam boni nominet: eam in libris de Republica & Philebo non ſatis in hac confuſione perſpici poſſe queritur: Sed quaſi magnitudines & umbras figurarum in aquis ait cerni. Quoquo *Plato.*

modo

modo Plato hanc ignorationem in intelligentiâ noſtrâ, & infirmitatem aſſenſionis deprehenderit: ſive ex aliis acceperit, ſive naturæ ſuæ bonitate cognoverit, id ſanè animadvertit, nec motus in nobis tam acres, nec actiones tam perfectas eſſe, ut in iis nihil deſideraretur. Quamobrem non in noſtris juſtè & benè factis felicitatem, ſed in abſolutâ virtutis ſpecie & formâ poſuit. Unde tum demum eam admirabiles amores ſui in nobis excitaturam ſcripſit: Si quo oculorum ſenſu ad res, quæ aſpectui ſubjiciuntur, conſpiciendas, eâdem mentis acie ad honeſtum contemplandum valeremus. Sed Plato, quid nobis deeſſet, conſideravit. Remedium verò quod eſſet, quo huius morbi magnitudini ſuccurreremus, intelligere non potuit. Nec id quidem mirum nobis videatur, cùm illud in rationem humanam non cadat. Sed ille ipſe medicus, qui nobis opem tulit: qui viam ad felicitatem aperuit: veram de ſummo bono ſententiam, quam ex ſinu æterni Patris depromſerat nobis patefecit. Nam cum noſtris meritis æternam illam conſociationem cum patre nobis concilare non poſſemus: Jeſus Chriſtus filius Dei, qui noſtræ ſe carni incluſit, qui vitam ſuam mortalem propter nos homines profudit: qui in hanc vitam ad dandum ſalutis ſignum reverſus eſt: qui ad illam immortalem tranſiit: noſtrâ vitioſitate innocentiâ & morte ſuâ ablatâ & dejectâ, nos in beatæ vitæ ac æternæ gloriæ partem traduxit. In hunc ſi ſpem fiduciamque noſtram poſuerimus, qui peccata & ſcelera noſtra ſanguine ſuo expiavit, tum demum ſummi illius boni participes erimus, de quo tam multa diſſe-

Chriſtus ſummi Boni doctor & autor.

diſſeruerunt Philoſophi: & quod eſſet, in hac miſerâ vitæ perturbatione inveſtigare non potuerunt. Hic, ſi de ſummo bono quæratur, docendus eſt: ab hoc ſalus expectanda, & per fidem accipienda, qui veniam nobis peccatorum duriſſima injuriarum perpeſſione impetravit: qui ſortem elargitur divinam, quâ in beatorum collegium cooptamur. Hac itur ad æternam gloriam via; huc proceres contendére Chriſtiani, hac heroes omnes ad perpetua gaudia pervenere. His ita conſtitutis, quorum copioſior enarratio ad alium locum pertinet: facile eſt etiam, quid in reliquorum Philoſophorum placitis, quæ pondus aliquod habere videantur, recti, quid pravi ſit, dijudicare. Etſi

Stoici. enim Stoici præclarè dixerunt, omnia hominum gratiâ, homines autem Dei causâ eſſe conditos: ex quo pro rectæ rationis judicio conſequeretur virtutis finem conſtituendam eſſe agnitionem & cultum Dei, & divinæ majeſtatis illuſtrationem, atq; ſocietatis humanæ conſervationem propter gloriam Dei: tamen quòd nec de naturâ ejus, nec de voluntate certi fuerint, non modò non ad poſſeſſionem illius boni, ſed ne ad notitiam ejus integram ſunt admiſſi. Quòd verò Vallâ Epicuro aſſurgit, atq; eum quaſi Philoſophorum omnium ſanctiſſimum exoſculatur: equidem quamcunq; in partem ejus dogma interpretur, non video, quomodo ſtare poſſit. Age non tueatur eam voluptatem, quâ ſuaviter corpus movetur, quâ ſenſus jucunditate quâdam perfunduntur: demus eum de ſecuritate & tranquillitate animi loquutum; demus, eum ſuam mentem ad approbationem con-

Epicuri cenſura contra Vallam.

ſcienti-

ſcientiæ aggregaſſe; quia ex ea levationem & voluptatem quandam capiamus: quid? num inde Valla rectè illum ſenſiſſe nobis perſuadebit? Eſt enim honeſtum expetendum, non quia inde voluptas demanat: ſed quia recta ratio ſuâ ſponte propter divinam ordinationem ad id fertur, id appetit, id conſectatur. Quod cujuſmodi ſit, ex communi omnium judicio, & optimi cujuſq; ſtudijs atque factis intelligi poteſt: qui permulta ob eam unam cauſam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honeſtum eſt: etiamſi nullum conſecuturum emolumentum vident. Nec ſi officijs pietatis, juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ delectantur, qui harum virtutum ſunt ſtudioſi, idcirco voluptatis causâ, quam tales actiones afferunt, in ijs illos ſe exercere arbitremur. *Judam illum Maccabæum* ſi quis roget, quid egerit in liberanda patriâ, ſi quis reliquos ejuſdem laudis ſocios fratres, qui pro religione, pro aris & focis, pro ſuis liberandis pericula, labores, mortem etiam ſuſtinuerunt, num quis exiſtat, cui voluptas potius, an officium fortis & magni viri propoſitum eſſe videatur? Quæ vis *Codrum* Athenienſium regem in adverſas hoſtium copias immiſit ſine ulla ſpe ſalutis ſuæ? Quæ res morientem *Epaminondam* in illa celebri apud Leuctra pugna recreavit? Omitto innumeros Romanos, qui ut præclarè fundatam Rempub. relinquerent in mortem ante oculos poſitam ſe præcipitarunt? Quid in *M. Attilio Regulo*, qui Carthaginenſium commoditates corpore ſuo intercludendas putavit? quid in *Torquato*, qui cum Gallo dimicavit, qui filium ſecuri percuſſit? nonne omnia plena

Virtus per ſe colenda.

honeſtatis, inania voluptatis videmus? Quid noſtræ religionis conſortes? quid *Paulum*, quid *Ignatium*, quid *Polycarpum* mortem ſubire acerbiſſimam impulit? nunquid vobis de voluptatibus ſuis cogitaſſe videntur? Hæc profectò: quæ ſunt ſummarum virtutum, non utilitatis, non voluptatis opinione: ſed divino quodam motu ab Heroibus illis laude immortali dignis ſuſcepta ſunt & peracta. Ex quo perſpicuum eſt, etiamſi Epicurus terminaſſet voluptatem delectatione & gaudio bonæ conſcientiæ; tamen eum à veritate aberraviſſe. Nunc verò cùm omnia fructu tantùm metiatur, cùm nos omni cura rerum futurarum, omni timore divini judicij vacare jubeat; quis ejus ſententiam extollendam ducet? Ita enim fieret, ut nec patriæ, nec cognatis, nec cæteris, quorum implicamur ſocietate, opera noſtra adeſſemus: niſi id in rem faceret noſtram.

Ex hac collatione inter ſe decretorum, quæ à præcipuis Philoſophis tradita ſunt, facile eſt colligere, quid homines ignari divinorum ſcriptorum notarint, quid in hac tractatione de hominis felicitate intellexerint: quid nobis ſequendum ſit: id nimirum quod ab Apoſtolis & eorum diſcipulis memoriæ eſt conſecratum ſempiternæ.

Philoſophorum lectio non ſpernenda.

An ergo, quoniam de vita beata certior doctrina eſt, ex alio loco diſcenda, Philoſophorum de bonorum & malorum finibus lectionem aſpernabimur? Nequaquam, auditores. Præterquam enim quòd clarius percipiamus, quando utrumque doctrinæ genus nobis cognitum eſt, quid interea ſit diſcriminis: in multis etiam alijs rebus, hujus diſcipli-

ſciplinæ de officijs & moribus ſcientia adjuvamur. Neq; quæ à me dicta ſunt, ita intelligi volo, quaſi prorſus eſſent horum ſapientum libri rejiciendi: ſed cum animus in hac re præſtantiſſima ſibi conſtare; cum in felicitatis ſpe acquieſcere debeat; de fonte ipſo ſalutis eſſe bibendum ſtatuo: non de deterioribus fontibus aquam hauriendam. Quid igitur utilitatis præterea hac in parte Philoſophorum doctrina habet? Magnam certè, ad notitias à natura inſitas illuſtrandas; ad mores conformandos, ad omnia vitæ genera melius inſtituenda. Quid homini melius eſt innata illa notione de honeſtorum & turpium differentia? Hujus, munere conceſſuq; Dei, tanta eſt vis, tanta efficacitas, ut & nobis ad Dei intelligentiam aditum ſtatuat, & omnium virtutum officiorumq; fontes monſtret. Cum enim de origine mentis ejuſq; divinitate cogitamus: quòd & cauſas rerum & conſecutiones videat: quòd parium progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignoret: quòd ſimilitudines transferat: disjuncta ſeparet; ut vera inveniat, ut fidelia ſimplicia conſtantia omnia diligat; vana autem, falſa & fallentia, ut fraudem, ut malitiam, ut injuriam, averſetur & fugiat: ut ad notitiam aliquam cultumque Dei ducamur oportet. Eſtne quiſquam omniû tam ſtupidus, tam bardus, tam deniq; ferreus, qui cùm vim rationis in ſe conſiderat, non cauſam ejus eſſe cogitet aliam mentem, ſolutam & ſegregatam ab omni concretione mortali, liberam, bonam, æternam, & omnia ſentientem: Ut verò nos aliquid habere divinum perſpexerimus, ingeniumq; in nobis, quaſi ſimulacrum aliquod Dei, cenſuerimus.

Uſus Philoſophiæ moralis.

ad Dei notitiam.

ut tanto munere Dei ſemper dignum aliquid & faciamus & ſentiamus, intelligemus profectò ea de causâ in hanc vitam nos eſſe ſubornatos, non ut quenquam offendamus aut lædamus, ſed ut facultate à naturâ tributâ ad communitatem & ſocietatem vitæ utamur, ut ejus gratiâ omnes labores & pericula contemnamus. Eodem modo cognitâ in nobis venuſtate & convenientiâ partium; an non eandem ſimilitudinem ob oculos ad animum traducentes, pulchritudinem etiam, conſtantiam & ordinem in omnibus conſilijs, dictis, & factis conſervandam eſſe exiſtimabimus? Quamobrem cùm hæc antecepta animi de honeſtate informatio in Philoſophiâ moraſi, cujusq; virtutis & officij deſcriptionibus, proprietatum & affectionum notatione explanetur: quis non ſummè in ea elaborandum eſſe arbitrabitur? Jam quid magis naturalem illam hominum congregationem diſſipat? quid Reſpublicas evertit, quàm virtutum contemptus, & morum omnium diſſolutio? Longa eſt oratio multæq; rationes, quibus confirmare poſſem, labefactatis fundamentis conjunctionis & Rerum publicarum; quæ in juſtitia reliquisq; honeſtatis partibus conſiſtunt; neceſſe eſſe eas dilabi. Sed non eſt, argumenta ut adducam: noſtras ſcholas, Eccleſias & Reſpublicas intueamur: quomodo in hac effrenatâ libidine, nefariâ improbitate, deteſtandâ malitiâ floreant, videamus. Utinam non verum hoc affirmare videar; niſi malam & inveteratam illam quidvis perpetrandi conſuetudinem verâ & bonâ ratione emendemus: niſi infinitam in ſceleribus & flagitijs licentiam diligenti diſciplinâ corriga-

& virtutis ſtudium.

A contrario.

Diſſolutio morum eſt peſtis Reipublicæ.

rigamus: niſi depoſitis flagitijs virtutes amplectamur; ea nos mala & calamitates, quibus ante nos ſcholæ & Reſpublicæ miſerè devaſtatæ ſunt, à nobis non depulſuros. Atqui ſi huic nos ſtudio excolendos dederimus, ſi virtutis ſplendorem, vitij deformitatem, mente tenuerimus, ut illius amorem, hujus odium in animo concipiamus, ſtatum felicem certò conſecuturum judico. Neq; enim, ſi qui ſæpiùs citharâ aut teſtudine ludunt, paulatim magis nexu motuq; articulorum & agilitate digitorum, artem illam addiſcunt: Illi qui meditatione virtutis, in inquiſitionem cauſarum, in conſiderationem ordinis naturæ, in contemplationem formæ intenti, eam ſectabuntur, minus proficient.

At enim, *Cicero*, illos ipſos Philoſophos, qui de virtute perpetuò diſputai ſit, aut pecuniæ cupidos, aut levitatis & inconſtantiæ reos, aut libidinum ſervos fuiſſe, atque cum eorum præceptis prorſus vitam pugnaſſe ſcripſit. Quod ſi horum cupiditates non illa doctrina coërcuit: quomodo aliorum mores ad virtutem flecteret? Quod ſi nec metu magiſtratus, nec autoritate legum, nec pœnarum minis movemur: ut refrenemus libidines, coërceamus cupiditates, & cæteras animi labes repellamus, quæ hinc ad benè beateq; vivendum ſubſidia peti poſſunt? Quaſi verò idem ſit ingenium, eademq; natura omnium. Eſto quoſdam eſſe tam pravâ, tam perversâ, tam diſtortâ naturâ, ut à flagitijs ſceleribusq; non flammâ, non ferro, non ullo ſupplicij genere dimoveri poſſint; num eam pravitatem omnibus tribuemus? Non Polyphemos, non Cyclopes, non Centauros Ariſtoteles hujus *Prolepſis.* *Lib. 1. Eth. cap. 3.*

ſcientiæ idoneos auditores eſſe docet: Sed eos qui rationi ſuas appetitiones obedientes efficiunt: Eâdem ratione nec ego illos, qui omnibus flagitijs ſceleribusq; ſunt inquinati: qui libidinibus ſuis nullum frenum injiciunt, magnum fructum conſecuturos facilè concedo. Idem tamen affirmo, in ijs, qui mediocri diligentiâ mores ſuos gubernare conantur; aliquando cupiditatibus vincantur, plurimùm hanc doctrinam valere. Nam cum officijs & benè vivendi diſciplinâ delectamur, modus nobis & via hîc præſcribitur, quomodo eam perſequi debeamus. Pleni ſunt omnes Philoſophorum & Poëtarum libri: plena antiquitatis hiſtoria: plena exemplorum vetuſtas, quibus id, quod nunc dixi, comprobare poſſem. Ariſtoteles certè ſcriptum reliquit, id ſe commodi ex Philoſophiâ habere, ut in ea, ſua ſponte incumberet, quæ plerique metu legum impulſi faciant. Nec in eo, nobis *Paulus* repugnat, qui etiam honeſta civilia officia in ijs exiſtere poſſe concedit, quorum mentes non ſint divino Spiritu afflatæ. Quid, quod ad omnia vitæ genera hæc diſciplina plurimum conducat? Jureconſulti ex hac quaſi legis naturalis expoſitione melius & plenius fontes & principia ſuæ artis cognoſcere, firmas & certas rationes conſecutionum videre, ratas linguarum interpretationes ſumere poſſunt. Theologi verò hac plurimùm adjuvantur. Nam ut de utilitate collationis inter legem & Evangelium non dicam: certè cum de legibus civilibus; de magiſtratuum officijs, de officijs & moribus in hac communione neceſſarijs eſt dicendum: majori cum perſpicuitate ea hoc adjumento

nixi

nixi poſſunt declarare. Ac cum utiliſſima ſit animorum noſtrorum, officiorum cujusq; vitæ partis, communis diſciplinæ, locorum communium de honeſto, de utili cognitio: ecquis dubitabit, quin reliqui cuicunq; ſe ſtudio liberalis vitæ dederint, plurimas hinc commoditates percipere queant. Sed quia hæc quoque vos intelligitis eſſe vera: ſequitur ut paucis oſtendam, quâ de causâ in tantâ varietate ſcriptorum, Ariſtotelis libros de moribus ad Nicomachum delegerim.

Cogitanti mihi & receptæ Academiarum conſuetudinis cauſam inquirenti, quid eſſet, quòd Ariſtotelem potiùs quàm alium interpretandum proponere ſolerent, duæ mihi præcipuæ ejus moris cauſæ eſſe videntur: tum, quòd ſecta Peripateticorum veriora, magis cum re conſentanea, atque ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatiora tractet quàm cæteræ: tum quod ipſe Ariſtoteles non durâ, non ſcrupulosâ, non horridâ utatur viâ & ratione tractandi, ſed dilucidâ & apertâ. Ac tametſi multa divinitùs ſint à Platone perſcripta, tamen propter κρυπτικὴν ἐν ταῖς ἐπαγωγαῖς μέθοδον obſcurior eſt, quàm ut à quovis poſſit enarrari. Quanquam nec ita Ariſtoteli adhærebo, ut non interdum pro rei natura & temporis opportunitate vel Ciceronis vel Platonis etiam de finibus bonorum & malorum, alijsque rebus civilibus dialogos ſim adjuncturus. Cæterùm & in ipſa Ariſtotelis interpretatione, cùm res poſtulaverit, ejus cum Platone, Cicerone, Seneca, ſacris etiam Scripturis, pro mea virili utar collatione: ut quibus in rebus concordent: quibus diſſentiant; videa-

Ariſtotelis præſtantia

mus. Reliquum eſt, Auditores, ut cum percepe-ritis, quanta ſit Philoſophiæ moralis præſtantia; quanta dignitas; quanta vis; in ea cognoſcenda ſedulò verſemini: ut cùm in reliquis artibus aliquid operæ & ſtudij poſueritis, hanc etiam adjiciatis. Ego profectò, quantum conniti animo, quantum labore & ſtudio contendere: quantum efficere diligentia potero: dabo operám, ut ne, cum alia abundè vobis à reliquis doctoribus, viris optimis, & doctiſſimis ſuppeditentur, meum vobis officium defuiſſe videatur.

DIXI.

FINIS LIBRI TERTII.

NICOLAI CISNERI POLYHIſTORIS.

Opuſculorum LIBER IV.

In quo

Hymnus de Natali Dn. Ieſu Chriſti.
Declamatiuncula de Vocatione gentium.
Idyllion & Oratio de Veris & Autumni comparatione.
Carmina varia & Epiſtolæ.
Ad Plinij Lib. Nat. Hiſt. obſervationes eruditiſſimæ.

Digitized by Google

HYMNUS
De Die Natali
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
A D.

Illuſtriſ. Principem,

WOLFGANGUM

PALATINUM RHENI, Bavariæ Ducem, & Veldentiæ Comitem,

NICOLAO CISNERO Autore.

Digitized by Google

PHILIPPUS MELANTHON

VT DEUS *in multos ſua munera ſpargere poſſet,*
Humanum mirâ condidit arte genus:
Noſtraq́; cum vellet fieri ſibi pectora templa,
Luce ea perfudit juſticiaq́; ſuâ.
Hoc decus amiſſum reddit, quia ſanguine Gnatus
De cœlo miſſus, crimina noſtra luit.
Hæc quanquam ſuperat captum ſapientia noſtrum
Agnoſci tamen hæc vult ſua facta DEUS.
Et nunc perpetuæ vult eſſe exordia vitæ,
Scintillam Chriſtum quæ didiciſſe ſtudet:
Et grata eſt ipſi pietas hæc dona referre:
Quare Nicolei ſcripta fidemq; probes.

NICOL. CISNERO
ſcripſit Witebergæ Anno 1551.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI, WOLFGANGO, PALATINO AD RHENUM, DUCI BAVARIÆ, COMITI Veldentiæ, Domino ſuo clementiſſimo,

NICOLAUS CISNERUS S.

NIHIL eſt in hac tanta rerum omnium confuſione: Princeps Illuſtriſſime; quod certiorem afflictis & perculſis animis medicinam adferat: atq; verbi DEI meditatio, ejusque beneficiorum conſideratio. Nam cùm animus hominis in benevolentia illa DEI acquieſcit: nihil tam grave, tam calamitoſum, tam funeſtum ei accidere poteſt: quod non placatè & moderatè ferat. Itaq; ſive adverſa fortuna prematur, ſive incommoda valetudine jactetur, ſive belli calamitatibus conflictetur: præſentem mali levationem

tionem ex ſacris ſcriptis petere poteſt. Ac tametſi quocunq; orationis genere cœleſtis doctrina exprimatur, mirificè animos hominum excitet: tamen multò vehementius permovet, cum numero poëtico eſt aſtricta. Nam tum rerum majeſtas deſcriptionibus & expolitionibus illis magis oculis ſubjicitur: tum numeroſæ compoſitionis ſuavitas altius, & aures ferit, & animos penetrat. Quod ſi pictæ tabulæ, quæ præclaram quandam rerum geſtarum imaginem referũt, hominum animos multo fortius adficiunt, quàm nuda earum deſcriptio: & ſi Muſicorum cantus & ſymphonia majori vi mentes audientium ad ſe rapit: quàm qui ſine concentu & modis profertur ſermo: profectò & poëmati acriores ad movendum ſtimuli inſint neceſſe eſt, quàm orationi ſolutæ: præſertim cùm & ad imitationem rerum propius accedat, & certiori numerorum atq; pedum ratione ſit concluſum. Etſi enim nec oratio ita eſt libera à numerorum compoſitione, ut temerè diffluat: tamen longè à verſuum abeſt ſtructura. Quapropter ſummopere mihi & veterum & recentiorum poëtarum inſtitutum probatur: qui cum in aliis rebus divinis, tum in Dei Chriſtiq; laudibus conſcribendis operam ſuam poſuerunt. Horum enim ſtudio & induſtriâ factum eſt, ut res illæ pulcherrimæ elegantiâ orationis illuſtratæ, plures ad ſe majori cum voluptate invitarint. Quorum ego carminum vim & excellentiam quamvis propter tarditatem ingenij, & inſcitiam meam vix per umbram videam: tamen non poſſum non fateri mehercule tantam me ex cognitione illorum percipere delectationem,

nem, ut præ illa cæteræ omnes voluptates, quibus ſenſus perfunduntur, ſordeant. Itaq; cùm nihil mihi pulchrius, nihil præſtantius, nihilq; optabilius videretur, quàm in eo ſcribendi ſtudio verſari: nihil prius mihi faciundum putavi; quàm ut veſtigia illorũ conſectarer: non quod exiſtimarem me idem conſequi poſſe, quod illi præſtiterunt: ſed ut voluntatem illorum ſequerer ſumma cum pietate conjunctam. Neq; enim tam amens ſum, ut me eandem inde laudem referre poſſe confidam, quam ſunt illi viri virtute, ſapientiâ, & eloquentiâ admirabiles adepti: cùm, quæ ad hanc requiruntur, ut fælix ingenium præclarum judicium, plurimarumque rerum ſcientia, ea me omnia deficiant. Delegi igitur, neſcio quâ animi commotione ejuſmodi argumentum, quod etiam jejunè & frigidè tractatum, viros eruditione & pietate præſtantes non improbaturos ſperabam. Ad te autem, Wolfgange Princeps, mittere, & in tuo nomine apparere nec ſine conſilio doctorum & piorum virorum, nec ſine ratione volui. Equidem multis ex ſignis perſpexi, te jam pridem curâ ſtudioq; tuo effeciſſe, ut non ſolùm honoribus & potentiâ, verùm etiam virtutibus cæteris hominibus præſtares. Ea enim & pietatis, & doctrinæ, & humanitatis laude celebraris: ut ſi eadem in cæteris tui ordinis hominibus cerneretur; paſſim & florentiores ſcholas, & melius inſtitutas Eccleſias haberemus. Quare in hac perditorum temporum perturbatione, non alienum viſum eſt tibi hoc carmen offerre: ut cum cæteris literarum ſtudijs delecteris: aliquam etiam, ſi non ex elegantia orationis & tractatione, at ſaltem ex

argu-

argumenti hujus dignitate voluptatem perciperes. Mihi certè ejus confectio perjucunda fuit: cùm immenſam illam DEI benevolentiam conſiderabam; quod nullo noſtro merito, pro ſummo ſuo in genus humanum amore: unicum ſuum filium in hanc iniquiſſimam conditionem vitæ miſerit: ut nos à peccatis liberaret, morte aſſereret, & ſempiternæ fælicitatis participes redderet. Nec verò hoc meo facto me dignitatis tuæ rationem neglexiſſe puto: cum & patrum memoriâ, & noſtris temporibus multi ejuſdem generis ſcripta ad viros principes miſerint. Quorum inſtitutum cùm illis non modò non moleſtum, ſed & gratum fuerit: nec te in eo à me offenſum iri ſpero; quod in tuo nomine hos hymnos conſtituerim divulgare. Quæ ſi ſpes me non feſellerit: dabo operam ut in majoribus rebus meam in te obſervantiam declarem. Vale etiam atq; etiam princeps illuſtriſſime. Dat. Heidelbergæ x. Calend. Februarij, Anno 1551.

NICO-

NICOLAI CISNERI
De Die Natali
DOMINI IESV CHRISTI,
HYMNVS,
AD

Illuſtriſſimum Principem

D. VVOLFGANGUM,
PALATINUM AD RHENUM, DUCEM BAVARIÆ, & Comitem Veldentiæ.

O Mihi ſi liceat cœleſtis munere regis, — *Invocatio cum propoſitione.*
Virgo verenda tuos partus, ſobolemq́ beatam,
Quæ genus è celſo ſummum deducit Olympo,
Ut decet & fas eſt, tali deſcribere verſu:
Sed nec Pierides ſi pandant antra ſorores
Parnaſſi, nec ſi linguæ ſint, oraq́ centum :

Illius valeam meritas attingere laudes,
Tot bona terrarum, tantum decus attulit orbi,
Spiritus alme precor, mentem cœleſtibus auris
Confirma, & pulſa cæca caligine mentis
Lux tua, lux præclara mihi divinitus adſit,
Ut duce te veneranda queam myſteria cœli,
Tot ſeclis ignota, labris libare ſupremis.

Apoſtrophe ad noctem. *O nox perpetuum longè celebranda per ævum*
Quâ puer humano maculâ ſine ſanguine cretus,
Virginis incluſus gremio, ſpectantibus aſtris,
Æthereas liquidæ pervenit lucis in auras.
Credibile eſt medij claram ſuperaſſe diei.
Te ſplendore tuo lucem, & viciſſe coruſci
Flagrantes ſummo radios in vertice ſolis:
Cum puer ille patris veteres leniret ut iras
Ob noſtri generis labem culpamq; parentum
Editus in noſtris terris nova lumina ſenſit.
Quem ſuperi proceres ſtellatâ in veſte foventes
Perſpicuâ totum complebant aëra luce.

Ad ſidera. *O vos fulgentis fælicia ſidera cœli*
Tanta quibus licuit firmâ in ſtatione videre,
Cognita nec Divis ſuperisq; obſcura miniſtris.
Lumine vos nitido cœlo ſpectaſtis ab alto
Gaudia, quæ terris tulit & mortalibus ægris,
Cum Deus *ille* Deus, *patris indubitata propago*
Virginis intactæ fœcundâ ſumpſit in alvo
Humanam faciem, & mortalis corporis artus.
Tunc ego vos Hyades primum, Steropen Meropenq;
Halcyonem, & mœſtam Electram, reliquasq; ſorores
Triſtia crediderim chari poſt funera fratris
Abjectis luctus ſignis, poſitoq; dolore
Riſiſſe, & feſtas cœlo duxiſſe choreas.

O vos

O vos Paſtores, ô terq; quaterq; beatos Ad Paſtores.
Qui vigilando gregem ſervaſtis rure coactum,
Illius optato gelida ſub tempore noctis.
Quis motus animi veſtri, quis gaudia fando
Explicet? inſueto volucer cum lumine cœtus
Cœlicolûm liquidum permulcens æthera cantu,
Quærere vos humili juſſit ſub culmine cunas.
Ceruleis ſtratas juncis, ſtipulaq; rigenti
Suffultasq; levi juxta præſepia crate,
In quibus impoſitum regem terraq;, marisq;
Infantem tenui tectum ſpectaſtis amictu:
Quem nec terra capit, nec vaſti regia ponti.
Aeris aut tractus, celſi aut plaga lucida cœli.
Quàm vos attonitos, quàm toto pectore motos
Inſolita in facie vultusq; hæſiſſe nitore
Arbitror illuſtris mirantes oris honorem,
Mirantesq; choros ſuperûm vibrantibus alis
Conſpicuos cytharâ pulſantûm, & denſa per auras,
Agmina cœlicolûm divinâ voce canentûm?
Null dies igitur memori vos eximet ævo:
Grandia dum paſcet Neptuni regia cete,
Dum ſtabit cœlo rutilum Minoidos aſtrum.
Tu quoq; carminibus vatum celebrata priorum.
Fœlix es tali regio Bethlemica ſorte, Ad Bethlehem.
Prima quod æterno dederis cunabula regi:
Cum Nazaræâ ſenior de ſede profectus,
Quà juga carmeli, quâ celſo vertice ſurgit
Multa Thabor fundens precioſi balſama ſucci:
Quaq; iacet palmis dives Samaritidos ora,
Arva ſecans celeri petijt tua mœnia greſſu
Virgine cum caſta; genus ut nomenq; referret,
Impoſitumq; ſibi pro cenſu penderet aurum.

Non igitur ſceptro præſtans, & nobilis armis
Roma potens rerum, clariſq; ſuperba triumphis,
Imperio quamvis populos terraſq; premebat:
Quas Rhenus, quas ſcindit Arar, quas permeat Iſter,
Quas rigat æſtivus ſepteno gurgite Nilus,
Quaſq; ſuis ingens Euphrates alluit undis,
Quaq; vagus Ganges, quà devius exit Araxes:
Non inquam illa ſuis ſeſe tibi laudibus æquet.

Deſcriptio perſonæ à dignitate & majeſtate.

Namq; tuis infans ſacrum caput extulit oris
Haud hominum ſolùm generis de ſanguine natus,
Quamvis huic proavi fuerint ex ordine Reges,
Iudææq; domus ſeries longiſſima patrum,
Atq; vetus divum Ieſſeâ à ſtirpe propago:
Sed cœli ſoboles, ſummi genitoris imago,
Æternum patris verbum, Deus æthere miſſus,
Omnipotens, ingens, finiſq; & originis expers,
Cui pater imperium, cui ſummas orbis habenas,
Cui nomen ſine fine dedit ſuper omnia regis.
Nam quos fama duces celebrat præclara potentes,
Et quibus eximium dedit ampla potentia nomen;
Horum pars Arabum tractus tenuêre feraces,
Pars Montes aurora tuos, & Perſica regna,
Bithynas alij claſſes, & littora Ponti,
Tum Cilicas, Lelegaſq;, fugittiferoſq; Gelones,
Aut alios Aſiæ populos domuere potentes.
Ille feros Aphros, Mauros, Numidaſq; peruſtos,
Ægyptiq; ſolum & ſeptemplicis oſtia Nili,
Hic quos præruptis cingunt anfractibus Alpes,
Aut quos nubifera ſejungit rupe Pyrene,
Aut quos Parrhaſius vicinior obtegit axis,
Et propius tangunt arctoi plauſtra Boota,
Imperio rexit, mandataq; obire coëgit.

At quem virgo tuis regem ſacra edidit oris,
Quod mare, quod tellus, quod totus continet orbis,
Omne ſub illius latâ ditione tenetur,
Imperat hic aſtris, celſo dominatur Olympo,
Omnis & huic latè ſervit gens ætheris alti.
Hunc metuunt nigri trepidantia regna tyranni
Immanesq; lacus Erebi, tenebraq; profundæ,
Hunc tremit & triſti cum murmure Janitor Orci,
Eumenidum facies diræ, Scyllaq; biformes,
Gorgones, Harpyiaq;, igniq; armata Chimara.
Jam bona quæ nobis tulerit, mortalia poſtquam
Membra ſibi inducens mortali in corpore virtus
Miſta Deo *terras cœlo deſcendit ab alto,*
Quis noſtrum referat? quis juſto carmine dicat?
Nam tot firma dedit noſtræ ſolatia vitæ,
Tot bona, tot laudes, tot vera dona ſalutis,
Ut ſuperent aciem noſtram, mentisq; vigorem.
Ac citius memorem, quot fundat germina tellus
Vere novo, aut ſylvis volucres glomerentur apricis,
Quotq; freto fluctus ſurgant, quot grandine nimbi
In vada præcipitent, & turbida nubila rumpant,
Cum ventis hyemem torquet pluvioſus Orion;
Quam memorem dotes, atq; hujus commoda partus.
Haud etenim fruſtra eſt toties promiſſa verendis,
Patribus illa dies Abræ de ſemine clara,
Quam pius Iſacidum Phariis eductor ab oris,
Quam rex imperio celebris, cytharaq; decorus,
Quam proceres alij Nohæ de ſtirpe vetuſtâ,
Promiſſi memores, velati tempora vates
Sacrificiq; probi paſſis ad ſidera palmis
Protinus aſſiduis votis petiêre futuram,
Et ſtatuêre ſuæ primordia certa ſalutis.

Deſcriptio utilitatis & effectuũ ipſius partus.

Quando igitur ſtupidæ tantâ caligine mentis
Illius haud poſſum perpendere munera lucis:
Saltem quod Zephyris liquidum per inane vocatis
Aligeri proceres pecorum cecinêre magiſtris
Dum noſtri ob ſortem generis, partamque ſalutem,
Et cantu plauſuque novo lætantur ovantes;
Carmen ego referam cunctis memorabile ſeclis,
Carmen pectoribus multo precioſius agris,
Quàm quas mittit Arabs rubro de littore Conchas,
Quaſque legit gemmas ſummis Arimaſpus arenis:
Carmen quod noſtrum ſemper cumulabit honorem,
Siderei dum clara Poli convexa manebunt,
Dum Phœbus nitidâ luſtrabit lampade terras,
Dum pater Oceanus magnum circumfluet orbem.
Namque canunt, ut ſumma DEO *ſit gloria patri,*
Perpetuaque ſolo diſcordi munera pacis,
Atque pijs animis læta ſolatia vitæ
Parta per humanum pueri venerabilis ortum.

Gloria in altißimis DEO, & *in terra pax, hominibus bona voluntas.*

* Ἐξήτησις *hymni.*

* *O Deus omnipotens, ſummi moderator Olympi*
Almе pater divûmque hominumque æterna poteſtas,
Quæ rogo te pietas tenuit, quæ cura ſalutis
Humanæ, aut quis amor polluta crimine gentis.
Unigenam ut prolem terrenâ mole gravatam
Tot mala, tot caſus, tot vulnera ſæva ſubire
Juſſeris, atque ſuo reſtinguere noſtra cruore
Flagitia, & meritas abſtergere ſanguine pœnas.
Et quid majus erat tibi, Rector maxime divûm,
Quod poteras generi munus concedere noſtro:
Quam tua quod ſoboles humanos induit artus?
Qui tecum ſuperâ pariter regnabat in aulâ.
Tum novus eſt priſci converſus temporis ordo.

Tum

Tum rediit virgo: redierunt aurea ſecla:
Tumque renaſcentis tenera incunabula mundi
Ceperunt, telluſque novo munuſcula cultu
Et Caſiam & florem fudit fragrantis amomi,
Liliaq́;, violasq́;, & purpureos Hyacinthos.
Nam ſimul ac vetito fructu ſua polluit ora,
Conjugis inſtinctu decepta fraude malignâ
Tartarei fictâ colubri ſub imagine regis
Primus homo, & ſummi violavit fœdera patris;
Protinus inde gravis mentes caligo ſecuta eſt.
Deterior magis atq; magis, tum decolor ætas
Succeſſit, prolesq́; mali poſt ferrea ſecli:
Hinc omnes ſcelerum facies, ſemenq́; nefandum
Emerſit gravium vitiatâ è mente malorum.
Præcipue falſos cultus, ſacra falſa Deorum
Horrendas epulas, horrendas Dæmonis aras,
Omnibus impoſuit toto mortalibus orbe
Vana ſuperſtitio, mentisq́; ignara ſupremæ.
Hinc centum luci, centumq́; in montibus aræ
Cæſarum pecudum crebro maduêre cruore:
Pars etiam humano rubuerunt ſanguine tinctæ.
Quin quod cuiq; feri cordis temerata libido
Suaſit, id amplexus divini numinis inſtar
Fovit & æthereo demens celebravit honore.
Ex illo noſtris animis oblivio veri
Paulatim ſubiit cultus, ſacrisq́; rejectis,
Autoris noſtri, rerum cui ſumma poteſtas
(Infandum) jacuit deſerti gloria regni:
At contra ſibi divinos aſſumpſit honores
Rex Erebi, & tetri fœdus dominator Averni,
Cultibus ipſe ſuis temeratas polluit aras:
Tantum peſtifera potuit contagio culpa.

Ante Chriſtum natum nulla ferè DEO exhibita gloria paſſim, præſertim verò à gentibus.

Pax omnis diſſipata.

Mox hujus juſſis imâ de ſede ſorores
Tartareæ ſuperas petierunt cominus auras:
Ex quibus ante alias Alecto fœdior omnes
Vipeream inſpirans animam, flammasq; nocentes,
Omnia Gorgoneum ſparſit per tecta venenum,
Inq; vias paſſim ſqualentes tabe colubros
Jecit: qui tacito lapſu per membra voluti,
Perq; artus hominum, præcordia ad intima flarunt
Inferni furiale malum, virusq; nefandum.
Qui quibus heu facibus, quo concuſſêre furore
Humanos ſenſus, agitataq; pectora curis.
Tum ſitis, & ſceleratus amor ſuccrevit habendi:
Immanis ſcelerum mater, cui frausq; dolusq;,
Inſidiæq; aderant, falſa & perjuria linguæ.
Tum quoq; regnandi magis eſt incenſa cupido,
Tum gravius nos invaſit temerata voluptas,
Et Veneris prædulce malum, luxusq; ſuperbus.
Cætera quid referam? aut quæ non illapſa libido
Effera præcipiti raptavit pectora motu?
Hinc ſectata truces ſciſſo eſt Diſcordia crine
Eumenides, & ſanguineo Bellona flagello,
Quæ miſeros homines facile ad fera bella coëgit,
Nam dum quemq; ſua traxit veſana cupido
Mentis in alterius damnum, diſcrimine nullo,
Alter in alterius ſtrinxerunt viſcera ferrum.
Dumq; furor præceps, gliſcensq; inſania creſcit
Heu quantum fuſum eſt terra pelagoq; cruoris?
Ipſa inter ſeſe violatis legibus urbes,
Certantes rapidis conſumunt mœnia flammis,
Inq; cruenta truces acti ſunt funera reges.
Jam ſævas acies toties tam magna ſecuta eſt
Clades, ut campi miſeranda cæde maderent:

Com-

Completiq; novo ſpumarent ſanguine rivi.
Quid memorem: qui tum lacerarint pectora morſus *Mala hominibus conſcientia.*
Impia velquantis ſtimulis agitarit Erynnis?
Nam veluti ſcopulos pelagi cavat unda ſonoros
Aſſiduo lapſu: Sic, ſurdo verbere mentes
Sauciat infectas vitiis & fraudibus Ate.
Nec mora, nec requies, ſolatia nulla ſuperſunt,
His quibus unigeni non eſt data gratia nati,
Sed funeſta manet divini numinis ira,
Non iuvat hos quicquid Nili dat fertilis ora,
Non quas Hermus aquas, quas Ganges volvit arenas.
Non quod fodit Iber, quod dives colligit Indus.
Sed premitur ſine fine gravis mens conſcia culpæ.
Nec ſecus ac ſcabrâ durum rubigine ferrum,
Immiti teritur commiſſi criminis æſtu.
Tanta ea tum mundo ſucceſſit turba malorum,
Tot ſcelerum formæ, tot fœdæ crimina mentis,
Tot plagæ, tot funeſtæ diſcrimina mortis,
Tot gemitus, æſtusq; hominum, triſtesq; dolores.
Inſidiis Stigij regis Furiisq; miniſtris
Ante Dei *natam ſobolem, partumq; beatum.*
At poſtquàm ſuperas cœli demiſſa per auras.
Alma Dei *proles humanos induit artus,*
In melius ſolitos verterunt ſecula curſus:
Quæq; prius fuerant tetris imbuta venenis,
Nunc reparata novum poſito ſqualore nitorem
Sumpſerunt, hilarem & pulsâ formidine vultum:
Haud ſecus ac ſummo langueſcens hortus ab æſtu
Perfuſus pluviis, mox fundo floribus imo
Vivificum mœſtis adfert humore vigorem.
Fœda ſacra, & fœdi cultus cecidere Deorum.
Vanaq; de templis abierunt monſtra profanis:

Aaa v.

Nec poſt horrificis maduerunt cædibus aræ,
Aut ulla ex adytis Phœbi cortina remiſit
Carmina, vel ſortes arcanum protulit antrum,
Non mentita Iovis coluit cunabula Crete.
Nec ſua tum madidus jactavit ſacra Citheron.
Aut tua Latois celebravit fama per orbem
Innumeris Epheſi cumulata altaria donis.
Ecquid enim peſtes Erebi, & Cocytia turba
Quidq; catenatus Pluto, quid Noctis alumna
Contra illum valeant, cui magnus vertitur æther?
Quos prius immemores meritûm, cæcosque furore,
Dum manibus magnum tentant reſcindere cœlum,
Æthereumq; ſuis dominum detrudere regnis
Tartara præcipites immani turbine adegit
Igne ubi fumantes fundo volvantur in imo.
Hos igitur Stygias poſtquam demiſit ad undas.
Quando hominem ſubijt divinæ ſtirpis imago,
Continuò noſtris redijt lætiſſima terris
Relligio, quam rectus Amor geminæq; ſorores,
Speśq; Fideśq; iterum ſociâ pietate ſequuntur.
Una etiam redijt cunctis in finibus orbis
Verus Honor, ſummo ſinceraq; gloria Regi.
Tum demum ſummi patuit clementia Patris,
Qui placidus noſtras hunc demiſiſſet ad oras
Æquævam ſibi progeniem, natumq; verendum,
Antiquam vt ſceleris labem, fœdaśq; tenebras
Tolleret, atq; nova compleret pectora luce.
Unde tui redijt ſpes & fiducia genti
Humanæ, nitidi lux ô clariſſima cœli,
Quæ te non fibris hominum, nec ſanguine fuſo
Aut extis caſæ docuit placare bidentis?
Sed precibus, votiśq; imo de pectore ductis,

Dete-

Deteſtans veſana ſuæ contagia mentis.
Inq; tuo ſolo confidens funere Nati,
Quem ſtatuit ſolum ſummamq; caputq; ſalutis.
Inde tibi Pater omnipotens pro munere tanto,
Perpetuas vero prompſit de pectore grates,
Tumq; tuum primum nomen jactavit ad aſtra,
Et tua per cunctas cecinit præconia terras,
Te Natumq; tuum ſancto cum Flamine ſolum
Autorem vitæ celebrans, rerumq; ſuarum.
Tum tua quo decuit celebravit numina cultu,
Retulit & vera ſincerum laudis honorem.
Quin veluti nivei ſtagnanti in flumine cygni
Carmina dixerunt pueri, innuptæq; puellæ.
Conjunctiq; piâ cœtus te voce ſonarunt,
Certatimq; tui cecinerunt munera Nati.
Parva loquor, tanto mentes pietatis amore
Firmaſti humanas & tam compagibus arctis.
Protinus ut fuerit te mens his certa ſequendi,
Per varios caſus, per mille pericula rerum,
Per mare, per vaſtas ſyrtes, per ſaxa, per ignes
Biſtonios ultra tractus, Seraſq; remotos.
Non illos flammæ, non dira potentia ferri
Non undæ, ſævæq; cruces, morſusq; ferarum,
Nullaque vis potuit ſacris abducere ſcriptis,
Quin ſeſe promptis animis in funera multi
Præcipitent vera pro relligionis amore.
Nec minus Eumenides poſtquam vada nigra ſubire Pax hominibus.
Horrendi juſſit Barathri, & ſpiracula Ditis,
Utque tuam junxit dextram Bellona ferocem,
Et tua convertit rabidos in viſcera morſus,
Clara Dei *ſoboles hominum veſtita figura,*
Tum quoſcunque ſuo perfudit lumine, cuncti

Placati placidam celebrêre per omnia pacem.
Horrida Tartareis clauſtris ſunt condita bella,
Candida Pax redîit violenti neſcia ferri,
Et iucunda quies, ævi melioris origo,
Tunc homines inter ſe firmo fœdere iuncti
Offenſas poſuêre graves, & pectoris æſtus,
Iam meritis potius mentem exercere benignam
Officiisq; alios alii ſuperare parati.
Hinc nemo illorum potuit divellere mentes,
Diſſidijq; ullas orituri texere cauſas:
Non lites, non inſidias, non nectere fraudes
Amplius aſſueti, aut fictis imponere verbis,
Viſceribusq; nocens virus ſepelire profundis.

Hominibus bona conſcientia.

Quid memorem quæ lætitia, quæ dona quietis
Adfuerint, cum ſperatum per ſecula munus
Amplexi, Puerumq; ſuæ ſtatuere ſalutis
Autorem, ſummam Patris qui tolleret iram,
Gaudia quæ nullus caſus, nulla auferet ætas;
Et licet immenſis agitati ſæpe periclis
Ærumnas triſtes tulerint, ſævosq; dolores,
Attamen, haud ullâ mole occubuêre malorum.
Sed mens in ſummis aderat lætiſſima turbis.
Scilicet intrepidè perſtat mens conſcia recti,
Quo res cunq; cadant, adſint quicunque labores,
Æquo animoq; capit noſtræ diſcrimina vitæ.
Hæc fuit illius virtus, hæc gratia lucis,
Qua ſatus ille Deo *cunctis antiquior annis*
Ætatis ſentire vices dignatus iniquas,
Os homini ſimilis, noſtris apparuit oris.

Præoccupatio, cur etiam nunc idololatria.

At licet hæc tanti præſtantia munera partus
Maxima pars hominum denſis obducta tenebris
Negligat, & tanquam ſuma ludibria ſpernat:

Non

Non ideò minor eſt vis atq; potentia Chriſti,
Aut minor iſtius virtus & fama diei.
Multa etenim veteris remanent veſtigia labis.
Nam quibus eſt tanta lucis non cognita virtus,
In ſcelus omne ruunt ſtupefacto pectore cæci:
Effera quin etiam Lethæi turba Tyranni
Pluribus hos ſubigit ſtimulis, graviusq; fatigat,
Quam quo prima fuit tellus correpta furore,
Inq; dies tantis illos aſſultibus urget,
Nil intentatum linquens ſcelerisve dolive,
Ut crudele tuum facinus ſectentur, Apella:
Qui tepido infantum ſparſiſti ſanguine terram,
Inſurgantq; odijs, & ſacro ſanguine paſci,
Ah ſcelus infandum flammis ferroq; cruento
Illorum cupiant, pueri qui ſacra ſequuntur:
Haud ſecus ac rabies, quem longa fatigat edendi
Immani fremitu nudum lupus aſper ovile
Invadit, tenerosq; rapit ſub matribus agnos,
Dentes exacuans, & turpes ſanguine fauces.
Quis Pater omnipotens pro tam crudelibus auſis.
Invehere in noſtras terras genus omne malorum
Aten, Tyſiphonemq; ſinit, torvamq; Megaram?
Hinc fas atq; nefas (miſerandum) vertitur omne.
Nulla fides, nullum ſtudium virtutis amorq;,
Lex jacet, & ratio paſſim violatur honeſti,
Libertas odijsq; datur, furor iraq; mentem
Præcipitant, atro liveſcunt pectora felle.
Hinc gliſcunt lites, hinc noxia jurgia ſurgunt,
Hinc eheu cunctis demens diſcordia terris
Bella movet, totoq; furit Mars impius orbe.
At tu ſancte Puer, qui noſtros ſolvere nexus,
Abluere & primi ſcelus exitiale parentis

bella, & in hominibus mala ſit conſcientia.

Apoſtrophe ad Chriſtum, eum

Per

ſuos ex hac perturbatione & confuſione rerum liberaturum.

Per truculenta fera voluiſti vulnera mortis,
Vt nos aſſereres fœdo de carcere Ditis,
Et pia perpetua conferres munera pacis:
Eripies tanti de colluvione tumultus,
Quorum corda tuæ ſtudio ſunt dedita laudis,
Et memor his firmum veræ bonitatis honorem
Reſtitues, lætamque dabis traducere vitam
Innumeris regni cœleſtis dotibus auctos.
Si tibi certa fides, ſi ſtat Rex maxime Divûm,
Si ſunt vera tui, ſi certa Encomia partus,
Quæ toto celeri concurſans æthere motu
Concentu vario ſonuit, ſtellantis Olympi
Gens agitans miros ſuperâ regione triumphos.

Precatio.

Eja igitur propius nobis tua numina firma,
Nate patris ſummi, redeuntis conditor ævi:
Te ſine decreſcunt effœto in corpore vires,
Inque malis animus tam multis deficit æger:
Eja iras, ſævumque hominum compeſce furorem,
Milite ne duro, ne Marte premamur iniquo,
Ne triſtis rapido vexemur turbine belli:
Turbida ne ſanctum diſpergant tempora cœtum,
Fluctibus aut ſævis rerum confuſio turbet,
Pro quo non fruſtra moribundo corpore natus,
Tot mala, tot ſævæ mortis tormenta tuliſti.
En age placato populum rogo reſpice vultu,
Qui tua mente tenet ſemper decreta tenaci:
Illius ab ſtudiis ſucceſſus adde ſecundos:
Sinceramque piis pacem tutoribus adfer,
Qui retinere ſtudent veræ pietatis honorem,
Eximiumque ſacræ fidei ſervare decorem.
Sic nos ſacræ tui repetemus gaudia partus;
Sic tibi perpetuo meritos referemus honores,

Sic dum clara cavo lucebunt ſidera cœlo,
Virtutem, nomenq; tuum, laudesque canemus.

Declamatio
de
Vocatione Gentium.

Habita
à
NICOLAO CISNERO.
Die Epiphaniorum,
Anno 1549.

EST hoc, Illuſtriſſimi Principes, voſq; præſtantiſſimi viri, in more poſitum, inſtitutoq; majorum, & à naturâ proſpectum, ut ad quod quis officium vel ſorte delectus, vel ſuperiorum benevolentiâ delatus fuerit; ei pro viribus ſatisfacere cogatur. Quanquam igitur neque ingenio, neque eruditione, neque autoritate ſum cum his, qui ſedent, & me dicentem audiunt, comparandus: tamen officij ratio, & Principis mandatum, me ad ſuſcipiendam iſtam dicendi *de Salute noſtrâ* provinciam impulerunt. Nam & munus hoc, ut alijs in docendo præſim, mihi impoſitum eſt, & rex, ut in hoc loco ornatiſſimo vos de hodierno feſto monerem, imperavit. Cui tantum ego tribui, quantum mihi & juvenilis ætas & bidui ſpatium conceſſe-

ceſſerunt. Itaque vos oro atque obſecro, ut quæ mihi juſtiſſima cauſa ad ſubeundum hoc munus viſa eſt, eadem vobis & ad ignoſcendum & amicè benevoléque audiendum videatur. Ac cùm hodiernus dies inſigne ſit teſtimonium omnium noſtrorum, qui è gentibus ſumus oriundi, cum Chriſto communionis, ſalutis, æternæque felicitatis; profectò apud nos poſteroſque noſtros magno in honore eſt habendus. Non enim minus nobis jucundi atque illuſtres eſſe ij dies debent, quibus certiores reddimur, nos pro ſummo Dei erga nos amore, & incredibili benevolentiâ, ex graviſſimâ Diaboli ſervitute, ac faucibus Orci ereptos eſſe, & ad Chriſtum vocatos, & ſaluti ſervatos ac reſtitutos, quàm ij, quibus primũ ortu & humanæ naturæ cõſociatione, ea nobis beneficia, ſed incognita obtigerunt. Etſi enim nihil unquam uberius, nihil optabilius, nihil præſtantius hominum generi datum eſt, quàm hoc die, quo ipſe filius Dei propter ſalutem noſtram induit naturam noſtram: tamen id Ethnicos fugiebat, & quia tantum ad Iudæos pertinere videbatur, quòd his ſolis interclusũm ad ſalutem aditum ſua ipſe virtute aperuiſſet; non tanto nos gaudio affici poteramus, quibus haud liquebat, quod certa ſit etiam gentium ſalutis ratio. Quamvis enim hæ promiſſionibus, quæ ſunt in Prophetis, nonnihil ſe recreare potuerint, tamen non ita ſe confirmarunt, ac cum ipſe Servator noſter, ſe etiam ijs, qui nec circumciſionem nec legem Moſis receperant, gratiam ſuam elargiri excellenti profectò exemplo declaravit. Tunc enim rectè ſtatuere gentes potuerunt, quod Chriſtus ſubje-

ſubjectos prope jam ac circundatos inferni ignes reſtinxerit, quod Diaboli tela in nos diſtricta retuderit, quod mucrones eorum à jugulis noſtris averterit: id non tam Judæorum quàm ſuâ causâ eſſe factitatum. Quæ quoniam in orbe poſt Chriſtum primùm hoc exemplo quod hodierno die celebramus, illuſtrata, patefacta & comperta ſunt, vobis jam breviter exponam vocationem gentium, & quæ ex eâ conſequantur, ut & quanta & quàm manifeſta & quâ ratione promiſſa & exhibita ſit, cognoſcere poſſimus.

Ut primùm *Adamo* poteſtas rerum agendarum per omnium ſcelerum improbiſſimum machinatorem erepta fuit, ſemper providit Deus, ut in tantis & tam abſconditis tenebris ſalvum genus humanum eſſe poſſet. Nam tum, cùm nobis, quod potuerat vis & effrenatus furor Diaboli detraxerat, abſtulerat, diſſipaverat, tum inquam, ſimulac è ſacrorum hortorum amœnitate ejectus ille & exterminatus fuerat, *Filium ſuum* liberatorem, ſalutis noſtræ recuperatorem, ac bonorum omnium propugnatorem promiſit, & Eccleſiæ ſuæ tutorem ac conſervatorem conſtituit. Atque ipſi quidem *Patres primi*, cùm & quid moliretur omnium bonorum oppugnator, & debilitatam ejus vim, fractumque animum promiſſione de ſemine mulieris cernerent, in eo omnes dies noctesq; conſumſerunt, ut & hujus fructum & illius damnum quaſi ob oculos poſteris ſuis omnibus ponerent. Sed cùm magna mentis caligo, magna ingenij ſtupiditas, magna quoq; rectæ voluntatis imbecillitas, tùm multiplices inſidiæ Diaboli, vitiorum illecebræ, atque

cupiditatum lenocinia, plus apud iſtos valuerunt, quàm vera Religio, quàm exiſtimationis pudor, quàm parentum gravis autoritas, egregium exemplum, præclara monita. Itaq; quòd illorum vita omnibus flagitijs inquinatiſſima eſſet, quòd incredibilibus ſceleribus priſtina cumularunt, quòd ficta numina coluerunt, à Deo abjecti ſunt, verbo ejus exciderunt, à promiſſis eius ſe abalienarunt. Hinc tot Dij, hinc tot phana, hinc tot cultus, hinc tot ſuperſtitiones emanarunt. Vix jam conditus mundus erat, vix poſt terra illa vi & proluvio aquarum purgata: quanta ſtatim immutatio hominum, quanta rerum confuſio, quanta illorum culpâ perditorum temporum extitit perturbatio? Quàm citò, bone Deus, pro virtute vitium, pro pietate furioſus Dei atque hominum contemptus, pro conſilio temeritas, pro juſtitiâ ac æquitate fraus & perfidia, pro fortitudine effrenati quidam & indomiti impetus hominum animos occuparunt? In hac tantâ rerum omnium confuſione ſolos Iſraëlis majores poſt eluvionem terrarum immensâ ſuâ clementiâ Deus ad ſe vocavit, ſuam voluntatem ipſis expoſuit, quid fieri placeret, oſtendit: illi autem Spiritus ſancti inſtinctu ſine recuſatione ac morâ, quæ eis Deus mandaverat, ſuſceperunt, ejus ſermoni crediderunt, illius promiſſionibus ſe ſuſtentarunt. Quocirca Deus fœdus cum illis inijt, promiſſa ſua eis de venturo liberatore addixit, eaq; in gratiam illorum auxit, & externis quibuſdam ſignis confirmavit. Ac cum creſceret & augeretur numerus poſterorum Iſraëlis, ad eorum rurſum ſe Deus amicitiam fœdere ac promiſſis applicuit,

Iſraelitarum ſ. litus.

popu-

populum ſuum, id quod ornamentum maximum fuit, eos appellavit. Ita enim ad eos loquitur Moſes: Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris omnium populorum, qui in terrâ commorantur. Tum ei leges, cultus atque Reipublicæ adminiſtrandæ rationem præbuit. Adhæc pulcherrimis urbibus, fertiliſſimâ terrâ, clariſſimis victoriæ monumentis, omni deniq; rerum copiâ ditavit & exornavit. Quid illa, quanta ſint, quis eſt quin videat, quòd ex illis ſecundum carnem oriundus erat Meſſias, quòd ad eos, nimirum ut ad domum Jacob, mittendus, ut eos diſſidentes rebus ſuis confirmaret, afflictos erigeret, perditos recrearet. Quid multa? Singularem ſemper Dei benevolentiam & in dignitate & in ſalute ſua tuenda perſpexerunt. Quando enim eis defuit? quando id, quod flagitabant, non dedit? quando id, quod opus eſſe putabat, non ultrò detulit?

At verò quàm à gentibus, à noſtris majoribus, qui ſe turpiſſimo idolorum cultu contaminarant, Deus abhorruerit, quàm eos deteſtatus, quàm execratus ſit, vel ex eo perſpicere licet, quòd ſuo populo planè noſtra conſuetudine interdixerat, quòd graviſſimè eos increparat, per Prophetas, propterea quòd gentes ad ſuam communionem admiſiſſent. Quid aliud eis niſi iram ſuam & exitium ſempiternum minatur? tantum abeſt, ut ullâ eos benevolentiâ complectatur. Non faciam, ut omnia teſtimonia enumerem, quibus planè à ſe repellit Deus gentes, ne & vobis moleſtus ſim, & mihi impedimento. Unum pro multis Hieremiæ cap. 9. locum adducam: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus,* *Gentium miſeria.*

Digitized by Google

& viſitabo ſuper omnem, cujus non eſt circumciſum præputium. Age verò, ſi ita Deus nobiſcum ageret, qui queſtus, qui mœror ſatis dignus in tanta calamitate inveniri poſſet? An non miſerum eſt, fortunis omnibus exturbari, capi, & ſub alterius ſervitutem redigi? At verò quantò miſerius eſt, non de fortunis periclitari, ſed animam graviſſimis hoſtibus non tantùm obſeſſam teneri, ſed omninò expugnari? Acerbum quis non dicat, in adverſam valetudinem incidere, graviſſimis conflictari morbis, duriſſimos tolerare cruciatus? Atqui multò profectò eſt acerbius, animas varijs agitari perturbationibus: varijs jactari cupiditatibus: aſſiduis vexari & perterreri furijs. Ipſa autem mors corporis, Deus immortalis, quid non doloris, quid non acerbitatis, quid non horroris habet? Quid ergo luctuoſius, quid funeſtius, quid horribilius morte animi ſempiternâ? in qua tantum eſt *miſeriarum*, tantum calamitatum, ut novæ crudelitati locus eſſe non poſſit. Ne plura, nemo eſt tanto ingenio, tanta vi, tantaq; dicendi copia, qui pro rei atrocitate ſatis deplorare noſtras calamitates poſſit, ſi Iudæorum ſolùm ſaluti Chriſtus proſpexiſſet, ſi ad nos fructus promiſſorum non pertineret, ſi nos mortis Chriſti non participes facti eſſemus. Quorſum autem hæc commemoratio? quorſum? ut eò majori lætitia hoc feſtum celebremus, eò ut in illuſtriore gloria ponamus, & diuturniore memoria proſequamur, quò gravioribus nos quoq; gentes malis liberatas, & præſtantioribus bonis ornatas eſſe his ferijs certius admonemur. Hujus diei memoria nobis ſeparationis à populo Dei, non noſtro merito, ſed gra-

Vocatio gentium.

tuita

tuita Dei benevolentia finem attulit: idemq; initium cum Chriſto firmioris conjunctionis. Hoc enim exemplo, quod hodierno die celebratur, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, declarare voluit, non ſolùm Iudæos ab interitu ſe vindicaſſe, ſed & Ethnicis, quicunq; in eum crederent, ſe priſtinam ſalutem interclusam aperuiſſe, Deum patrem placaſſe, ex graviſſima ſervitute ad æternam felicitatem aditum patececiſſe. Neque enim quiſquam eſt, quin ſciat hos ipſos Magos, Perſarum ſacerdotes & ethnicos fuiſſe, qui Chriſto munera obtulerunt, non Iudæos nec Moſi ſubjectos, nec circumciſos. *Magi primitiæ gentium.* At quod non minus grati & exoptati venerint, quòd non minus eorum precibus Chriſtus ceſſerit, quòd non minus in gratiam ab eo recepti ſint, quid attinet dicere? niſi fortè fruſtrà eos è ſedibus ſuis excitos, fruſtra à ſtella, ſive vera fuerit & nova, ſive angelus, ductos, fruſtra oraculo in ſomnis admonitos eſſe dixerimus, ut ſibi ab Herode caverent. Quare ex hoc intelligi poteſt, ex Chriſti ortu non minorem ad nos quàm ad Iudæos tum fructum tum lætitiam perveniſſe, id quod certè non in minoribus bonis eſt numerandum. Quid enim hac hiſtoria vel ad conſolandos omnes nos efficacius, vel ad confirmandos præſtantius, quorum à gentibus origo eſt, dici & excogitari poteſt, quod quæcunque generi humano Chriſtus ſuo ortu impartitus eſt, ea non tam Iudæis conceſſerit, quàm etiam gentibus communicarit. Nullus quidem lætior aut jucundior dies hominum generi unquam illuxit, quàm quo Chriſtus primo ortu ſuo metrim bonis, timorem Eccleſiæ ſervitutem depulit

Chriſtianis. Sed quia hæc tot tantaq; Chriſti beneficia ignota, latentia & obſcura erant, quia gentibus non annunciata, quia orbi terrarum non patefacta: ideò etiam non tantum gaudium tantamque voluptatem hominibus attulerunt. Neque enim ullius rei vel amore vel ſtudio ducimur: ſi quæ ejus vires ſint, neſciamus. Declarata illa quidem angelorum opera, ſed paucis Iudaicæ gentis hominibus, & Annæ & Simeonis cantionibus fuerunt. Damus etiam maximè perſpicua & clara Iudæis ipſius beneficia fuiſſe; at quid inde percepiſſent voluptatis gentes, cùm certò ſibi perſuadere non poterant, an ſua etiam cum Iudæorum ſalute conjuncta eſſet: Ut verò Magi ex locis tam longinquis Hieroſolymis duce ſtellâ regem Iudæorum inquiſiverunt, ut ab eo in Bethlehem inveſtigato non repudiati fuerunt, ut per Dei gratiam ſomnio de inſidijs & malitia Herodis certiores ſunt *facti*, tum & ipſius ortus cùm Principibus ſacerdotum & ſcribis populi Iudaici, tum gentibus notus & illuſtris factus eſt, & gentes quo animo in eas Chriſtus fuerit, certò exiſtimare potuerunt. Cum itaq; Chriſtum etiam pro noſtræ ſalutis ornamentis perpetuam & defenſionem & propugnationem ſuſcepiſſe ex hujus diei hiſtoria cognoſcere poſſimus: ita ut omnibus difficultatibus afflati apud eum pro ſua univerſa gratia locum habere poſſimus, quibus nos laudibus hujus diei memoriam efferemus, quibus ſtudiis colemus, qua obſervantia complectemur? Hoc enim primum poſt ortum Chriſti præclarum eſt teſtimonium, nos, quamvis neque circumciſi neque ſub imperio Moſis ſimus; tamen

non

non ſecus æternæ beatitudinis hæredes fieri, ac ſi è ſemine Abrahami, quod ad carnem attinet, nati eſſemus.

At jam pridem gentes ad cœleſtem, quam deſeruerunt, patriam vocandas fuiſſe multò ante Dei ſpiritu afflati vates prædixerunt. Quid? quaſi verò quiſque tam amens ſit, qui hoc neget, qui non videat. Nam, ut ceteros omittam, nihil ferè aliud Ieſaias, nihil aliud Hoſeas docuit, niſi quòd non tam Iudæorum quàm gentium ſalutem & dignitatem Chriſtus ex incredibili ſua benevolentia ſit propugnaturus. Ac ut cetera, quæ innumerabilia ſunt, omittam, quid clarius hoc loco Eſaiæ: *Et dixit Dominus, Parum eſt, ut ſis mihi ſervus adſuſcitandas tribus Iacob & faces Iſraël convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Quid illuſtrius illo Hoſeæ? *Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum, & eam, quæ dilecta non erat, dilectam.* Quid ſplendidius hoc quod Amos dixit. *Revertar & rurſus ædificabo tabernaculum David, quod collapſum eſt, & diruta ejus inſtaurabo, & erigam illud, ut requirant ceteri hominum Dominum, & omnes gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.* Nihil ergo in hoc exemplo quod ſingulari ſolatio gentibus ſit, continetur novi? Plurimum certè, cùm id quod graviſſimum eis & moleſtiſſimum onus erat, totum ijs detrahatur. Quid ita? quòd nec circumciſionis hîc nec legis Moſaicæ ulla habeatur ratio, quæ abrogata, reſciſſa & ſublata eſſe, non facilè ex illis vatibus cognoveris: Iudæis ſanè non viſum, fas eſſe gentibus abſque circumciſione

Occupatio à vaticiniis.

Ieſa. 49. 6.

Hoſe. 2. 23. Rom. 9. 25.

Amos 9. 11. Acto. 15. 16.

& legum obſervatione ſalutem conſequi. Quare & hi qui multum diuq; in Prophetis verſati erant, non ante gentes cum Iudæis conjungi & conſociari poſſe putarunt, quàm cum præputium circumcidiſſent & legi Moſaicæ ſe ſubjeciſſent. Quid tum? gravius eſſe id ſubire rati ſunt, quàm quidvis aliud ſufferre & perpeti? Quo pacto? quia & circumciſionem tanquam ſtultam & ineptam deridebant; multa in Rebuſpublicis mutanda, plura varijs illis legum generibus requiri, quam præſtare poſſent, videbant. Non eadem eſt igitur nimirum hujus exempli & dictorum à vate ratio. Quocirca quantum interfuerit inter vatum promiſſiones & hoc exemplum, quis eſt qui non cernat? Ex illis enim Christi quidem præſidium promtum ac paratum gentibus fore: imò ſancitum inpoſterum ſalutem illorum iri animadvertes: nihil autem de circumciſione abolenda, nihil de lege tollenda certò perſpicies. Ex hoc autem neq; circumciſionem neq; legis obſervationem neceſſariam ad felicitatem ſempiternam conſequendam intelliges.

Age verò ſenſerint idem Prophetæ, & circumciſionem labefactandam, & legem convellendam: & omnia in Repub. Iudæorum turbanda, per vim & oppreſſionem miſcenda, evertenda fuiſſe: num illud tamen ipſum vel Apoſtolos, vel doctiſſimos quoſq; ſacroſanctorum ſcriptorum ſtatim cognoviſſe dicemus, ſimulac Chriſtus morte ſua, quam eſſet ſibi chara ſalus noſtra, declaravit? Neq; enim ſi nos multorum exemplo inſtituti, Dei ipſius juſſu edocti, Apoſtolorum decretis ac primæ Eccleſiæ conſtitutis confirmati: hæc jam ex ipſis etiam vatum

tum carminibus afflatu divino fuſis didicimus: idcirco idem etiam primos noſtræ religionis proceres, nullo tali exemplo antea in Eccleſia doctos, ſcire potuiſſe, eſt exiſtimandum. Etenim toti ab hac ſententia diverſi in S. literis cernuntur. Enunciandam illi quidem & deferendam gentibus nomine Chriſti remiſſionem peccatorum, & vitam æternam ſentiebant: ſed ijs tantùm, qui & circumciſione & lege Moſaica ſe aſtrinxerant: non autem eos admittendos ad communionem Chriſti putabant, qui in præputio manſiſſent: id quod ex Actis Apoſtolicis cap. 10. perſpicuum eſt, ubi cum Cornelium Ethnicum Petrus plenius de Chriſto erudire & docere debebat, antea & oſtento & voce Dei, omnia munda eſſe, quæ ipſe Spiritu ſancto expurgaſſet, confirmandus fuit Petrus, quàm ad illud faciundum adduci potuit. Ergo quod tum quaſi heroës noſtræ religionis, homines ſanctiſſimi, & quod conſtat è diſciplina Chriſtiana doctiſſimi ignorabant, id gentes, quorum mentes humiles, anguſtæ, pravæ, oppletæ ſordibus ac tenebris fuerunt, id temporis prævidere putabamus? Oſcitantes ne igitur nos hoc exemplum magorum, cui hodiernus dies eſt conſecratus, deſpiciemus? aut non majores ex hoc nobis conſolationes adhiberi credemus, quàm quæ ſunt à vatibus ſacris longè ante uſurpatæ, tametſi & ipſæ magnæ, immò verò maximæ eſſe videantur? Minimè nos quidem: ſed hoc ipſum teſtimonium pro ſe quiſq; magni faciemus: & quid ex eo conſequatur, ſtudioſè diligenterque expendamus. Neq; ego hæc eò dico, quòd vobis viris clariſſimis ignotam rem ſcilicet pluribus ver-

Magi exẽplum gratia Dei.

bis commendare velim: ſed hoc à vobis peto, ut omnia, quæ dici poſſunt in hanc rem, etiamſi à me propter ingenij imbecillitatem & temporis angnſtiam non dicantur, veſtris animis pro veſtra prudentia comprehẽdere velitis. Eſt ne alius quiſpiam, nõ dico veſtrûm, ſed omnium mortalium, ad quos modò è tenebris clariſſima Evangelij lux refulſit, quin videat non ex meritis, ſed ex gratia omnis clementiæ, omnis manſuetudinis, omnis benevolentiæ autorem ac datorem nobis miſeris hominibus ſubveniſſe? Quod ſi eandem vim & efficacitatem habent legis opera & noſtræ præclaræ actiones, quã Dei miſericordia, Chriſti gratia & mors: quid attinet magos hos laudib. celebrare, beatos prædicare, ipſorum memoriam conſervare? Sed ſi quod meritis nihil tribuamus: legi & circumciſioni ſalutem acceptam non referamus: idcircò Dei benevolentiam in horum magorũ fide & beatitudine laudib. extollimus: virtutes, ſi modò hoc nomine in hominum factis mihi uti licet, ſilentio præterimus: quod hoc in loco leve & infirmum eſt; id alius grave & ſanctum eſſe ducet. Profectò quare hi ad æternam & omnibus partibus abſolutam felicitatem pervenerunt: eadem & alij eandem ſibi comparent neceſſe eſt. Ut ergo hi ex gratia regni cœlorum participes facti ſunt: ſic ejuſdem vi omnes eam conſequantur neceſſe eſt. Quid verò eſt, quòd tum à Paulo, tum ab alijs, qui & doctrinâ & pietate alijs excelluerunt, toties inculcatur & commendatur gratia & miſericordia Dei? quòd hominum actiones, legis opera & circumciſionis ſacramentum ab

ijſdem

iiſdem improbantur, qua de cauſa? quia hæc incerta ſunt & inſtabilia, illa autem certiſſima: quia hæc imperfecta ſunt & impura: gratia verò Dei per ſanguinem Chriſti perfectos nos & puros ut Deus judicet, efficit: hæc ne parvo quidem temporis ſpatio conſiſtere poſſunt: illa perpetuæ exiſtimationis & dignitatis fidem atq; religionem amplectuntur. Atque ita ſuas actiones in judicium Dei proferet beatorum nemo: miſericordiam commemorabit, gratiâ & merito Chriſti ſe fulciet atq; ſuſtentabit. Ego niſi vos ex hoc noſtro exemplo videre, niſi antea planè vobis perſuaſum eſſe exiſtimarem, cum magos, tum verò omnes quicunque beatitudine perferuntur ſempiterna, non ſuis factis, ſed ex gratuita Dei benevolentia in gratiam receptos, in filios Dei adoptatos eſſe, tum appoſitione exemplorum tum teſtimonijs Scripturæ hæc illuſtrarem, quæ verbis ſubtilius quàm ſatis eſt, diſputari videntur. Vultis, incipiam ab Adamo, vultis, poſt diluvium ab Abrahamo, ab ijs patribus, quibuscum multifariàm locutus eſt Deus noſter, quibus tandem gradibus aſcenderunt in cœlum? præſtantibus ne ſuis virtutibus, an gratuitâ Dei miſericordiâ? Certè ſi nos ſacroſancto Dei verbo fidem adhibere velimus, Adamum perditiſſimum peccatorem, Abrahamum idololatram fuiſſe reperiemus. Quibus certè actionibus ſi vitam promereamur ſempiternam, nullus idolorum cultor ab eo excludi poterit. Quid autem Moſes? Quid David? annon ad concilium illud beatorum immenſa Dei benevolentia propter ſemen promiſſum commigraſſe ipſimet teſtatur? Omitto

Prophe-

Prophetas, prætereo eos, qui interea ex gentibus ad cœlum ſunt evecti. Paulum verò ſi quis roget, qua re tum ipſe, tum alij beati facti ſint? ſi quis reliquos ejuſdem legationis ſocios, quid ſpectarint, quid locuti ſint, num quis exiſtat, cui præter Dei gratiam, Chriſti acerbiſſimam mortem & reſurrectionis ſpem quidquam propoſitum fuiſſe videatur? an putamus, quenquam vel horum vel qui iſtos ſunt inſecuti, cogitaſſe quicquam aliud, qua ſe placatos Deo & acceptos eſſe crederent, quàm quod ad ejus gratuitam clementiam & miſericordiam pertinet. Videte igitur quàm averſi à vero, quàm præcipites, quàm mente capti hi ſint, qui cùm ſe hodie ſolas Chriſti ejusq; diſcipulorùm virtutes rectè imitari gloriantur, eo tamen animo, ut cum Chriſto ejusq; diſcipulis in hoc doctrinæ capite ſumma contentione pugnare non dubitent. Sed cùm & hæc vobis ſint perſpecta, & tempore excludamur: *nunc ut* pro gratia hac nos gratos præſtemus, *eſt* enitendum. Quid ergo nos Chriſto liberatori & autori noſtræ ſalutis offeremus? quid ei pro præſtantiſſimo ſuo beneficio reddemus? quas ei gratias referemus? qui omnium ſceleratiſſimum veteratorem, adverſarium noſtrum tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in ſcelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, devicit, qui hujus fraudes, graviſſimam molem mali à cervicibus noſtris depulit, qui patrem cœleſtem tum noſtra culpa, tum Diaboli opera irritatum, offenſum, exacerbatum, mitigavit, nos ſuâ juſtitiâ Patri commendavit, ut nihil ei tam gratum, quàm noſtrum nomen, nihil tàm charum tùm ipſi, tùm toti

toti omnium cœleſtium agmini, quàm noſtra reſtitutio perpetuaq; ſalus eſſe videatur? Quibus pro tantis rebus nullum ipſe à nobis præmium beneficij, nullum inſigne honoris, nullum monumentum laudis poſtulat, præterquam adorationis unà cum Magis; & ipſius ortus, cruciatuum ac mortis & noſtræ ſalutis memoriam ſempiternam: Qui cùm in ſtudio doctrinæ & fide, ac quæ ex ipſa manat, vera invocatione tum Dei amore, tum proximi charitate omnia ſua condi ac collocari velit; cùm nihil à nobis flagitat aliud, quàm ut religionis deſiderio flagremus, ut ei credamus, ut eum quibus poſſumus precibus invocemus, ut agnitum liberè etiam in conſpectu regum, non ſecus ac Magi, confiteamur, ut nomen ejus celebremus, laudes ejus prædicemus, gloriam ejus propagemus, denique nullas nobis inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitæ diſcrimen pro ipſius doctrinâ aſſerendâ, pro noſtra dignitate retinenda, pro noſtra ſalute conſervanda, evitandum eſſe, certò nobis perſuadeamus. Ac cùm nihil tantum ſit, quod non noſtrâ de causâ tùm ſtudioſè, tùm libenter fecerit, viciſſim commendat nobis pauperes, præcipuè verò miniſtros ſuos, qui ſuam hîc in terris perſonam gerunt, ut quoties eos jacentes in ſordibus ac omni ope deſtitutos videamus, toties de maximis ſuis beneficijs, toties de mirabili liberalitate, toties de ſingulari benevolentiâ ſuâ cogitemus. Eorum itaque caſus opibus noſtris ſuſtentemus, reliquis in rebus, omni noſtra opera, cum ſtudio ac diligentiâ eis adſimus, eoſque tueri ac defendere ſtudeamus.

Quæ

Quæ cum magis ope & auxilio divino quàm ratione & conſilio noſtro perficiantur, ut tùm nos, tùm verò omnes ſuos miniſtros & Eccleſias tàm miſerè diſſipatas Deus pater adjuvare, fovere ac conſervare velit, per filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſupplex ab eo etiam atq; etiam peto precorque.

Dixi.

NICO-

Digitized by Google

NICOLAI
CISNERI
Idyllion

DE VERIS ET AV-
TVMNI COMPARA-
tione,

AD

ILLUSTRISSIMUM
PRINCIPEM,

FRIDERICVM II.

PALATINUM ELECTO-
REM DUCEM BA-
VARIÆ.

De eodem argumento

ORATIO

Scripta eodem Autore.

Digitized by Google

CHRISTIANUS LOTICHIUS.

DUm facit alternis juvenes concurrere cannis
Ciſnerus, dulces datque cicuta modos,
Et Corydon Maij celebrat naſcentis honores,
Laudibus Autumni Baſſarus ornat opes:
Fronde recincta nigris veniens de montibus, inquit,
Docta vetuſtatem carmina ferre, Dryas:
Sæviat acris hyems Scythicis adoperta pruinis,
Ut volet, & celſis nix cadat alta jugis;
Prælia committant rapidi contraria venti,
Hinc Notus, hinc Boreas acribus inſtet equis;
Invidioſa tamen non hunc populabitur ætas,
Qui mihi partus ab hoc carmine ſurgit honos.
Frondibus orbarint cùm dura virentibus ornos
Frigora, ſtabit atris ornus opaca comis.
Dixit: & aſperſit violas, cedroque notavit,
Ferret ut ætatis ſecula multa liber.

ILLY-

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

FRIDERICO,

SACRI ROM. IMP. ELECTORI, COMITI PALATINO RHENI, BAVARIÆQ; Duci, &c. Domino ſuo clementiſſimo,

NICOLAUS CISNERUS S. D.

Ts i multæ in tuâ Celſit. ſummæ virtutes elucent, Princeps Illuſtriſſime; tamen haud ſcio, an quicquam habeat amplitudo tua majus atque præclarius, quàm egregiam erga literas voluntatem. Nam hiſce noſtris optimarum artium & diſciplinarum ſtudijs magnopere T. C. delectari, cùm aliæ multæ res documento ſunt; tùm vel hæc maximè declarat, quod à quibuſdam noſtrum, T. C. nomine, petitum eſt, ut comparationem inter Ver atque Autumnum inſtitueremus. Ac tametſi ego nec ingenio, nec eruditione huic

muneri ſatisfacere poſſum: Tamen ne & benevolentiam T. C. ignorare, aut autoritatē tuam aſpernari viderer: alteram mihi de Vere Majoq; commendando partem ſumſi. Sed quoniam duo ſunt hominum genera, quæ licet earundem ſint in re aliqua partium: tamen diverſis nituntur rationibus: Unum, quod ea potius, quæ mente atq; intelligentiâ comprehenduntur, quàm quæ ſub ſenſus cadunt, propoſita habet: alterum, quòd ijs potiſſimùm, quæ in oculos incurrunt, movetur: non alienum à noſtro propoſito eſſe duximus, utriuſq; generis rationes pertractare. Quocirca certa, firma, & neceſſaria argumenta, ſed à ſenſu maiori ex parte remota: quibus Maij & Veris tempus Autumno anteponendum eſſe probavimus; declamatione quaſi quadam complexi ſumus. Ea autem, quæ ſenſibus ſubjiciuntur, & rudibus atque agreſtibus hominibus obvia ſunt, verſibus comprehenſa tradidimus. Itaque ut decori rationem haberemus, orationem ita conſcripſimus, ac ſi in cœtu doctorum virorum diceretur: In carmine autem paſtores quoſdam induximus loquentes, qui de Maij & Autumni præſtantia non exquiſitis, ſed vulgaribus & communibus argumentis decertarent. Reliquum eſt, ut à T. C. petamus, ut quæ à nobis, rudia illa quidem & impolita, ſed gratificandi voluntate profecta ſunt, bonam in partem T. C. interpretetur. Quod ſi à T. C. impetraverimus, ad priſtina T. C. erga me ſtudia maior cumulus accedet.

Valeat T. C. etiam atque etiam. Heidelbergæ. Anno M. D. LI.

IDYL-

IDYLLION
DE MAII ET VERIS LAUDIBUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INTERLOCUTORES.

BASSARUS. CORYDON. DAMÆTAS.

QUid facimus? cur non calamos inflare ſonoros BASS.
Incipimus? pecorumq́, alternis verſibus aures
Mulcere, & noſtro depellere pectore curas,
Hîc ubi conſpicuo vallis latiſſima rivo
Cernitur, & viridi floreſcit gramine ripa,
Et nova diffundunt frondoſæ brachia fagi?
Si quid habes referas, in me mora non erit ulla, COR.
Experiar, quid ego poſſim præſtare viciſſim.
Vis igitur narrem dulces tibi Chloridos ignes, BASS.
Inclyta vel magni decantem Daphnidis acta?
Aut aliud tenui quiddam modulemur avenâ.
Hîc neque formoſam locus eſt extollere Nympham, COR.
Nec licet agreſti depingere Daphnida Muſâ,
Daphnida perpetuo laudari carmine dignum.
Quin potius molli quoniam conſedimus herbâ,
Et nunc ſylva comis, nunc ſplendent floribus horti,

Digitized by Google

Aëris & vitio duri confecta fuêre.
Vere ſinum molli turgentem germine pandit
Alma parens, iterum conceptu prodiga fœtu,
Grataq; fert vario nobis munuſcula cultu,
Omnibus effundunt nunc omnes omnia terræ,
Paſcua jam pecori paſſim vernantia ſurgunt,
Prata virent herbis vario veſtita colore,
Lætaq; odoratis decorantur floribus arva,
Atque novo ſplendent fragrantia lilia luxu,
Et roſa purpurei capitis diducit honorem,
Totaq; fulgenti rutilat ſplendore comarum,
Ac bene fragrantem latè diffundit odorem;
Jam viridi in prato Galatea, & Chloris & Ægle
Ipſa inquam Galatea tuos quæ conficit artus,
Et multum dilecta mihi pulcherrima Chloris
Affectu recreant languentia pectora dulci:
Dum teneris prati digitis populantur honorem,
Pallentes violas, foliisq; hæc lilia pulchris
Decerpit, nitido ſpoliatq; roſaria amictu,
Illa comas Narciſſe tuas, mollesq; Hyacinthos
Subſecat ungue, tuumq; decus dulciſſime Adonis
Adjungit reliquis, florem & bene olentis anethi.
Pars quoque jam mixtos plures redeuntibus herbis
Imponunt calathis flores, & tempora circum
Geſtant, pars vario florentia ſerta decore,
Concentusq; movent concinnâ voce ſonoros,
Vere novo abjectos Autumni tempore crines
Jam renovant ſylvæ, nunc omnis frondibus arbos
Luxuriat fœcunda novis, ornata comisq;
Inducit gelidis obſcuram fontibus umbram,
Ipſe vides tilias, fagos, & robora quercus,
Hos montes ſummo latè quàm vertice opacent.

Omnia nunc reſonant avium virgulta ſuſurro,
Nunc ſibilans blandis attemperat organa cannis,
Et ſolitas repetit cantu Philomela querelas:
Nunc maculoſa ſonat carmen turdela canorum,
Jamq́; parat ſylvis graciles ſuſpendere nidos;
Nunc etiam nitidi vicino in flumine piſces
Colludunt, & aquæ ſuprema in parte morantur:
Nunc Veneris flammas animantia cuncta ſequuntur.
Aſpice ut ex paſtis rorantia gramina vaccis
Pars procumbat humo, dulces & ruminet herbas:
Pars nemoris denſi jucundis erret in umbris
Mugitu complens lucos, ſylvasq́; ſonantes:
Aſpice ut adverſis luctentur cornibus hœdi:
Acriaq́; ut fortes accendant bella juvenci,
Aſpice oves plano ſaliant ut tramite pinques,
Et teneri exultent agni, matresq́; ſequantur,
Ipſi etiam lætas tollunt ad ſidera voces
Excelſi montes, ipſæ jam jubila valles
Emittunt, ipſiq́; ſonant jam carmina campi.
Nos quoque ſentimus genialis commoda Veris
Paſtores ovium, relìqui pecorisq́; magiſtri,
Frigora quod placido mulcentur ſæva calore
Tardius, atque cadant altis de montibus umbræ.
Jam verò an poterit quicquam jucundius eſſe:
Quàm gelidos inter rauco cum murmure fontes
Atque inter vario labentia flumina flexu
Fronde ſub umbroſâ jucundum carpere frigus?
Mellis ubi ſylva foliis trepidantibus aura,
Atque ales lepido cantu, blandoq́; ſuſurro
Taurigenæ volucres ſuadent captare ſoporem,
Aut rude ſilveſtri modulari carmen avenâ.
Omnia quid referam? non tot ſe millia condunt.

In ſyl-

In ſylvis avium, nec habet tot meſſis ariſtas:
Delitiis vitæ noſtræ quot Majus abundat.
Omnia nunc rident, nunc formoſiſſimus annus.
Denique non alios naſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim; ver illud erat, ver magnus agebat “
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri. “

Plurima ſed nobis Autumnus commoda præſtat, Bass.
Utilior toto non eſt pars altera in anno.
Tum tibi ſumma, pater Bacche, eſt concesſa poteſtas
Lætitiæ dator, & dulcis largitor amoris;
Te ſine friget amor, nec te ſine Cypria læta eſt:
Vinea tum turget tumidis onerata racemis,
Et gravidæ plenis pendent de vitibus uvæ,
Quæ paſcunt oculos, ventriq́; alimenta miniſtrant:
Harum aliæ ſurgunt ad aprici lumina ſolis,
Supremaq́; toros diffundunt fronde comantes:
Aſt aliæ nimio depreſſæ pondere terras
Contingunt, ima fundentes ſtirpe racemos;
Tunc etiam dulces tenero de palmite fructus
Laſcivæ reſecant curvatâ falce puellæ,
Et liquidas vario cantu modulantur ad auras.
Turgentes alij magno ſub pondere botros
Tundunt, atque novo condenſant dolia ſucco
Labraq́; tortivo fervent ſpumantia muſto,
Suavia quod feſſis præbet ſolatia membris,
Et gravibus ſolvit circumdata pectora curis.
Roſcida tum vario turgent pomaria fructu.
Dulcia quid ramo pendentia poma feraai,
Quidq́; nuces referam? quid caſtaneas hirſutas,
Meſpila quid, gravidas fœtu ficusq́, piroſq́,
Autumnus pleno cornu quæ Pomifer edit?

Hoc ſitis atq; fames fructu depellitur, hiſq;
Divitijs poteris tranquillam ducere vitam.
Ante colent ergò torrentia flumina turdi:
Et vitrei ſicco paſcentur in aëre piſces:
Divitijs Maij tribuat quàm latus honorem
Autumnus, variis penum qui fructibus implet.

COR. *Ergone delitiis tantum eſt accommoda blandis*
Temperies Maij, nullos & ſervit ad uſus?
Verùm age, ne Majus merito ſpolietur honore,
Illius ipſe tibi referam bona, Baſſare, paucis.
Ver tantùm nemori eſt, & apricis utile pratis
Utile ver fato pecori, pecoriſq; magiſtris:
Lenta ſalix ovibus quantum, capriſq; cyperus,
Atque ſatis humor ſurgentia gramina vaccis,
Vere novus ſuccus creſcentibus inditur herbis:
Mollia nec canis concreſcunt prata pruinis,
Sed pecori in tenerâ ros eſt gratiſſimus herbâ:
Hinc diſtenta domum ſua geſtant ubera vaccæ,
Omnia candenti complent mulctralia lacte.
Plurimus eſt hujus teneris infantibus uſus,
Ac ope ſolius generoſi lactis aluntur:
Hinc etiam mixtis preſſos redolentibus herbis
Caſeolos digitis format Galatea tenellis,
Qui ſalis & florum referunt cum lacte ſaporem.
Hinc quoque butyrum decoctâ lactis ab igne
Maſſâ conficiunt tenui cedente liquore;
Aut ſale contingunt, hyemi quod deinde reponunt.
Nec tam prata juvat rivus, nec ſemina ſuccus,
Nec nemus umbroſum volucres, nec flumina piſces,
Butyrum ut decorat menſas, noſtraſq; culinas.
Adde favos liquidi cœleſtia munera, mellis,
Atque apium dulci diſtentas nectare cellas.

Vare

Vere quod ex cytiſo ſugunt & flore ſalicti,
Frigore dum pulſo ſaltus, ſylvasq́ peragrant
Purpureosq́ petunt hortos placidoq́ ſuſurro
In denſis nemorum reſonant examina lucis.
Jam quando niveæ præſtantia vellera lanæ
Ipſe gregi primum ſoleas auferre bidentum,
Ut gravis ære manus tumeat, tu, Baſſare, noſti,
Utitur hac geſtatq́ ſimul cum divite pauper.
Frigus enim pulſat, corpusq́ tuetur ab æſtu.
Denique quis poſſet parvos ſua pignora natos,
Baſſare, ſuſtentare cibis, & pellere frigus,
Noſtra quod in ſæva conſtringit tempora bruma:
Si tibi non Maij tempus ſua dona miniſtret?
Cætera ne referam, fundit quæ commoda Phœbus,
Cùm medium Majo cœli procedit ad axem.
Non mihi butyro, lacti, lanæve bidentum
Arborei fœtus conferri poſſe videntur.
Quin etiam quoſcunque parit vindemia fructus.
Proventuq́ onerat cellas quocunq́ bonorum:
Præſidij vernantis in his eſt indiga Maij.
Tum terræ in gremium fœcundis imbribus æther
Deſcendit, profertq́ ſuo ſol cuncta calore,
Hinc tenero lachrymas fundit de palmite vitis,
Et virides læto turgent in palmite gemmæ:
Pampinus & denſo vites obvelat amictu:
Ne calor exiguas comburat fervidus uvas.
Aut ſævi noceant magnis Aquilonibus imbres.
Tunc revirens teneris adoleſcit frondibus arbor,
Vitalesq́ capit ſuccos, & germina fundit.
Non minus ergo ſibi tua Majus dona Lyæe,
Poma, nucesq́, quibus felix exuberat annus,
Vendicat, Autumnus quamvis hæc jactitet uſque,

Ut majora vides, ſuccis & pluribus aucta
Sponte ſuâ fœtu mittit quæ divite tellus:
Cùm ſol creſcentes decedens duplicat umbras,
Quam cum prima novo colluſtrat lumine terras,
Diſpulſiſq; nitet ſurgens aurora tenebris:
Quæ tunc haud illo creverunt veſpere ſolum,
Sed præcedentis prius ipſis tempora lucis
Creſcendi vires, atque incrementa dederunt.
Utq; levi crates, quas nunc de vimine texis
Non quâ finieras, feciſti temporis horâ.
Sed labor hîc ſeptem ſoles pluresve requirit:
Sic neque prima tibi, quos profert, cauſa ciborum,
Autumnus fuerit, ſed ſumma potentia Maij,
Nam ſi non Maij exciperet clementia terras
Et dulcem ſuccum teneris infunderet herbis,
Cunctaq; vivifico paritura calore foveret,
Nulla tibi ſpectanda foret vindemia vini.
Uſque adeò præſtare nihil Majo ſine poſſet.
Aëre quin potiùs vario ſubitoq; noceret.
Et magis illius nobis mutatio obeſſet,
Inconſtans, variâ vitioſi ſideris aurâ.
Nam quæcunque prius creſcentia læta fuerunt,
Viribus exhauſtis graviter tunc omnia mœrent,
Areſcunt vitio morientes aëris herbæ,
Et ſitiunt agri, frondes ſylvæq; comantes
Deponunt, triſtis præbentes ſigna ruinæ.
Quàm variâ, ah, premitur paſtor tum mole laborum,
Quicquid agis, vis te violenti frigoris urit
Horrida, & hirſutis dependet ſtiria barbis.
Triſtius haud toto quicquam eſt paſtoribus anno
Quam gravis Autumno varia inconſtantia cœli;
Nec pecudes viridi tum ſuſtentantur in herbâ,

Arida

Arida ſed rigidi conſumunt pabula fœni.
Sordibus hæc maculata replent fœnilia fœdis.
Sæpius hinc atro dilapſa cadavera tabo
In ſtabulis cernis, fluidi & contagia morbi,
Spemq́ gregemq́ ſimul noctem vitiare per unam.
Tum mordax Boreæ frigus, ventiq́ maligni
Heu, pecus omne gravi quam tentant undiq́ morte,
Fœtida oves ſcabies vexat, turpisq́ podagra,
Nec licet has fluvio tum ſubmerſare ſalubri,
Immundus teneris ſudor, ſed ſemper adhæret
Faucibus, & porcos tuſſis quatit aſpera obeſos
Et vituli triſtes ſanie infuſcantur acerbâ,
Et reddunt animas atro cum ſanguine Tauri.
Noſtra etiam varij tum tentant corpora morbi,
Et mala corripiunt ſæva contagia peſtis,
Nonne meus pater, ah, Autumni incanduit æſtu?
Et dulces animas nuper cum matre reliquit?
Aëre corrupto peſtis cum lapſa trahebat
Oſſa minutatim, fluido damnoſa veneno.
Plura quid? Autumni quæ ſint incommoda fœdi
Et pecudes, montesq́, feri, ſylvæq́ loquuntur.
Non etenim recreat noſtras tum lumine terras,
Nec evectus equis Titan petit æthera, nec tum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
At grata eſt Zephyris ſpirantibus omnibus aura,
Et capiunt vitæ vegetas animantia vires.
Hinc tibi fronde nemus, varijs hinc floribus horti,
Hinc plaudet palmes gemmis, hinc campus ariſtis,
Hinc magis in pratis pecudes ſaturantur opacis,
Pluribus hinc noſtra diteſcunt fœtibus ædes.
Omnia & hæc propriâ præſtat virtute, nec ullum
Subſidium Autumni Maij vis magna requirit.

Aſpera

Aſpera quantum igitur cedunt dumeta roſetis,
Et violæ ſpinis quantum Paliurus acutis:
Tantùm chare tuus largitur, Baſſare, Majo
Viribus ab illo ſumtis Autumnus amœno.

BASS. *Vere licet primo ſurgant in palmite gemmæ,*
Et foliis arbor, pubeſcat vinea botris:
Attamen Autumno molleſcunt vitibus uvæ,
Et fructus arbor maturis vitibus uvæ,
Et fructus arbor maturis fœtibus edit.
Ergo vides etiam Autumno ſupereſſe vigorem,
Omnia quo ad certam veniunt naſcentia metam.
Juppiter has leges, æternaq; fœdera cunctis
Impoſuit rebus, cuiq; vt ſua numina ineſſent.

COR. *Non minus interea vires aliunde receptas*
Majores repetes, quàm quas tibi tempora præſtant,
Autumni ſemper rapidis horrentia ventis.
Cuncta quod in Majo vitalem menſe vigorem
Accipiant, ſua tum veniant quoque ſemina rebus.

BASS. *Neſcio quid dicas, ac ſi non fœdere certo*
Omnia junxiſſet moderator tempora mundi,
Hæc vt ad exortum facerent, illa ultima ferrent
Effecta, vt totum victus ſupereſſet in annum.

COR. *Poſteriora tamen primis ſunt ultima factis.*

DAM. *Parcite paſtores, non ſunt paſtoria, quæ nunc*
Profertis, tetricam ſed verba decentia barbam.
Non potero paſtor talem cognoſcere litem,
Quæ magis arbitrio eſt gravium dirimenda Sophorum.
Sit ſatis, en Corydon, mihi nam tua cauſa probatur,
Hanc habeas capitis redimentem tempora laurum.
Ut frons arboribus decori eſt, vt gramina campis,
Ut flores hortis, ſegetes vt pinguibus arvis;
Sic decus eſt reliquis placidum ver partibus anni.

DE

DE MAII VERISQUE CUM AUTUMNO COMparatione & laudibus

ORATIO.

CUM multis ex rebus, quæ in hâc rerum naturâ continentur, ut ex cœleſtis machinæ ornatu, motus æquabilitate, ſiderum omnium diſtinctione, ſumma & prudentia & benevolentia Dei Optimi Maximi, perſpici poteſt: tùm ex hac re vel maximè, quòd ex Solis, Lunæ, cæterorumq; aſtrorum curſu, converſione, acceſſu & receſſu, ortu & obitu, admirabili ratione temporum viciſſitudines, & ſpatia diſtinxerit. Nam ex mutationibus illis temporum omnium, quæ terrâ mariq; gignuntur, tùm initia cauſæque ducuntur, tùm incrementa & progreſſiones conſequuntur. Neque hoc tantopere admirandum videretur, hæc ita ſingulari arte, incredibili conſilio eſſe ordinata & perfecta: ſi non eſſent ad generis humani, reliquorumq; animantium & utilitatem & voluptatem omni ex parte accommodata. Verùm ita ad omnia conſervanda & tuenda conſentiunt, ut ſumma ſapientia ſummâ cum benevolentiâ conjuncta eſſe videatur. Quòd enim ex ſiderum motu, & ratis immutabilibusque curſibus varias temporum converſiones fecerit, infinitæ ſapientiæ: quòd verò eaſdem ad fructuum conſervationem, & ſalutem hominum contulerit, ſuæ in nos perpetuæ benevolentiæ acceptum eſt referendum. Etenim niſi omnia cingens & coërcens

cens cœli complexus, circum terram volvendo, conſtantiſſimè conficeret viciſſitudines annuas: niſi ſtellæ curſus ordinatos definiendo varias frigorum & calorum facerent varietates: niſi ſol cùm delitescendo, tùm rurſus ſe aperiendo diem noctemque, tùm accedendo, tùm recedendo binas in ſingulis annis reverſiones ab extremo contrarias produceret: nec foveri plantæ, nec beſtiæ ſuſtentari, nec homines conſervari poſſent. Nunc verò in tantâ conſtantiâ motus cœli: in tantâ convenientiâ & certitudine curſus ſtellarum, tùm inerrantium, tùm vagarum: in tam temporum conſentiente & conſpiratâ cognatione factum eſt, ut alio tempore floreat, alio horreat terra: ut in ſuo quodque tempore oriatur, augeſcat atque pubeſcat: ut beſtiæ in ſuo quæque genere ex largo & copioſo paſtu alantur atque ſuſtineantur: ut homines in tantâ fœcunditate terræ ſummâ cum voluptate vitam retinere atque propagare poſſint. Quamobrem quidem mihi graviſſimè vituperandi eſſe videntur, non ij modò, qui DEUM ab omni curatione & adminiſtratione rerum vacare opinantur: ſed & illi, qui de DEI miſericordiâ clementiâque deſperant: cujus ſumma in genus humanum beneficia tota illa rerum univerſitas, nullo non loco, nullo non tempore, nobis ante oculos proponit. Ac tametſi ex cœli motu in hac rerum conditione omnes vices temporum ordinatæ & conſtitutæ ſunt, ad incolumitatem mundi, & commoditatem viventium: tamen alijs aliæ effectorum varietate ſunt præſtantiores. Neceſſe enim

enim fuit in hac vitæ communione, non in ijs modò rebus, quæ ſub diverſis generibus continentur: ſed in his etiam, quæ ad idem referuntur, gradus fieri; ex quo factum eſt, ut ſi per ſe quamque rem conſideremus, ſuâ laude ſit digna: ſin verò cum alterâ conferamus, illius dignitatem nullo modo aſſequatur. Quàm ergò inepti & iniqui judices hi ſunt, qui ſi quid alteri prætuleris, ſtatim te, tùm alterius naturam deformare, tùm de DEI gloriâ & judicio detrahere vociferantur: nemo eſt quin intelligat. Si enim & metalla, & gemmas & plantas, beſtias & homines plurimum inter ſe dignitate & excellentiâ differre videmus: nimirum inter temporum etiam momenta maxima in his ipſis rebus erit diſſimilitudo. Nec ſi aurum argento, Smaragdum Amethyſto, Amaracum urticæ, Equum aſino, principem agricolæ anteponere licebit: & in temporum varietate idem facere nefas erit. Cùm enim in quadripartitis temporum commutationibus, quæ ex ſolis circuitu, progreſſu & regreſſu efficiuntur; Ver & Autumnus plus utilitatis & voluptatis in ſe habeant, quàm vel Æſtas vel Hyems: non abſurdum fuerit opinor, ſi quis cæteris anni partibus anteferat: non quòd aliæ illæ ſint rejiciendæ; ſed quòd majorem vim obtineant. In menſtruis quoq; ſpatijs, quibus Luna annuos Solis curſus conſequitur, cùm ſint, quæ cæteris omnibus non tam commoditate, quàm ſuavitate excellãt: quæ res eſt, quæ cujuſquam animum dubium facere poſſit, quò minus,

minus, quæ ſunt præſtantiora cæteris, pluris eſſe facienda arbitretur? Ex his autem præcipuis anni partibus utram alij potiorem arbitrentur, ipſi viderint: ego mehercule quoquo verſum me oculis, animo & cogitatione converto: nec gratius, nec jucundius temporis ſpatium Vere, menſéq; Majo eſſe reperio.

Ac quidem bona omnia, quæ nobis hoc tempus ſuppeditat ſi commemorare velim, tempus hercule me citius, quàm oratio deficeret. Quæ certè niſi majora eſſe fatear, quàm ut eâ oratione explicare poſſim; & plura, quàm ſcribendo cõplecti; amens ſim oportet. Etenim ſi ut res ipſa declarat nulla dicendi tanta vis, tantaque copia: nullum tam divinum atque incredibile genus orationis; quo quis horum commodorum magnitudinem, multitudinemque non dicam exornare, ſed enumerare poſſit: quo tandem animo ego, qui nihil elaborare ingenio, perficere induſtriâ poſſum, tantum mihi ſumerem, ut omnes Veris Majique laudes me enarrare aut conſequi poſſe putarem? Itaque reliquis omnibus, quæ infinita ſunt, prætermiſſis: ea ſolum, quâ poſſum dicendi facultate, recenſebo: ſine quibus homines bene & beatè vitam traducere non poſſunt. Quâ in re ſi aut vobis non ſatisfecero: aut cauſæ meæ aliquâ in re defuero: vos quæſo obteſtorque, ut rei magnitudini potius, ac meæ dicendi jejunitati: quàm ulli alij cauſæ id tribuendum putetis. Nam illa ipſa etiam; quæ planè ad ſuſtentationem vitæ neceſſaria ſunt, tot ac tanta illa temporis affectio, quæ Hyemi ſeneſcenti adjuncta eſt, profert: ut unde potiſſimum exordiar,

diar,

diar, aut à quibus initium ſumam, aut quid primum commendem, haud ſciam. Quid enim per Deos immortales, quid in illo temporis ſpatio eſt, quod non ſummâ laude atque commendatione dignum eſſe videatur? Veruntamen ut ordine progrediatur oratio: non ut quidque in hac ſummâ bonorum abundantiâ maximè laudabile fuerit: ſed ut primum ſuâ naturâ eſt, ita etiam primo loco commemorabo.

Ac principio quidem inter omnes conſtat, ex ſolis cõverſione & circuitu omnes temporum mutationes, omnes anni viciſſitudines, omnes rerum maturitates fluere atque manare. Siquidem cùm ſol curſum ſuum à Capricorno ad nos reflectit, ver æſtatemque gignit: cùm à nobis digreditur, Autumnum & Hyemem procreat. Neque enim vere omnia pene, quæ ſuperiorum temporum ſævitia afflicta ſunt, recrearentur: neque æſtate immodico torperent æſtu: neque Autumno caloris deceſſione, aut frigoris acceſſione inconſtanti deficerent: neque Hyeme immoderato frigore atque gelu obrigeſcerent, & de ſtatu ſuo dejicerentur; niſi ſol ultrò citroq; ambiendo terram, nunc hanc nunc illam partem ſua luce colluſtraret, motu ſuſtentaret, & calore confirmaret. Hinc ſuæ quibusque temporibus affectiones innatæ ſunt; quæ ut vitæ hominum, ſalutique animantium conveniunt: ita & ſalutares & pernicioſæ ſunt exiſtimandæ. Quod ut eò melius cognoſcamus, operæ pretium erit, qualitatum illarum vim naturamque paulò altiùs conſiderare. Omnia quæ aluntur & creſcunt, in ſe aut calorem, aut humorem, aut frigus, aut ſicci-

igneà celeritas ineſſe videatur? Quin ipſos etiam piſces, qui natura ſunt maximè frigidi, minimè expertes eſſe caloris, tùm ſpiritus, qui in ipſis eſt, declarat, tùm liquor ipſius aquæ, quæ neque conglaciaret frigoribus: neque nive pruinaq; concreſceret, niſi eadem ſe admiſto calore liquefacta, & dilapſa diffunderet. Quare cùm calidum illud atq; igneum, ita in omne fuſum ſit natura vivente: ut in eo inſit procreandi vis, & cauſa gignendi, à quo & omnia animalia, & ea, quorum ſtirpes terra continentur, naſci ſit neceſſe, vigoremque ſuum accipere, dubitamus etiamnum? Quin ea tempora, quæ omnibus rebus ſalutarem & vitalem impertiunt calorem: ijs, in quibus hæc deficiunt, & aquilonibus omnia dureſcunt, longè emineant? At verò ſi ullum tempus, Majus maximè menſis in ſe illum calorem temperatum habet: quo omnes homines, omnia animantia, omnes plantæ, omnes denique mundi partes fultæ ſuſtinentur: contra Vindemiæ tempore evaneſcente, jam calore & frigore adveniente noxio, omnia flacceſcunt, langueſcunt, ac tandem nimia debilitate enervantur. Reſtat ergò ut hoc dubitemus, utrum ſit tempus præſtantius, id quo Sol ad nos redit; an id, quo à nobis diſcedit: id quod temperata vi humoris & caloris præſtat; an id, quod frigoris ſiccitatiſque inæquabilitate: id quod propter ſalutem ſuam omnia amant, complectuntur, conſectantur; an quod propter exitij metum omnia declinant, fugiunt, averſantur? Quod ſi Autumni nullum aliud eſſet incommodum, quàm quòd ſole à nobis diſcedente, ſublato illo calore, quo non

ſecus ac ſanguine, ſpiritibusque cordis vitalibus in animalibus conſumptis, omnia conſeneſcunt: Majı nullum aliud commodum, quàm quòd Sol, author & temporis & caloris ad nos Aquilonem verſus, ab Auſtro iter convertit: vires animantibus addit, & diei incrementum adfert: Tamen infinitis partibus illum menſem hic dignitate anteiret: nunc cùm ad cæteras ſummas difficultates hoc etiam malum adjungatur, quòd Saturnus errantium ſiderum maleficentiſſimus in Libra extollatur: quid eſt, quòd illam inter hæc collationem faciendam eſſe putemus?

Quemadmodum enim ſol omnia, quæ ex terra proveniunt, animamque in ſe habent alendi atque augendi, ſuo lumine ac radijs excitat, fovet, animat, animata tuetur ac conſervat: Sic Saturnus omnia florentia exhaurit, vigentia conſumit, viventia in interitum trahit. Quò fit, ut ea cœli pars, quæ ab Ariete in Libram porrigitur, omnium rerum procreationi, animantiumque vitæ maximè ſit accommodata: quæ à Libra in Arietem, rerum omnium decremento, morti & perniciei ſubjiciatur. Ac ſi quod cor eſt in homine: id ſol eſt in mundo, ut cor domicilium eſt ſanguinis in corpore animalium, atque vitalium ſpirituum fomes: ſic ſol eſt quidam quaſi fons & fomes caloris, à quo omnium animantium ortus atque vita conſtat. Itaque cùm cor, quod præſtantiſſimum eſt in homine, pro affectione quidem ſua, in reliquas corporis partes inſitæ ſuæ naturæ vim transfundat: quid miramur, Solem totius quaſi mundi cor inferiora hæc pro ſua facultate afficere atque ſuſtentare?

tare? At quando Saturnus adverſo altitudinis Solis loco In Libra, primo occidentis cœli plagæ cardine, lætetur atque exultet: Solem tum in decliva deſcendentem peſſimè affectum eſſe, ac quaſi triſtitiâ quâdam totam contrahere terram neceſſe eſt. Quoniam igitur longè ſecus accidit, cùm ad eas Zodiaci partes ſol pervenit: quæ ver atque Majum, jucundiſſimum menſem, efficiunt: ut quæ convenientis ſint cum Sole naturæ, eumque exhilarent: perſpicuum eſt, longè Maium Autumno eſſe priorem. Neque enim ſi ſigna illa, quæ Autumni tempore in ortu cœli verſantur, moderatæ eſſent æquabilitatis, pernicioſiſſimis quibusque ſideribus eſſent attributa: ſed quia intemperata eſt vis eorum, quâ omnia decreſcentibus diebus, frigoreque augeſcente, in interitum adducuntur: hinc ſimilibus, orbibus cœleſtibus ſunt ſimilia ſigna attributa. Nam ut miles contentionibus: graſſator præda & latrociniis delectatur: Sic iis Saturnus gaudet ſignis, quæ tum in temperantiam eius augeant; tum in terris diſſidium moveant, atque in omnibus litem concitent. Atque huius rei rationem Aſtrologos habuiſſe credo, qui ab Ariete eius cœli tractus, quem ſol medium ſecat, principium atque initium fecerunt. Qui cùm eas partes orbis ſigniferi pro initio habere vellent: quæ rebus procreandis quàm maximè accommodatæ eſſent: neque æſtatem, quod in eâ ſol è ſublimi atque propinquiori cœli parte ardentiſſimos æſtus excitaret: neque hyemem, quòd propter Solis ad longinquam à nobis atque obliquam cœli partem, receſſum, intolerabilia frigora ſubſequerentur: neque Au-

tumnum, quòd quamvis æquo à nobis ſpatio autor & conſtitutor vitæ ſol diſtaret: tamen à ſicco in frigidum abiret, idoneum eſſe intelligebant. Quocirca eas obliqui orbis partes, quæ ver conſtituunt, eligere maluerunt: quòd eas ſol cùm pervagatur, humidum calido temperaret: ex quâ temperaturâ agendi & procreandi facultas deflueret: omnium motuum atque ſpirituum origo exiſteret. Sunt hæc utriuſque temporis principia, primordia & incrementa (quæ quaſi generis & educationis loco ſunt à me adducta) quæ profectò, quantò ſit Autumnus vere, vindemiæ tempus Majo inferius, demonſtrant. Quid enim horum eſt, ex quibus temperata illa anni pars derivatur, ſuaſque vires aſſumit, quod non utilius & præclarius ſit ijs, ex quibus Autumnus originem ſuam acceſſionemque deducit? Itaque hac de re ſatis ſuperque: Nunc ad utriuſque naturam, propriamque affectionem explicandam, & quæ inde ſuppetant argumenta, videamus. Sed quoniam, ut antè dictum eſt, ſol in Ariete: Luna autem in Tauro evehuntur, autoritatemque ſuam tanquam Regio in ſolio præſe ferunt: quorum alter calorem, altera humorem ſuppeditat: efficitur ut veris & calida & humida ſit conſtitutio: Sed in hac inſigni temperatione caloris & humoris, haud ſcio, an unquam melior ſit & præſtantior Veris natura, quàm in Majo menſe, cùm Sol Geminorum ſignum pervagatur. Siquidem cùm Ver in initio pluſculum humore abundet, Sole in altiorem cœli partem gradatim minuitur: quo fit, ut exhauſtâ magnâ ex parte humoris exuperantiâ, calore ſuccedente, non

illo quidem æſtuoſo & torrente; ſed moderato, & humidum & calidum Geminorum ſignum perhibeatur; & Majus cæteris ſit anni partibus temperatior. Age verò illa qualitatum temperatio, quantam ejuſdem menſis excellentiam comprobat? plurimum pertinere ad vitam humorum in corporibus animantium moderationem quis ignorat cùm ſciamus ex humido & calido vitam: frigido autem & ſicco mortem proficiſci. Adoleſcentiam opinor, quæ humore & calore eſt temperata; florem ætatis vocamus, propterea quòd eorum, qui in iſtâ ætate ſunt, corpus ſit optimè affectum; ſi moderatè temperanterque vivant. Quid ipſi illi ſpiritus vitales, quorum vi vita animantium tenetur, nonne ex humido & calido conſiſtunt? eâq;, quæ ex illis conficitur, materiâ conſumtâ, animantium jam certus eſt interitus? Quod ſi anima ab ipſo ſpiritu caleſcit: ſpiritus ex ſubtiliori ſanguine deducitur: ſanguis autẽ nihil aliud eſt, quàm humor calidus: profectò ejuſdem naturæ ſpiritus ſit, neceſſe eſt. Poſſumus igitur æſtimare, quanto Ver & præcipuè Majus, quod ejuſdẽ naturæ ſit cũ optimo & præſtãtiſſimo humore, ejuſdẽ cum ſpiritibus, ejuſdem cũ ipsâ vitâ: cæteris menſibus ſit nobilior habẽdus. Neq; enim, ut poſteà oſtendem' copioſiùs: cùm elementa à ſuperis pendeant corporibus, nihil intererit, quas hæc ab illis quoq; tẽpora affectiones ſuſcipiãt. Ergò pro cœleſtium corporũ motu & viciſſitudine, æther, aër, aqua, terra mutantur: in animãtibus v. in ſtirpib', in reliquis, quæ arte naturæ vivũt & vigẽt, nulla erit ex horũ cõverſione mutatio, nulla inclinatio? cũ ſtirpes terræ inhæreãt,

aquæq; acceſſione alantur atqne augeantur: animantes aëris ſpiratione & ignis vigore ſuſtententur: denique cætera omnia ex horum quatuor conjunctione fiant, atque oriantur.

Quoniam autem quàm ſalutares, quàmq; idoneas corporibus affectiones præbeat, atque largiatur in Maio menſe Sol, cùm ſignum Geminorum ingreditur, ex aliorum magis contentione, quàm per ſeſe cognoſci poteſt: Autumni quæ natura ſit, quod cum Maio à quibuſdam confertur, expendamus. Quod quæſo tempus animalibus minus convenit, magisque ab omnium eorum, quæ vivunt, ſalute eſt alienum: quàm quod ſua natura ſuaque poteſtate, eas in ipſis corporibus ſecernit ac dirimit partes, quæ ante coniunctione aliquatenus copulatæ tenebantur? Quæ vis quando frigori ac ſiccitati ineſt: qua de cauſa Autumni utilitas tantopere ſit efferenda, non video: cuius naturam frigidam & ſiccam eſſe eſt antè demonſtratum. Neque verò alia eſt interitus ac mortis omnium animantium cauſa: atque frigoris & ſiccitatis vehementia. Qui igitur, quod cunctis, vitam ducentibus, ſibiq; ipſi nimium adverſum & infeſtum eſt: ſummoperè commendandum eſſe ducit, eum communem animantium ſenſum repudiaſſe exiſtimo.

Sed hæc ſanè ſint paria omnia, ſi quis eſt, qui credat, ſint eiuſdem momenti cauſæ: ſint eiuſdem dignitatis incrementa: ſint eiuſdem præſtantiæ utriuſque proprietates: quid? nihilne inter effectus intereſſe putamus? Quorum diſſimilitudo etſi ex ſuperioribus depræhendi poteſt: tamen ut ea clarius perſpiciamus, paulò fuſiùs nunc de iis differemus:

mus: Atque hoc quidem in loco, utrum alteri præferendum ſit; deliberatio admodum difficilis eſſet: ſi parem quolibet tempore ſuavium jucundarumque rerum copiam haberemus: Nunc verò cùm ſit unus Maſus, qui & amœnitate ſuâ, cæterorumque omnium menſium comoditatem, jucunditatemque ſuperet: nihil eſt quod cujuſquam judicium remorari poſſit. Equidem hæc eſt communis omnium ſententia, à quo major utilitas, major voluptas atq; delectatio ad nos accedat, ei eſſe palmam deferendam. Ut igitur de ijs, quæ præcipuè vos movent atque delectant, agamus, nemo noſtrum tàm demens, opinor, erit, qui plus utilitatis nobis afferre eam partem temporis judicet, in qua omnia quæ vivunt, in varia morborum genera incidunt, & graviùs vehementiusque conflictantur: quàm in quâ meliuſculè valent; & firmiora atque valentiora eſſe ſolent. Atqui in Autumno homines faciliùs in adverſam valetudinem delabuntur, graviùs ægrotant, triſtiùs curantur: quàm ullo alio tempore: quod medius fidius ita apertum atque manifeſtum eſt, ut probatione opus non ſit. Declarat hoc Epilepſia, quâ tum potiſſimùm animantium corpore jactantur: præſertim cùm nihil adeò Comitiales morbos, atque illa varietas generat: quæ ex repentina mutatione caloris atque frigoris in Autumno oritur. Declarant τὰ μανικὰ, ἢ τὰ μελαγχολικὰ, id eſt, morbi, qui cum furore & inſaniâ ſunt conjuncti, quibus ob inæqualem bile redundantium humorum miſturam tum maximè homines tentantur. Declarant alia infinita periculoſiſſimorum mortiferorumq; genera mor-

borum, quæ tum potiſſimum, ut Hippocrates in Aphoriſmis ſcribit, ſæviunt atque graſſantur. Id eam ob cauſam accidit, quòd tum, ut ante demonſtravimus, ex varietate multitudineque aſpirationum atque ventorum, qui tum potiſſimùm generantur: non ſolùm aër miſceatur: qui quocunque imus, quocunq; movemur, nos ambit: ſed & terra, quam incolimus, turbetur, mariaque, quæ interfluunt, ſede ſuâ commoveantur. Quocirca cùm in elementis, quæ alimentum vitæq; ſuſtentationem animantibus ſubminiſtrant: tantæ exiſtant conturbationes: neceſſe eſt eorum etiã, quæ ab ijs ſuſtentantur, graviter naturam conflictari. Ex quo fit, ut optimo jure Autũnus à Medicis morborũ & variarum affectionũ author paterq; nominetur. At verò Veris quanta ſit ſalubritas, quanta temperies, tum ipſius conſtitutio indicat, tum omnium animantium ex gravibus & periculoſis morbis recreatio demonſtrat. Nam quod nullo in tempore homines faciliùs convaleſcant, atque in Majo menſe, hinc perſpici poteſt, quod ijs morbis tum ſæpè utiliter medicina adhibetur: qui in Autumno nullo modo curari potuerunt. Quoniam igitur homini nihil eſt gratiùs, nihil optabiliùs, nihil jucundiùs bonâ valetudine: perſpicuum eſt Majum eſſe omnium menſium jucundiſſimũ atq; digniſſimum.

Verùm enimverò hæc quis nimium nos noſtris verbis exaggerare dicat, & non recordari non minus Vere, ac Autumno homines morbo teneri. Quid? quaſi verò ea, quorum natura non omninò in illâ, quæ apparet, causâ continetur: nõ aliquando ſecus evenire poſſint. Quod ſi vis morbi tantum ab

aëre

aëre ambiente penderet: tùm nos quolibet tempore ijs morbis affligeremur, qui temporum eſſent naturæ conſentanei. Sed quia & victus ratio, & corporis conſtitutio plurimùm etiam ad morbos faciunt: ſæpe fit, ut in Vere homines morbis premantur, quorum primordia tum in Autumno, tum in hyeme contraxerunt. Nam ſi eadem eſt ratio temporum, ſique homines æquè adverſâ valetudine Vere atque Hyeme urgentur: derideatur Hippocrates, contemnatur Galenus, explodantur omnes Phyſici & Medici. Sin horum ſemper graviſſima eſt habita authoritas, plurimumque ijs attributum: quod in alijs rebus plurimum valet; illius hîc nulla ratio habebitur? Nam & Hippocrates omni quidem tempore homines in morbo eſſe in Aphoriſmis ſcribit: ſed tamen certis temporibus aliquando pluribus, aliquando gravioribus, aliquando diuturnioribus affligi. Nec Galenus in ſuis Commentarijs cum aliis temporibus alij humores in corporibus redundent: Ex ijs diverſos morbos ægrotationeſque naſci negat. Quin imò omnes, qui rerum naturas altiùs inveſtigant: temporum varietates maximas in hominum corporibus diſſimilitudines efficere aſſeverant. Sed quoniam hæc generalia ſunt de omnium temporum affectionibus: nunc ijs omiſſis propius ad rem propoſitam accedamus: & quid de his duabus anni partibus hi duo præſtantiſſimi viri ſcribant, videamus. Quid igitur Hippocrates? quid? num Vere Autumnum in bonæ valetudinis ratione priorem eſſe dicit? Minimè quidem. Nam in tertio libro Aphoriſmorum Autumnum graviſ-

graviſſimis & periculoſiſſimis morbis objectum: ver autem ſalubertimum eſſe, & minimè exitioſum tradit. Galenus verò tantum abeſt, ut ſententiæ Hippocratis repugnet, ut eandem firmâ certâq; ratione demonſtret. Ver enim propter temperationem caloris & humoris animantium corporibus aptiſſimum eſſe ait: Autumnum autem exitialem atque infeſtum, tum propter intemperiem cœli, quod eodem die jam frigus, jam calor excellat; tum propter humorum peſtiferorum copiam; qui ut primum ad exteriora membra & cutem ſunt delati: ſtatim rurſum ab aëris circumſtantis frigore ad interiora detruſi inficiũtur. At enim ſi ver eſt, roget quis, ſalubre, cur idem ille Hippocrates multos etiam homines in illo morbis tentari tradit? Huic, ni fallor, pró me Galenus in ſuis Commentariis ita ſatisfaciet, ut poſthac nihil ſit deſideraturus. Itaque quid ipſe ſcriptum reliquerit: commemorare viſum eſt. Duo in Vere morborum, genera exiſtere affirmat: unum levium: alterum gravium & periculoſorum. Ac graves quidem & difficiles ipſius ſenrentiâ non ex veris commutatione, ſed ex ſuperiorum temporum affectionibus ortum ſuum habent; ut ex Autumno *μανία, μελαγχολία*, morbi comitiales: ex Hyeme gravedo capitum, lepræ, tuſſis: ex æſtate *διάῤῥοιαι*, lichenes, impetigines, vitiligines. Leves autem illos quidem ver gignit: ſed non ex ſuâ naturâ, verùm ex depravatis corporum humoribus: qui tamen morbi non modò non mortem animalibus inferunt; ſed purgant, atque ad vitam magis idonea reddunt. Nam quibus aut ſanguis eſt corruptus: aut pituita vitioſa

in cor-

in corporibus redundat: aut bilis pervitioſa exuberat: in ijs verè ſuperfluis illis humoribus ad exteriora deductis ſcabies, impetigines, & puſtulæ, ulceraque ſuboriuntur: quibus ejectis homines convaleſcunt, & firmiores valentioresq; fiunt. At qui integram valetudinem, bonamque humorum contemperationem ad Majum producunt: in eodem incorruptam conſervant. Longè autem ſecus tum in æſtate, tum in Autumno, tum in hyeme accidit. Etſi enim hæc tempora ſanum corpus, ac planè omni vacans ægrotatione excipiunt: tamen vel flavâ bile labefactant, vel atrâ depravant: vel pituitâ corrumpunt. Ac ut pleniùs Veris Maijque naturam intelligamus: quod exercitationes modicæ: id etiam Veris tempeſtas corpori confert. Exercitationes ſi fiant decocto jam cibo ſaluberrimæ ſunt, quippe quæ purgationis vice ſint, ac vitioſorum humorum redundantiam ad cutem evocent. Quod ſi is, in quo exuberat pituita, atra vel flava bilis, aut etiam ſanguis, ſe exerceat, vel in ardentem febrim, vel in epilepſiam, vel in apoplexiã incidit. Simillima eſt veris ratio: in quo ſi quibus corpus fuerit benè conſtitutum, in eadem temperatione conſervatur: ſin verò pravis completum humoribus, cum Maij calore humores diffundantur, per ſcabiem, ſimileſq; morbos paulatim educuntur. Atq; hæc ſunt, quæ Galenus medicus exercitatiſſimus eſt in Hippocratem commentatus. Quid eſt quod planum clarorum virorum teſtimonio fieri poſſit, ſi hoc non ſit? Quid igitur inſcitius, quid ineptius eſt, quàm Veri præferre autumnum: cùm in illo omnium morborum finis: in

hoc

hoc autem fons exiſtat? Ac ſi nos, ut æquum eſt, vitæ noſtræ ſalus delectat: cujus rei tanta vis eſt, ut quicquid ignis fovet: quicquid aër alit: quicquid aqua ſuſtentat: quicquid terra procreat: quicquid plantæ complexu ſuo & fibris ſtirpium diffuſæ arripiunt: quicquid animantia vi atque agitatione ſuâ comparant: quicquid nos ipſi operâ noſtrâ, induſtriâ, labore, ſtudio, & diligentiâ efficimus: id omne ad vitam tuendam propagandamque referatur: quam obſecro temporis partem præ cæteris laudibus efferre debemus? Illámne, quæ omnibus vitam, ſpiritum, ac lucis huius uſuram præbet: an quæ eadem ab illis aufert? Quod ſi plantæ ſuam naturam incorruptè atque integrè judicantem ſequuntur: animantiaq; ſenſus judicio parent: homines inſitis atque innatis cognitionibus aſſentiuntur: illud certè, quod ad retinendam vitam producendamq; confert, amare, appetere, & conſectari: hoc verò, quod eandem debilitat, reſpuere, repudiare, & à ſe repellere nemini dubium fuerit. Quâ verò de causâ Autumnus, non dico, pręferendus eſt Majo: ſed cum ipſius utilitatibus, omnium viventium generi neceſſarijs, ullâ ex parte comparandus? Incredibile eſt enim, ut anteà dictum eſt, quàm ſit aliorum temporum, pręſertim autem Autumni temperies, præter Maji ſaluberrimam affectionem, & ad ortus, & ad incrementa iners, ac planè inutilis. Quod nos remotâ diſputâdi ſubtilitate, cauſarumq; indagatione omni, de quib' anteà diximus, ipſa longa vita, animadverſioq;, & obſervatio docet diuturna. Age itaq; ut ad ea, quæ quotidiè omnium ante oculos verſantur, veniamus: quid eſt in his, in quo non omnia lætiora & vegetiora ſint

in Majo, quàm Autumno? Principiò prata Majo menſe vigorem ſuum, quem frigore hyemis intolerabili amiſerant, recipiunt. Jam agri ex ſeminibus tepefactis eliciunt herbeſcentem viriditatem, quæ & ſucco terræ, & calore ſolis adoleſcit: & vaginis jā quaſi pubeſcens includitur. Florum verò, tum in utriſque horum, tum in hortis quanta eſt ex calore varietas, quanta ex odore ſuavitas, qui antè vi tempeſtatum vires omnes ſuas amiſerant? Quid ego de viribus loquar? quæ tum primum collecto humore ſubſidia acquirunt: & ex articulis ſarmentorū gemmas protrudūt: ex quib' orientes ſe uvæ oſtendūt? quid arbores, quid frutices omnis generis proferā? quę uſq; eò vere gaudent, ut tum potiſſimùm folijs, quaſi comâ ſuâ, veſtiātur: quàm ineunte autūno demittūt, immitem aëris mutationē exhorreſcentes.

Neque verò ea ſolùm, quæ è terrâ gignuntur: hoc tempore cùm ortū, tùm incrementa accipiunt: ſed & animantia terrena tum potiſſimùm partum educunt: & aves pullos excludunt: & piſces fœtum fundunt. Poſſum perſequi multa alia, niſi ea ipſa, quæ dixi, quod quidem ad utilitatem ſpectat, ſentirem eſſe longiora. Atqui in Autumno cogitate quæſo; quòd verſa atq; mutata in pejorem partem ſint omnia. Prata viriditatem ſuam deponunt: flores & caloris & odoris amœnitatem amittunt: arbores comis ſuis, tanquam immensâ confectæ triſtitiâ, ſe exuūt: ipſa deniq; animalia quaſi ad perfugium doloris & mœroris latibula quærunt, ijsq; ſe contra injurias tempeſtatum muniūt. Hîc ego non mirer, quemquam eſſe poſſe, qui ſibi perſuadeat, Autumnum Majo eſſe præſtantiorem? Nam quid ego

ego de opportunitate hujus temporis ad omnia ferè magna & gravia, & negotia & opera conficienda dicam? cùm & firmiora & valentiora ſint hominum corpora: & aëris, qualitatumq; ſumma & præſtantiſſima temperatio; ſtudiis verò optimarum artium atque diſciplinarum, quæ pars anni magis idonea dici aut excogitari poteſt? Equidem ſi à Medicis & Phyſicis veri tempus matutinum diei proportione comparatur: ut nullum eſt ad inquirendum, cogitandum, meditandum tempus diluculo aptius: ſic nulla anni pars in ijs, quæ mente cogitationeq; complectimur, expendendis, majores vere habet opportunitates. Etenim ſi tum maximè valet memoria: viget mens: intelligentia floret, cùm optima eſt corporis affectio: quando corpus vel nimio æſtu torret: vel intolerabili frigore affligitur: vel ſubitâ mutatione varias in partes jactatur & agitatur: jacere torpereq; neceſſe eſt omnem vim mentis atque ingenij. *Ex quo fit, ut* quoniam Maij ſumma eſt temperatio; quàm aptiſſimum etiam ſtudijs eſſe aſſeveremus. Illud enim ridiculum eſt, quod qui Autumnum Majo anteferunt: ejus amœnitate homines à ſtudijs & rebus gerendis abſtrahi dicant. Qui ſi fallacibus concluſiunculis nobis imponere pergent: efficiemus profectò, ut id, quod eorum maximè partem commendat, ſummopere vituperandum eſſe videatur. In quæ enim dedecora, in quæ pericula, in quos morbos non homines vinolenti & ebrioſi incurrunt? Quod ſi me captioſâ falsâq; ratione ea, quæ abuſus ſunt, rei ipſi bonæ & laudandæ attribuere dixerint: condemnabo eodem ego eos crimine.

Neque

Neque enim ideò in Maij ſumma inſultandum eſt commoda, quod quidam ignavi turpiter ejus ſuaviſſimâ moderatione abutuntur.

Etſi verò etiam in Autumno caloris moleſtiæ ſedantur, & frigoris non adeò ſævit violentia: tamen quoniam & repentinæ & crebræ illæ aëris mutationes corpus varijs morbis afficiunt: etiam ardor reprimitur: ingenij lumen reſtinguitur: mentisque acies hebeſcit. Quod cùm ita ſit, cedat, opinor, autumnus Veri, non tam magnitudine commodorum, quæ ex cœli temperatione, fœcunditate terræ percipiuntur: quàm adminiſtrandorum negotiorum, actionumque humanarum opportunitate: October Majo: primæq; partes ei deferantur: quod omnium ferè rerum ex terrâ provenientium eſt principium & quaſi ſeminarium, &c.

Atque hæc neceſſitatis & utilitatis; illa verò oblectationis, cujus eſt tanta vis ingenij, tantaq; eloquentia, qui percenſere numerando poſſit. Totam licet terram cernere, veſtitam floribus odoriferis: exultantem pubeſcente ſegete: depictam herbis viridantibus: exornatam arboribus floreſcentibus. Quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Etenim ut cætera præteream: quot genera violarum: quot liliorum: quot roſarum eo tempore florent? quibus quid quæſo eſſe cùm odoratu ſuavius, tum aſpectu pulchrius poteſt? Mitto innumerabilia herbarum genera: quæ & ad voluptatem honeſtam commovendam: & ad bonam valetudinem tuendam vim maximam habent: Mitto infinitam arborum copiam: quæ

jam flore ſuo omnia loca ſummâ ſuavitate complent. Mitto ſegetem jam pubeſcentem, cujus aſpectu oculi ſatiari non poſſunt. Quid veſtitus ſylvarum denſiſſimos: quid immenſa ſpatia viridiſſimorum camporum referam? quid fontium gelidas ſcaturigines: quid liquores perlucidos amnium quid amœnitates viridium riparum? Iam qui volucrum lapſus atque cantus? quæ lætitia exultatioque piſcium? qui pecudum paſtus; ex quibus tanta percipitur voluptas: ut præ illâ omnia, quæ ex terrâ marique proveniunt, ſordeſcant. Quid multa? tanta eſt copia? tanta ubertas, tanta varietas in hoc menſe earum rerum, quæ vobis ſummam delectationem afferunt: ut ſi omnia enumerare velim: tempus me hercule citius, quàm oratio deficeret. Itaq; qui vel magnitudine, vel multitudine ejuſmodi oblectamentorum, non Autumnum dico, ſed ullam aliam anni partem cum Majo conferendam eſſe putat: eum omni judicio carere exiſtimo. Neque verò hæc jucunditatem ſolam adferunt: ſed etiam ſimul magnas utilitates conjunctas habent. Nam quid ego dicam aſpectum varietate colorum recreari, auditum cantus dulcedine moveri, cæteroſq; ſenſus voluptate quadam permulceri: animus ipſe, ipſa mens hominum magnas ex his rebus commoditates percipit. Nam ſi ſenſus ſunt integri: ſi corpus firmum: magis etiam animi vigent vires. Quomodo enim vel cogitare, vel judicare animus poteſt de ijs, quæ ſibi propoſita ſunt, ſi ſenſus officio ſuo defuerint? Et quiſquam dubitabit? quin id omnium temporum ſit ſummum: cujus omnes partes ita conſtitutæ ſunt, ut

nullæ

nullæ neque ad uſum meliores, neque ad ſpeciem pulchriores eſſe poſſint.

Quod ſi tam ſtupidus fortè quiſpiam fuerit: ut has rationes leviores eſſe ducat: quàm ut mihi aſſentiatur, quæ ſunt certè graviſſimæ. quid? Tritum omnium ſermone proverbium: præſtantiſſimorum Philoſophorum judicium: ſummorum poëtarum authoritatem & teſtimonia contemnenda eſſe putabit? Quid enim tam vulgare, tam uſitatum, tam in ore omnium, quàm eum ver ex anno tollere, qui id, quod in re quâpiam eſt præcipuum, ſibi vendicat. Quod niſi pro præſtantiſſimo haberetur tempore, nunquam ſanè eam ad rem accommodatum fuiſſet. Neque id ſolùm à vulgo, ſed à Philoſophis excellentiſſimis eſt factitatum. Eſt nobis teſtis Herodotus, qui eâdem parœmia reſpondiſſe Gelonem Syracuſanum Lacedæmonijs & Athenienſibus, petentibus ab eo contra Xerxen regem Perſaſarum & ſocietatem & ſuppetias, ſcribit: eis ver ex animo ſublatum eſſe: cùm Legati græci eum neque maritimarum rerum, neque terreſtrium copiarum imperatorem conſtituere vellent. Eſt Ariſtoteles princeps Philoſophorum ſuis monumentis maximè illuſtris: qui anni præcipuam partem Ver eſſe affirmat. Eſt in aſtrologia optimus & doctiſſimus quiſque, qui Veri præſtantiſſimas partes ex aliorum comparatione aſcribunt. Eſt in medicina Galenus & Hippocrates: in quibus omnes pro acerrimo veſtro judicio ſummam eruditionem, ſummamq; authoritatem eſſe cognoſcitis. Iam poëtæ quod quæſo anni tempus primũ judicat? Nolo hîc omnem hac de re ab ultimo uſq; repetere

ſententiam: eorum ſolùm; qui omnium ſunt ſpe-ctatiſſimi, judicia adduceremus. Vergilius, optimus author & poëta graviſſimus, aureum illud & beatum ſeculum ver fuiſſe in Georgicis ſcribit: quo primi mortales ſine labore, ſine moleſtiâ, ſine ſolicitudine pacatam tranquillam ac quietam vitam agebant. Quid autem Ovidius, ingenioſus admodum & ſuavis poëta, nonne idem in ætatum comparatione auream Veri ex anni partibus confert? Nec verò illud ſeculum unquam fuit felicius ac dignius aut præſtantius, in quo homines æquè omni genere bonorum abundarint, atque in illo ipſo. Tum poſt hos Auſonium ſi quis legat, quid ver poſſit, & quæ in nobis obveniant commoda: omnibus nimirum hoc tempus anteponet. Iam & omnia eorum verba commemorare, & aliorum etiam poëtarum perſequi de Veris excellentiâ laudes, longum eſſet, & non neceſſarium: illud ſolum ſignificandum eſſe duco: qui in hoc genere præcipui & ſummi ſunt: eorum alios Autumnum ſordidum, alios exitialem, alios peſtiferum; Ver autem nonnullos odoriferum, nonnullos purpureum, quoſdam floriferum, quoſdam geniale appellare. Quare cùm & anteà firmis argumentis à me ſit comprobatum, non tam jucunditate, quàm utilitate Majum Autumno eſſe potiorem: & nunc ad rectiſſimas rationes clariſſimorum virorum authoritas acceſſerit: quid dubitamus, aut cur non eidem primas partes deferimus? cui illæ à ſummis viris non ſine causâ ſunt attributæ. At enim cùm ad finem referenda ſint omnia: ut ad id, quod omnium eſt optimum: erunt forſan, qui ab hac noſtrâ ratione diſſen-

diſſentiant, autumnumq; excellentiorem Majo eſſe ducant, in quo omnia maturitatem ſuam conſequantur: & ad finem propoſitum perveniant. Horum ego rationibus quin diligentiſſimè ante reſpondeam, quàm pejorem non recuſo: non quo meæ cauſæ diffidam; ſed ut argumentis refutatis clariora & illuſtriora omnia fiant. Et primum ſi negarem non id eſſe ſummum, ultimum & extremum bonorum, alijſq; omnibus anteponendum: quod ſub ſuo quaſi ambitu cuncta continet atque complectitur: facerem improbè, amensq; & omnis expers rationis eſſem exiſtimandus. Quid enim optabilius, quid præſtantius, quid majore laude dignius; quàm cui omnia ſunt ſubjecta quodq; omni ex parte in ſuo genere expletum atque cumulatum eſt? Sed Autumnum ejus eſſe naturæ, ut quis probet, quibus tandem argumentis eum uti oportebit: nonne & ei nihil deeſſe, & ad eum omnia referri oſtendere? quorum nihil ille tale in Autumno reperiet. Neque enim ea quidem, quæ vel maximè in Autumno matureſcere dicuntur, ita ſunt comparata, ut ijs tam commodè uti poſſis: neque quicquam eſt, quod non ad aliud potius, quàm ad ipſum Autumni tempus, ut poſteà oſtendam copioſius, referatur. Nec ſi magna ex parte fructus maturi ſunt in Autumno: id eſt Autumno adſcribendum: ſed ſuperioribus temporibus: quorum & humore & calore factum eſt; ut illorum adjumento ea, quæ in Autumno proveniunt, maturitatem ſuam habeant. Neque enim ſi non gemmæ uvarum, baccæ arborum, herbarum & olerum flores Veris temperatione ſuſtentarentur: ſoliſq; calore coqueren-

tur & augeſcerent: in Autumno fructus eos, ut vinum, ut vinum, ut poma decerpere, atque in cellam vinariam, oleariam, & penariam, ad victum noſtrum condere atque reponere poſſemus. Neque quicquam in Autumno matureſcit, quod non in Vere ortum ſuum, in æſtate incrementa habeat: ita ut ſemper horum duorum operâ egeat: contrà autem multa in Vere; plura in æſtate omninò fructum edunt, & ad ſui perfectionem perducuntur; quæ ne minimam quidem vim ab Autumno acceperunt. Ergò cùm nemo non intelligat: ea, quæ efferant aliquid ex ſeſe, perfectiores habere naturas; quàm ea, quæ ex ijs efferantur; omniumq; frugum, quas terra maxima largitate fundit, Majùm originem ac quaſi primordia continere: qui convenit, quod in alijs perpetuum eſt, id nos hac in re non obſervare? atque præſtantiorem naturam eam, quæ cum effectu quaſi conjuncta eſt; quàm quæ efficit, judicare: niſi forte pro extremo & ultimo fine ſit habendum: quod ſuam ſolùm vim ad effectum perficiendum confert. Siquidem adjuvans eſt cauſa fructuum Autumnus eorum, qui in ſuâ regione maturi fiunt, non abſoluta; nec Autumni cauſa fructus vitium & arborum: ſed ad hominum vitam & conſervandam & propagandam ſunt procreati. Equidem quibuſcunq; terra foeta eſt; quæ vel ad veſcendum apta ſunt: vel quorum remedia morbis atque vulneribus eliguntur: ad firmam corporis conſtitutionem & tuendam & producendam ſunt comparata. Verùm nullo unquam tempore firmiores atque valentiores ſumus ac in Majó menſe, quippe in quo ſalubris aura, corpora ſana, tempera-

tus

tus calor moderatas animantium affectiones efficit atque gignit. Quid? quod & tum temporis, alimenta etiam ea, quæ Autumnus ſuppeditat, quibus confecta noſtra corpora recreantur, atque vires reficiuntur, commodiſſima capeſſamus. Nunquam enim vel ſuaviores ſunt cibi potusque: vel ad concoquendum faciliores. An verò vinum, quo præcipuè Autumnus gloriatur, & tanquam filium exoſculatur ſuum, ullo tempore eſt bibendum aptius; quàm cùm non aſperum, neque auſterum, ſed molle & defecatum eſt: id quod Majo menſe fieri Virgilius in Georgicis teſtatur. Quoniam igitur ultimus finis omnium eſt præſtantiſſimus: qui idcircò Autumnum Veri anteferunt, quàm id rectè faciant, viderint ſapientes. Illud enim perſpicuum eſt: & ulterius nos progredi: & majori laude eſſe dignos: ſi commodè fruamur; quàm ſi multum diuq; poſſideamus, & victum ad valetudinem curandam, non ſanitatem ad victum referri. Quâ in re illud etiam Maij eſt, quod Majus non minus quàm Autumnus eas res, quæ ad victum pertinent, procreat. Autumnus verò non modò non valetudini utilis, ſed valdè pernicioſus.

Sed quoniam jam emerſiſſe è vadis atque ſcopulis videtur oratio: perfacilis mihi ad reliqua curſus oſtenditur. Nam quod utilitatem voluptati præſtantiorem ducunt: eâ in re excellere dignitate Octobrem Majo putant: video quid agant, quaque re nitantur. Primum enim gradus in bonis quoſdam ſervandos: alia alijsq; optabiliora eſſe dicunt; ex quibus, quoniam maximè è re ſuâ eſſe videtur: utile jucũdo nobilius eſſe arbitrantur. Deinde

quod ea commoda maximè ſubjecta ſint ſenſibus, quæ autumno proferuntur: vulgi atq; imperitiſſimi cujusq; ruſtici opinionem nos ſequi jubent potiùs; qui ſæpiſſimè granum hordei, non ſecus ac gallus ille gallinaceus, gemmæ præſtantiſſimæ antepo-nunt; quàm ipsâ re & ratione exquirere veritatem. Quanquam in hac re Ariſtotelis authoritate non abutemur: qui in ſecundo de moribus libro volu-ptatis latius diffuſam eſſe vim confirmat; quod vel utilitatis, vel etiam ipſius honeſtatis: propterea quod & communis ſit omnium animantium, & ea omnia conſequatur, quæ ſub appetitionem ca-dunt: ita ut quicquid honeſtum, quicquid utile ſit, id omne jucundum eſſe videatur. Attamen ego quod ad hanc partem attinet cum nemine pugna-bo: ſit ſanè utilitatis efficacitas multò maxima: ſuperet atque vincat voluptatem: videant ne dum inde florentiorem & potiorem autumnum Majo ſe probare poſſe putent; ſuâ etiam eum laude ſpo-lient atque denudent. Neque enim ita relictum eſt ver: ut ne commodis quidem cum Autumno con-ferri poſſit: modò in judicando ipſam rationem conſequamur. Vereor enim ut commoditates Maij omnes non perinde percipi ſenſibus poſſint: atque nos ipſa intelligentiâ rationeq; metientes intelli-gimus, non quo non etiam Majus ijs abundet, quæ ſub ſenſum cadunt: ſed quod præſtantiora & ube-riora illa ſint: quæ mentis luce æſtimantur. Quæ ſi ut animo, ita oculis videre poſſemus: nemo cun-ctam intuens rerum naturam, de hac noſtrâ causâ poſſet dubitare. Quid enim dulcius toti animan-tium generi à natura datum, quàm ſua cuiq; vita, vigorq;

vigorq; ad eam neceſſarius: quæ ſi aliquâ ex parte pendet à temperatione cœli, ejus in Majo vim ſummam eſſe, ex eo perſpici poteſt, quòd omnium ferè ſtirpium tum potiſſimùm ſit & origo & progreſſio. Quid cuiq; gratius, quid optatius eſſe poteſt quàm bona valetudo? cui quidem quantùm in Majo menſe adjicitur: tantùm in autumno detrahitur; quippe cùm in Majo recreetur & confirmetur: in autumno autem vehementer affligatur. Ipſa autem rerum agendarum opportunitas quid utilitatis habeat, dici vix poteſt: quæ ſi ullo unquam tempore, certè in Majo ſumma eſt.

Quod ſi igitur nullum, quod in autumno naſcitur, commodum vitam atque originem animantium exæquare poteſt: ſi bonæ valetudinis conſervatio pluris facienda eſt, quàm earum rerum, quæ ad victum pertinent, ſumma copia & abundantia: ſi plurimum eſt poſitum in temporis commoditate ad omnes actiones hominum obeundas: ſi deniq; non parva in ijs, quæ cum ſuavitate quadam in ſenſus atque animum illabuntur, recondita eſt utilitas: non eſt, quòd plura majoraque emolumenta Autumnum, quàm Majum animantibus afferre cenſeamus. Siquidem ut ubertate, ut varietate frugum Autumnus commendatur: ita quoque Majus propter aëris temperationem: quæ vitæ & ſaluti noſtræ maximo eſt adjumento, jure celebratur. Quod verò à quibuſdam adfertur, interitum cauſam eſſe ortus rerum: & ex eo Autumnum & hyemem, in quibus omnia ferè, quæ terra fundit, deficiunt, in cauſa eſſe, quòd illa rurſum vigorem accipiant: parum verè huc regulam illam commu-

nem accommodant. Non enim per ſe vim aliquam confert ἡ φθορὰ πρὸς τὴν γένεσιν: ſed quia perpetua in hac rerum eſt viciſſitudo, & formarum inter ſe commutatio: idcircò fit, nt quæ interierint, ea poſteà rurſum accedēte ſolis calore ꝓferātur. Quod ut planiùs fiat: exemplo declarare viſum eſt. Qui laborant febri, ut ne malum gravius ſibi accerſant, ſæpè fieri ſolet, ut minus poſtea indulgeant gulæ: quàm antè ab ijs eſt factum. Neque verò idcircò doctus & ſapiens dixerit, febrim cauſam eſſe temperantiæ: ſed voluntatem, quæ frænat appetitionem cibi & potus. Sic nec quia frigore hyemis omnia exhauriuntur: idcirco in Vere recreantur: ſed quia calore & temperatione Solis reliquorumque ſiderum foventur: quo ſuperioribus temporibus erant deſtituta.

Ut autem, in quo cœpit, in eodem terminetur oratio: ſive rem cum re, cauſas cum cauſis, effecta cum effectis, authoritatem cum authoritate componamus: nemo eſt, quin primas Majo deferendas eſſe partes intelligat. In quo enim Solis, omnium rerum, quæ naturâ adminiſtrantur, quaſi educatoris & altoris, ad nos eſt acceſſus: in quo lumen ejus ſplendidiſſimum tenebras noctis diſpellit, & terras omnes colluſtrat: in quo calor ejuſdem ſaluberrimam aëris efficit affectionem: quomodo vel voluptatum, vel utilitatum ubertate poteſt cum eo conferri: in quo Solis eſt à nobis regreſſus; caloris ſalutaris immutatio; frigoris acceſſio; initia & inclinationes in ſtirpibus ad interitum vergentes: morbi in animalibus varij: virium defectiones: aliaque incommoda innumerabilia: quæ ex vitioſâ aëris commu-

commutatione oriuntur? Etſi enim magna eſt in vino & frugibus, quæ autumno profunduntur, utilitas poſita: tamen tanta non eſt, ut mala ſua, quæ enumeravi, compenſare, nedum Maij commoda exuperare poſſit. Quamobrem ſi ſolis ortum, quàm occaſum malumus: ſi lucem, quàm tenebras, magis amplectimur: ſi calorem moderatum potius, quàm frigus inæquale conſectamur: ſi bonam valetudinem affectâ atque afflictâ præſtabiliorem ducimus: ſi fidem clariſſimorum virorum monumentis adhibemus: & rationibus adductus, & teſtimonio doctiſſimorum & eruditiſſimorum virorum perſuaſus: ipsâ denique veritate commotus omnino ſtatuo, Majum autumno eſſe præferendum.

EPI-

EPIGRAMMA DE IDYL-
LIO PRÆPOSITO.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI, OTHONI HENRICO, COMITI Palatino Rheni, Duci Bavariæ, &c.

INclyte Dux OTHO, *proavis à Regibus orte,*
Quique Palatino ducis de ſanguine nomen;
Noſtra quòd agreſti modulata eſt carmen avenâ
Muſa, rogo vultu capias, HENRICE *ſereno.*
Non hæc digna quidem ſunt Principe ludicra tanto,
Quæ cecini in ſylvis & aprici gramine campi
Paſtores inter pecorum, ruriſq; colonos:
Non minus illa tamen mitto tibi ſcripta potenti,
Quando velis, animum ut recreas, curiſq; reſolvas?
Quæ ſi grata tibi fuerint, Clariſſime Princeps,
Non mî quid toto fuerit jucundius orbe.

Illuſtriſſ. T. Celſ.

Deditiſſimus

NICOLAUS CISNERUS
Mosbachius.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO ET OPTIMO PRINCIPI,

GVILIELMO,

DUCI JULIACENSIUM, CLIVENSIUM, MONTENſium, Comiti Marchiæ & Ravenſpurgi: Domino in Ravenſtein,

NICOLAVS CISNERVS S. D.

IN principio horum motuum, Illuſtriſſime Princeps, qui in Germania extiterunt: timui, ne quæ damna alijs potentiſſimis populis florentiſſimisque regnis, inteſtinis diſcordijs ſunt illata: eadem nos in his mutuis animorum diſſidijs, in tāta rerum omnium confuſione experiremur. Nam quoad longiſſimè poteſt mens mea complecti præteritorum temporum memoriam: & primas regnorum commutationes reſpicere: jam inde uſq; repetens, nullâ labe tot afflictas civitates, nulla peſte tot Reſpublicas diſſolutas, nulla calamitate tot everſa eſſe imperia repe-

reperio: Atque bellis civilibus, quibus qui impli-citi fuerunt, eos plerumque pernicies, atque extre-mum exſcidium eſt conſecutum. Itaq; metuen-dum eſſe arbitror; ne his domeſticis diſſidijs, ex-ternis hoſtibus hoc pulcherrimum Germaniæ im-perium & invadendi & occupandi occaſionem ſi-mus præbituri. Atq; eò nunc magis angor; quod dum nos mutuis agitamur diſcordijs, Turcam in-dies magis ac magis fines ſuos noſtrorum injuria propagare poſſe video: cui tanta potentia, tanto rei militaris uſu, tanto ſucceſſu facile eſt eos ſu-perare, quibus major labor in domeſticis ini-micitijs ſedandis: quàm in communi hoſte per-ſequendo eſt ſuſcipiendus. Itaq; cum in eum lo-cum res noſtra ſit didućta: pro meo in patriam amore intermittere nec volui, nec potui: quin dum vos hic in pace facienda occupati eſtis, orationem contexerem: qua & calamitates bellorũ civilium ap-poſitione multorum exemplorum cõmemorarem: & veſtrum inſtitutum commendarem. Nam quò major eſt rerum perturbatio; eò diligentiùs vobis in id eſt incumbendum: ut odijs & diſſenſionibus inteſtinis pax publica diſſipata, tandem earum me-moria perpetua oblivione deleta, opera ſtudioque veſtro, & Dei Opt. Max. auxilio reſtituatur. Sed quia nunc tantum mihi temporis non eſt; ut inſti-tutam orationem queam conficere: non alienum viſum eſt ad declarandum meum erga Celſ. Tuam ſtudium: interea odas quaſdam ab his tempori-bus non abhorrentes ad te mittere: quas prope-diem cum alijs ejus generis carminibus ſum edi-

turus,

turus. Te enim cum propter egregiam erga ſtudia noſtra voluntatem: tum propter eruditionem ſingularem inter tui præſertim loci atque ordinis homines omnes non modò docti, ſed & ſtudioſi debent complecti. Nec verò timeo, ut mihi vitio dari poſſit: quod tam paucis pagellis virum principem appellem: cùm idem à multis optimis ſcriptoribus non noſtris ſolùm temporibus: ſed patrum etiam memoria factitatum ſciam. Sunt enim qui ſingulas odas & hymnos multò etiam his breviores ad ſingulos optimates & principes miſerint. Quapropter ut bonam in partem mea ſcripta accipias; etiam atq; etiam à te peto. Quòd ſi feceris; dabo operam: ut in alijs longè majoribus tibi gratificer. Benè vale Princeps Illuſtriſſime.

Heidelb.

ODE
DE TRIUMPHO CHRISTI,
in die Palmarum, qui potiſſimùm his turbulentis temporibus eſt ſpectandus.

AT ô potens rerum creator omnium,
Cœleſtium rex maxime
Quid iſte fert tumultus, aut cur omnibus
Jam perſtrepunt tubæ locis?
Quid ut coruſco milites in impios
Feruntur enſe Tartaros?
Qui parvulos matrum auferentes pectore,
Ad ſaxa collidunt truces;
Ferrove tigris læſa: ſic in mutuam
Necem ſceleſti vertimur:
Quin pace facta numinis ſanctiſſimi
Delubra viſamus ſimul,
Et intimo ſacrario multa Deum
Prece invocemus ſupplices:
Ut his malorum fluctibus nos liberet,
Sua benignus gratia
En jam dies redit, Dei quo maximum
Egit triumphum filius:
Cum civitatis regiæ ſubijt lares
Ad ſacra feſta Paſchatis,
Lætiſq; plena gratulantis omnia
Fuere populi plauſibus:
Pars veſtimenta ſtravit in vias ſuas,
Pars arborum virentium,

Hic

Hic ramulos palmæ, ille latas nobilis
Frondes olivæ detulit.
Pleriq; Meſſiam ſalutarunt ſuum,
A patre miſſum cœlitus:
Ut de nefando ſervitutis carcere
Educeret gentem ſuam.
Quare Dei mirabilem clementiam
Summis tulerunt laudibus.
Sic Chriſtiano gloriantes nomine
Chriſti & probantes dogmata.
Pro veſtibus cultus pios, & literas
Suis fovere ſumptibus
Par eſſet, & ſuos labores ad Dei
Sanctam referre gloriam,
Sic florida palma loco in Chriſti ſuam
Victoria ſpem ponere:
Qui morte mortis perdidit violentiam,
Qui morte vitam præbuit.
Peccata qui ſuo cruore ſuſtulit,
Qui ſubjugavit inferos;
Tum frondium oleæ vice deceret mutua
Concordia nos vivere,
Et unius fidei ligatos vinculo
Pacis tueri munera.
Ergò vetuſta ſtirpe majorum ſate
Clivenſium dux inclyte
Guilielme: quis laudes tuas non prædicet?
Quem non pericla, non labor
Non magnitudo ſumptuum, non itineris
Deterruit moleſtia
Quin patriis à finibus diſcederes
Ut priſtinam Germaniæ

Tranquillitatem redderes, quæ quæ principum
Convellitur diſcordijs.
Nam dulcium tu fontium Bœotiæ,
Parnaſſidum & cultor frequens.
Et ſplendidum virtutis inclytæ decus
Sacriſq; deditus Dei:
Amator es pacis ſerenæ, quâ boni
Mores vigent, & literæ.
Quâ cœtus exultans piorum myſticis
Deum celebrat canticis.
Tum rura diligens colonus omnia
Labore ſedulo fovet.
Tum plena lectis frugibus ſunt horrea,
Dulciq; muſto dolia.
Tum prata fœcundi greges ovium tegunt
Lætiq; vivunt paſcuis.
Hæc pax ſalutaris parit nobis bona
Pax fauſtitatem procreat.
Hoc ergo ſtudium provehat Deus tuum
Et capta fortunet tua,
Nunquam ille funeſtis calamitatum fluctibus
Caput tuum obrui ſinat.
Is te juvet benè imperare ſubditis,
Tuoſq; fines protegat.
Ne dirus hoſtis vaſtet agros fertiles,
Aut firma rumpat mœnia:
Sed vt tumultu noxio liber, bona
Pace & quiete gaudeas.
At quos atrox belli trahit cupiditas,
Quos Mars rebellis incitat,
Qui patria ſua lares crudelibus
Armis feroces opprimunt:

His ô Deus nefario pro crimine
Tu digna ſolvas præmia.
Ut horridis ex nubibus vis ignea
Latum volans per Æthera
Magno fragore montium cacumina
Altasve turres concutit:
Sic tu ſceleſtas impiorum copias
Ultrice perde dextera:
Hos per potentiam Deus dele tuam
Igni, procellis, ſulphure,
Quorum ſceleribus turpibus Germania
Malis redundat omnibus.
Hinc Dei cultus, hinc ſacræ Muſæ jacent,
Hinc jura civium ſilent.
Hinc diſſipatis legibus mores feri,
Et omne naſcitur nefas.
Hinc improbi tuti vagantur, & bonos
Dolis malignis implicant.
His nos remotis peſtibus, Pater, tibi
Semper agemus gratias.

ODE NICOLAI CISNERI
PRO JOHANNE ALBERTO
Duce Megapolitano, &c.

OMnipotens genitor, divûmq; ęterna poteſtas,
Rector Poli, terræ & maris,
Qui genus humanum prima ſub origine mundi
Tuo imbuiſti numine,
Ut te perpetuis ævum celebraret in omne,
Patrem benignum laudibus:

Quanta ſit ipſe vides cæcæ dementia mentis
In his malorum ſordibus:
Sancta jacet pietas, nulli virtutis honores,
Nec artibus bonis locus:
Sed maleſuadus amor vitiorum, & dira cupido
Mentes fatigant impias:
Et furor, & rabies, & Martis noxius ardor
In omnibus fervet locis:
Quiſq; Dei ſacras pro nutu flectere leges
Fas eſſe judicat ſibi:
Quot cultus, quot divinæ contraria legi
Sunt ſparſa paſſim dogmata?
Quot gravium in ſummâ fidei pugnantia cauſâ
Sunt factionum jurgia?
Omnibus hoc ſcelerum molitur viribus author
Suiſq; tentat machinis,
Ipſius ut Chriſti reparatam morte ſalutem,
Veramq; deleat fidem:
Nec quiſquam potis eſt tot vafri dæmonis aſtus
Vitare viribus ſuis,
Ni pater inſultus hoſtis, ni ſæva pericla
Cervice noſtrâ abarceas,
Quo magis afflictos tantâ gravitate malorum
Pios guberna Principes,
Ut veterem puræ renovent pietatis honorem
Tuæ ſtudentes gloriæ,
Ut pulſis Sathanæ tenebris tibi ſerviat uni
Inſtructa plebs verbo tuo,
Unanimiq; ſuo ſenſu cum Principe juncta
Te debitâ colat fide.
Præcipuè verò priſco de ſanguine regum,
Et ſtirpe principum ſatum,

Eximijs

Digitized by Google

Eximijs Janum Albertum virtutibus auctum
Tuâ fove clementiâ.
Hunc latè populos magnâ cum laude regentem
In omnibus rebus juva,
Qui magno à teneris ſtudio inflammatus honeſti,
Altaq; mente præditus:
Ex animo feſſis pergit ſuccurrere rebus,
Et calamitoſæ patriæ.
Nec dum temporibus cani venere capilli,
Annis ſed eſt florentibus
Hunc fore non dubium eſt priſcis heroibus æquum,
Si magna cæpta provehes.
Namq; ſuis veros cultus inſtaurat in oris,
Procul fugatis ſordibus:
Ingenuasq; colit ſanctis cum legibus artes,
Dignisq; præmiis fovet.
Nec minor in Chriſti renovandis gloria ſacris
Pijs ſcholisq; quæritur,
Quam ſi quis patrijs infeſtos finibus hoſtes
Virtute propellat ſuâ.
Magna quidem David cepit præconia laudis,
Gigantis impij nece:
Sed tamen hunc magis ob ſummum pietatis amorē
Sacræ celebrant literæ:
Quin etiam æqua ſibi ſubjectis jura miniſtrat
Sui loci non immemor:
Namq; ideò tali proceres in ſede locâſti
Tantis potentes dotibus,
Attentè ut caveant ſubmiſſæ incommoda plebis,
Bonumq; curent publicum.
Non ulli obſtrictus ſceleri, non ulla tyranni
In ſubditos vis cernitur,

Utq; malos punit laxantes frena furori:
    Sic in bonos benignus eſt:
Hunc igitur placido, pater optime, reſpice vultu,
    Tuoq; regna numine.
Quo pietate prior nemo & ſtudioſior æqui
    Aetate tali creditur.
Fas illi placidam juſto moderamine vitam
    Multos in annos ducere,
Ut tibi perpetuâ cultus ratione probatos
    In omnibus præſtet locis:
Atq; immota tui præſtent oracula verbi,
    Nomenq; laudetur tuum.
Aſſiduasq; tibi tali pro munere grates
    Vox omnis, omne cor ſonet.

QUERELA GERMANIÆ

AD PRINCIPES ET STATUS IMPERII.

QVa mihi, quæ tandem dabitur medicina dolorum
    In his malorum fluctibus?
Quando erit, ut noſtram fortuna benigna ruinam
    Gravesq; noxas ſarciat.
An ſine fine meos augebunt fata labores?
    Ut mole tantâ concidam?
Aſpicite extremam maciem, pallentiaq; ora
    Et corpus hoc elanguidum.
Omnia funeſto peſtis perculſa veneno
    Arere membra cernitis,
Pluribus haudunquam quæſiti ab origine ſceptri
    Afflicta caſibus ſui.

Quod

Quod facinus, quod crimen abeſt, quæ cæca libido
Non intulit contagia?
Quæ non ſæva tuli crudelis vulnera Martis
Quod non mali ſenſi genus?
Non referam quoties noſtras hoſtilibus armis
Romanus oras preſſerit.
Humorumq́; acies infeſto Marte petentes
Urbes & agros Teutonum.
Quæ mihi damna mei tulerint, perpendite nati
Annis abhinc jam proximis.
Quid memorem infandam cædem, quâ concita motu
Me ruſtica imbuit manus.
Quid tot facta nuper procerum certamina narrem
Quei mutuò ſe vellicant?
Nunc quoque ne rerum pars intentata mearum
Superſit ulla à cladibus,
Omnia civili miſcet Bellona tumultu:
Nullus vacat bello locus:
Undiq; nunc dira rabie nunc enſe coruſco
Sunt rupta pacis vincula.
Nunc ego cognato paſſim madefacta cruore,
Intereo viribus meis.
Heu facinus, heu grande nefas, quò maxima noſtræ
Virtutis abijt gloria.
Quò laudata fides, quò fama vetuſta virorum
Noſtris receſſit finibus?
Quam nec Roma potens; multis dentata triumphis
Nec perdiderunt Itali.
Æmula nec regni vicini Lilia Galli
Noviſq; rebus dediti.
Nec Scythiæ gelidis Hunnus demiſſus ab oris
Aut acer armis Vandalus.

Nec Mahometigenæ durâ obſidione prementes
Urbis Viennæ mœnia:
Hanc ſera nunc vaſtat devoti ſanguinis ætas
In viſcera irruens ſua.
Hic pietatis honos, veterum ſic parta labore
Regum ſoveris munera?
Quid juvat Imperij faſces, quid regia priſcos
Paraſſe jura Principes?
Tot maris, & caſtæ ſubijſſe pericula terræ,
Pro patria, pro civibus.
Dum mihi perniciem civilibus obruta bellis
Necemq́ mea gens invehit.
Non vos noſter amor, non virtus clara priorum,
Non patriæ ſalus tenet.
Quæ vos diſſidiis veniens è faucibus Orci
Ate implicat domeſticis?
Cur non pro patriâ, pro libertate meorum
Contra Getas inſurgitis?
Cur tantùm inter vos animis certatis iniquis
Potentis immemores Scythæ?
Quidve odijs, quid diſcordes civilibus armis
Vos mutuò laceſſitis?
Adveniet juſtum belli (ne accerſite) tempus
Veſtriſq́ majus viribus
Cum veſtros rapidi Dacorum è gente latrones
Agros & urbes appetent:
Quorum barbaries toto memoratur in orbe
Immanitaſq́ peſtilens.
Qui teneros rapiunt natos à pectore matrum
In fruſta eos ut diſſecent.
Qui templa & magnis conſtructas ſumtibus urbes
In pulverem diſijciunt.

Quare

Digitized by Google

Quare ſi qua valet lacrymantis gratia matris
Si vos amor mei tenet:
Quæ vos circumſtent hinc inde pericula veſtris
Conſiderate mentibus.
Ergo agite optatam ſancito fœdere pacem,
Noſtris in oris reddite.
Exanimisq; graves odij deponite motus
Trucesq; bellorum minas.
Inde omnes junctis in prælia viribus ite
Et arma Turcæ frangite.
Hunc ultra gelidum Thanaim, Scythicasq; paludes
Fugate veſtris copiis:
Barbarus aut hoſtis me perdet victor, & agram,
In ſervitutem pertrahet.

PRO GERMANORUM DEFENSIONE.

AT quiſquis es calumniator impudens,
Parcas rogo, ne dura bella nuncies
Germaniæ ſomno meroq; deditæ.
Hinc parva laus tibi, parva cedet gloria,
Si copijs eam tuis deviceris,
Cordate miles, arma cui Papyracea,
Quîs ampliorum ubiq; in urbe civium
Non ſunt tenellæ virgines deterritæ;
Horrenda viſa, ſeu meatus luminum
Vini vapores diſſiparunt ſeu metus
Cæcutientem reddidit, ſeu lividos
Præſtrinxit oculos ſplendidæ galeæ nitor.
Hæ ſcilicet partes viri ſunt ſobrij,

Contra ſacras leges, maledicis verſibus
Totam protervè nationem lædere:
Non nos tuam ſequemur impudentiam,
Non patriæ mores tuæ culpabimus,
Utriq; & hinc & inde cogniti ſumus:
Sed à bonis id poſtulamus omnibus,
Ut judicent, num qui vocet nos ebrios,
Sit ſobrius, nobis magis vel ebrius.

ODE
DE DOMINI JESU CHRISTI CIRCUMCISIONE,
& novi anni auſpitio, ſcripta Calendis Januarijs ad Illuſtrem & generoſum Comitem Michaëlem à Wertheim à Nicolao Ciſnero.

CHRISTUM *lætifico dicite carmine,*
CHRISTUM *perpetuis tollite laudibus,*
Et natum celebrate
Æterno genitum Deo:
Qui dulcem ſuperûm ſpirituum chorum,
Et ſtellas nitidi deſeruit poli,
Qui præclara reliquit,
Ultro regna ſui patris:
Ac terram ſubijt ſordibus obrutam,
Peccatisq́; nefandis hominum gravem,
Noſtræ conditioni
Ut ſeſe faceret parem,

Vix

Vix noſtræ ſimili ſe cute texerat
Carni, vix vtero virginis integro,
Clara lucis in auras,
Natus prodierat puer.
Cum ſe nobilior legibus omnibus
Legis more patrum ſuppoſuit jugo
Qua præputia tolli,
Per Moſen voluit Deus.
Quin quod lex ſtatuit ſupplicium malis
Quam mortem reprobat voce ſua Deus.
Hos Chriſtus cruciatus
Et mortem tulit aſperam:
Non quod commeruiſſet vitio ſuo,
Cùm nec vel minimo offenderit in malo,
Sed ſævæ vt Patris ira
Pro nobis faceret ſatis.
Hinc quod peſtifero carcere Dæmonis
Humanum genus exemerit, angelus
Illi nomen Jeſu
Mandato impoſuit Dei.
Ah quàm terribiles nos tenebræ tenent?
Ah quàm Tartareus nos ſtupor occupat?
Et quàm noxia labes
Seceſſus animi obſidet.
Quis ſecum reputat, quæ bona conferas
Sacro, Chriſte, tui de gremio Patris,
Hoc mortalibus ortu
In tanta ſcelerum lue?
Non eſt, qui meritum magnificet tuum,
Non qui juſtitiæ, qui fidei decus
Ex virtutis amore
Nunc vero ſtudio colat?

Et

Et quod luxus, opes, fœdaq; crapula
Humani latebras pectoris obtinent,
Hinc punit Deus orbem
Terrarum, innumeris malis.
At tu ſancte puer noſtra reconditis
Purga luce tuâ pectora ſordibus
Et prava vitioſas
Mentis tolle libidines.
Fac pulſis animi moribus impij,
Anni ſubſidio Chriſte tuo novi
Sincera celebremus
Felix auſpitium fide.
Tum Martem rabidum, tum miſeram famem
Et peſtem violentam amoveas, rogo,
Præſentisq; ſecundum
Des anni, precor, exitum.
Sic te perpetuis, cum Patre, laudibus
Et cum flamine ſancto, celebrabimus,
Sic puri tribuemus
Cultus, Chriſte, tibi ſanos.

ODE
DE CREATIONE.

Deum nullam creaturam malam, ſed res bonas creaſſe: malum verò poſt ab homine & Diabolo ortum.

AD gloriam ſupremi
Prædicandam numinis
Hoc nos poëma parvum
Scripſimus pede impari.

Quod

Quod cum Deus ſit unus
Integer, liber, potens
Sanctus, bonus, beatus
Et ſibi per omnia
Conſtans ſalutis autor
Omnis, & vitæ dator
Flumen boni perenne
Veri origo luminis.
Nullius eſſe per ſe
Cauſa criminis poteſt
Aut fraudis, aut malignæ
Cæcitatis, aut mali
Et quando nigricantes
Cum nitente non ſolent
Ullo modo tenebræ
Convenire lumine.
Nec pariter morari
Aut eiſdem ſedibus:
Maligna ſed caligo
Noctis odit & fugit
Clarum jubar diei
Litteris Apoſtolus
Sacris ut indicavit
Inde colligi licet
Quod qui fuit creator
Lucis, & veri boni
Eum mali nefandi
Aut gravis caliginis
Non eſſe conditorem
Sed tenebras impias
Diram fecem malorum
Sordium Lernam feram

Sty-

Stygesq́; peſtilentem
Et trucis triſtem lucem
Mortis, ſimul venire
A rebelli dæmone
Pravaque mente noſtra
Ut docet Moſis pij
Originum volumen.
Nam Deus quæ condidit
Illi fuêre cuncta
Comprobata nomine
Boni, nec eſt ab illo
Dicta duplici modo
Natura res vel ulla,
Ut mali & boni capax
Eſſet ſimul creata.
Hæc enim Deo placent
Eſſentiæ ſuæ quæ
Congruunt, nec regulæ
Legis latæ repugnant.
Ergo cùm lux ſplendida
Nec pallidæ tenebræ
Fœda nec mali lues.
Menti Dei benignæ
Et piæ conſentiunt.
O mi Pater ſupreme,
Spiritum nobis tuum
Lucemq́; confer almam
In moleſto carcere
Caliginis profundæ
Et vanæ ſuperbiæ
Ut particeps in ævum
Luminis fiam tui

Quod

Quod latet in tenebris
    Lucidum ſidus velut
In nocte nigricante
    Ad tuam qui gloriam
Stellis roſiſq; ſeptem
    Hoc opus ſeu nox, locum
Alpha tenet ſupremum
    Unde linea incipit
Cunctas roſas pervagans
    Siderumque circulos
In A & O quieſcit.

INTERPRETATIO PSALMI CXXXIII.

QUid dulcius concordiâ?
Quid pace ſuavius bonâ?
Quâ litera & cultus Dei
Quâ jura florent civium?
  Quid tetrius diſcordiâ
Quid Marte calamitoſius
Quo charitas & ſanctitas,
Quo litera & leges jacent.
  Qualis liquentis balſami
Fragrans odor diffunditur
A tempore Aaronis ſacro
Fluens in oras veſtium:
Talem voluptatem piis
Pax alma menſibus parit
Ex Christiana mutui
Profecta amoris vinculo.

Sicut

Sicut vapor per humidam
Noctem coactus lucidis
Alti Sionis paſcua
Fœcunda guttis irrigat:
Sic vera quas tranquillitas
Domos & urbes incolit
Illa Dei clementia
Bonis abundant omnibus.
Quare, pater ſanctiſſime,
In tam nefandis moribus
Belli tuo nobis opem
Adfer benignus numine.
Fulgore ſancti Spiritus
Noſtras tenebras diſſipa
Ut pro tumultu candida
Pax omnibus regnet locis.

ODE
DE SEPTENARIO NUMERO, quàm creber ejus ſit in Scriptura uſus, ad illuſtrem D. Joannem à Laſco.

PLENIOR non omnibus
Ex muneris eſt ullus
Atque ſeptenarius
Cui toties eſt certus
In ſacris Scripturis locus
Ut meritò vim credam
Ejus eſſe myſticam.
Nam Deus ut perfecit

Sexto

Sexto opus ſuum die
    Inde quieſcens ſacrum
Septimum fecit diem
    Huic trepido Caino
Ipſe promiſit Deus
    Se gravius cæſorem
Punkurum ſeptuplo.
    Mox Domini mandato
Juſſus eſt ſenex Noah
    Cum paribus ſeptenis
Omnium viventium
    Et pecudum mundorum
Ingredi navem ſuam
    Septima lux ut fulſit:
Inde menſe ſeptimo
    Arca reſedit ſupra
Montium cacumina
    Armeniæ montoſæ
Septimanis quatuor
    Poſt volucres tot miſit
Quamq; ſeptimo die
    Ex quibus exiccatam
Eſſe terram didicit
    Tradidit agnos ſeptem
Abraham regi patri, id eſt, Abimelech
    Fœdus ut eſſet firmum
Inter ipſos ad ſui
    Fontis aqua ſtatutum
Iam ſocero bis ſeptem
Iacob annos adfuit
    Duceret ut Rachelem

Unire caram ſibi,
Quæ peperit Ioſephum
Somnium qui per boves
Et per Ariſtas ſeptem
Explicavit de levi
Atq; gravi frumenti
Emptione, quod feret
Utraq; ad annos ſeptem
Nilus arva qua rigat
Unde potens à rege
Factus ad ſe cum ſuo
Patre, animas cognatas
Septuaginta caros
Patre cognatos vocat
Ex quibus ad centena
Septies ſunt millia
Poſt hominum prognata
Inter hos Moſes fuit
In Midian cum natis
Sephoram ex ſeptem de
Iethro ſacerdos unum
Voce qui juſſit Dei
Vt populus per ſeptem
Ferias Dei dies
Concelebrant totus
Menſe mundus ſeptimo
Atque Deo ſeptem agnis
Sana, ferret integris
Vtque vacarent anno
Quoq; cuncti ſeptimo
Continuos orabat

Corn.

Corniger ſeptem dies
Ut populo donaret
Impiam noxam Deus
Inde leguntur plebis
Septuaginta ſenes
Judicium qui cauſis
In minoribus ferant
Ad ſacra candelabrum
Pertinens ſeptem fuit
Cum calamis inſtructum
Lampades ſeptem quibus
Flammigeræ ſunt junctæ
Jerichuntis circuit
Mœnia gens Iudæa
Ad dies ſeptem, tubis
Grande ſonans cum ſeptem.
Septies at ſeptimâ
Cum facerent id luce
Conciderunt omnia
Mœnia fractis muris.
In Palæſtinâ Dei
Sana fuit cum damno
Arca ſeptem menſibus
Huic Raguel deſpondit
Filiam ſeptem viris
Quos malus interfecit
Nocte prima ſpiritus
Iam ſacer annos vates
Decies ſeptem fore
In Babylonis regno
Rettulit Iudam tribum
Poſt Solymam vaſtatam

Angelus tum Gabriel
    Tempora paſſi Chriſti,
Urbis & excidij
    Hebdomadas prædixit.
Septuaginta ferè.
    Quid referam, quòd Chriſtus
Vſus hoc ſit ſæpius
    Millia qui complevit
Quatuor mortalium
    Patribus haud plus ſeptem
Adfuerunt cophini:
    Multa vidit myſtica
Per numerum hunc Iohannes,
    In manu ſtellas Dei
Lumine ſeptem claras,
    Totq; conſpexit ſimul
Aurea candelabra,
    Aſiæ quæ tot notent
Nomine Chriſti juncta
    Et fide conſortia,
Præcipuosq; illorum
    Ut vocat ſeptem angelos
    Ante thronum viventes,
Lampades tot ſplendidas
    Et referantem ſignis
Obſitum ſeptem librum
    In medio Patrum agnum
Flexuoſis cornibus
    Atque oculis ſeptenis.
Vidit & tot angelos
    Terrificis clangentes

Omni-

Omnibus locis tubis
    Poſt totidem fundentes
Omne pœnarum genus.
    Ex Phialis divinæ
Vltionis indices.
    Iam tonitrus humana
Voce ſeptem murmurant
    Et capita effert ſeptem
Cincta fallaci lue
    Beſtia, quam conjecit
In lacum verax eques
    Sulphure fumigantem,
Quæ referunt tot reges,
    Et locum tot montium
Vt ſacræ monſtrant literæ,
    Vt pius Ianus refert,
Vt ſacer monſtrat liber:
    Deniq; bis ter ſeptem
A ferâ menſes truci
    In rigidum deſertum
Virginem pulſam fore
    Ipſe docet Iohannes.
Perpetuo futurus
    Qui vocatur A & O.

SOMNIUM, IN QUO OBIter occaſio depingitur.

NOx erat, & tremulas ſpargebant ſidera flammas,
    Vibrabat nitidum candida Luna jubar:
Cum mea conſtrato poſuiſſem membra cubili,
    Seraq; clauſiſſet lumina chara quies.

Hic mihi per ſomnum miſtâ formidine virgo
Conſpecta eſt Paphiâ pulchrior ore Dea.
Inſidet inſtabili pedibus velocibus orbi,
Et rapidis circum ducitur ipſa rotis.
Huic alata gerit geminis talaria ſuris,
Aſpera quin pennis prædita crura vagis.
Inſerta eſt manui peracuta novacula dextræ
Vincit & hæc aciè ſpicula queq; ſuâ.
Adde quòd intonſis facies obducta capillis
Undiq; frons longis tecta venuſta comis.
Occiput eſt verò cunctis nudata capillis
Obſequio cervix indiget alba ſuò.
Ponè ſequebatur virgo velamine nigro,
Ante meos vultus triſtia fata canens.
Aſt ubi de placido mea ſolvi membra ſopore,
Subtraxi calido tegmina grata thoro:
Crinibus aſtabat circum Dea tempora panſis,
Alloquor hanc verbis talibus ipſe Deam;
Ede rogo, quod nam tibi nomen? vota ſecundat,
Paucaq; ſub tumidis verba locuta modis:
Illa ego cuncta regens, Occaſio dicor in Orbe.
Cur es tam volucri juncta ſubinde rota?
Immenſas dubijs quia paſſibus erro per urbes
Et maneo nullo certa tenaxq; loco.
Cur geris in pedibus talaria bina tenellis?
Dicam, me volucrem qualibet aura rapit.
Nunc feror in cœlum, nunc decido Tartara adusque,
Infima nunc ſcando, nunc loca ſumma peto.
Quid quàm dextra gerit, falcata novacula monſtrat?
Vincere me ferri vimq; aciemq; docet.
Cur facies ſylvâ nutritur ſqualida denſâ?
Quilibet ut, quoties offeror, arripiat;

Me

Me poſſitq́; dies prenſam ſervare per omnes,
Si modò ſe ſtudijs vendicet ille meis.
Cur capitis calvet pars ultima, quæſo, rotundi?
Quod non hos repetam, quos modò præterij;
Quiq; per ignavam præſentia commoda vitam
Spernunt, & partum non tenuere bonum.
Sed tibi ne grave ſit brevibus mihi dicere verbis,
Qualis Dña tuos quæ comitata gradus.
Talia voce refert lugubri veſte nefanda:
Sum Dea quæ pœnas exigit orbe graves.
Si qui prava patrant, hos ſurdo verbere cado,
Ut ſe pœniteant, ſic Metanœa vocor.
Quare ſegnitie ne poſt tua corpora torpent:
Nam venit innumeris hæc comitata malis.
Sed puer Æolijs tua pandas carbaſa velis,
Lintea currenti curvaq́; trade Noto.
Et tua ne prima diſperdas tempora vitæ,
Quæ ſi lapſa ſemel, non revocanda magis.
Sic tibi pacatâ ſuccedant omnia mente,
Munera poſtq́; brevi multa labore feres.
Aſt ſi deſidiam luxumq́; ſequeris inertem,
Cùm tua jam juſtum pectora robur agunt:
Nulla ſub Autumni reſtabit tempore meſſis,
Cum vultus macros ruga ſenilis erat.
Talia diſcedens Occaſio dia reliquit;
Et ſic orta dies noxq́; peracta fuit.

ODE
DE CAUSA CALAMITATUM, quibus his temporibus conflictamur.

Beate cælitum Rex,
Et Pater ſanctiſſime,
Qui lucidam nitentis,
Aetheris plagam incolis
Quæ tanta calamitatum,
Cauſa, quis affligimur?
En omnibus ſceleſta
In locis diſcordia
Inſurgit. Et ferocis
Martis arma perſtrepunt,
Nec tabida venenum
Peſtis, aut fames abeſt.
Nam tu ſalutis autor
Omnis & vitæ dator,
Flumen boni perenne,
Veri origo luminis,
Nullum malum creaſti,
Vt docet Moiſis ſacrum
Originum volumen.
Sed tibi veri boni
Fuère cuncta primùm
Comprobata nomine:

Ergò

Ergò quis eſt malorum
Fons, quod horum fluctuum
In orbe Chriſtiano
Luctuoſorum caput?
Fraus & maligna vafri
Dæmonis verſutia.
Noſtræq; mentis atra
Cæcitas, & impia
Labes, malaq; voluntas.
Hinc tetrorum criminum
Stirps: turpiumq; dira
Lerna ſordium, & ſtygis
Origo peſtilentis.
Et trucis mortis lues.
Nam quod Dei ſtatutis
Noſtra contumacia
Perverſitasq;, tracta
Mentis ex culpa patrum
Repugnat, ut coruſco
Lumini nox horrida.
Hinc nos gravi malorum
Mole vindex obruit,
Vt ad viam ſalutis
Nos reducat perditos.
Quare pater ſupreme
Spiritum nobis tuum
Lucemq; confer almam
In profundo carcere

Caliginis nefandæ,
Et vanæ ſuperbiæ
Nos compotes in æuum
Redde luminis tui,
Quod fulget in tenebris,
Splendidum ſidus velut
In nocte nigricante
Sic tuam clementiam,
Et nomen efferemus
Sempiternis laudibus.

NICOLAI CISNERI

AD ANTONIUM DORSERUM LOCUM TEnentem Iſſodunenſem, Iohannem Mylæum, & reliquos Iuriſconſultos carmen, quo eis in abitu ſuo valedixit.

VIve valeq; tuæ Dorſeri maxima gentis
Gloria, Iuridici fama decusq; chori.
Tuq; Mylæe vale, qui verum à teſte requiris,
Quiq; Deum vera relligione colis.
Vos reliqui ingenio clari & pietate valete,
Docta ſodalitij membra valete mei.
Hinc ego non totus vobis remanentibus ibo,
Corpore longinquus, mente propinquus ero.

Vos

Vos pater æternus, Patriſq; æterna propago
  Et ſacer incolumes Spiritus eſſe velit.

ELEGIA

IN CALENDIS JANUARII, AD M. GEORGIUM WEISBROD, Illuſtriſſimi Principis FRIDERICI Palatini Electoris Cameræ Secretarium ſcripta.

O Ptime Muſarum Patrone & amice Georgi,
  Dulce decus ſtudiis præſidiumq; meis:
Anni principium certo remeabilis ortu,
  Sol Tropicum peragrans Aegore rata dedit.
Hic tibi ſit fælix, & ab omni labe remotus,
  Atq; tua foveat commoda vera domus.
Te Deus incolumem tempus tueatur in omnē
  Ille tibi auxilio ſemper adeſſe velit,
Juſta precor, nobis utinam ferat otia pacis,
  Peſtiferaq; adimat dira venena luis.
Plurima perpeſſi ſunt damna prioribus annis,
  Teutonico paſſim fœmina virq; ſolo.
Quis ſævam Martis rabiem, belliq; furores
  Neſcit, & innumeros interiiſſe viros?
Adde etiam funeſta gravis contagia peſtis,
  Quot dederint multis funera mœſta locis.
Hæc validam offenſi teſtantur numinis iram,
  Quam ſceleris noſtri culpa nefanda movet.
At miſerere, Pater, populi miſerere fatentis,
  A miſeris ira fulmina verte tua.

Aſſi-

Afflictas recrea cœleſti lumine mentes,
Lux tua nos cæcos & pia cura regat.
Principioq́; novi tua gratia deleat anni,
Antiquas ſordes, & nova corda creet.
Amoveasq́; procul bellum, peſtemq́; famemq́;
A te noſtra ſalus non aliunde venit.
Sic te perpetuis celebrabunt laudibus omnes,
Et ſublime ferent nomen in aſtra tuum.

ET FAMILIÆ VETVSTATE ET VIRTVTE CLARISSImo viro, D. PHILIPPO à GEMMINGEN, *Curiæ Electoris Palatini aſſeſſori, Domino ſuo ſumma obſervantia colendo, Nicolaus Ciſnerus S. D.*

CUM ab alijs ſæpe tuum in omni genere authorum libris comparandis ſtudium prædicari audivi, tum ipſe tuam erga ſtudioſos optimarum artium benevolentiam facile perſpexi. Itaq; cùm æquum ſit, ut illi potiſſimum fructum noſtrorum ſtudiorum percipiant, qui eadem colunt & amplectuntur, præſertim ex tui loci atque ordinis hominibus, multùm diuq; cogitavi, quâ in re eo tibi officij genere gratificarer, quod à ſtudijs noſtris proficiſceretur. Quâ in cogitatione cum verſarer, percommodè ſanè accidit, ut nepos ex ſorore tuus *Johannes Philippus à Mentzingen* mihi in diſciplinam à patre traditus, mecum ageret petens, ſibi ut ad pompam, cùm ad te ſponſa tua deducebatur,

batur, ire liceret. Iam tum igitur ad gratulationem & commendationem conjugij Pſalmum mihi 128. propoſui, carmine ut explicarem, & quæ tuâ cauſâ maximopere vellem, adjungerem. Sed quia ante à nobis nepos tuus diſcedebat, quàm omnino abſolveram, factum eſt, ut quod optatius mihi fuiſſet, ad te non pertulerit. Itaq; nunc ad te mitto, ac ut operam meam in bonam partem interpreteris, rogo. Quod ſi ſtudium meum tibi probari intellexero, erit id mihi quàm gratiſſimum. Bene vale. Datæ Heidelbergæ. Pridie Calend. Januarij.

EXPLANATIO PSALMI CXXVIII. carmine Lyrico facta à Nicolao Ciſnero, ad virum nobilitate generis, & virtute præſtantem *Philippum à Gemmingen* loco Epithalamij.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

QVem non gravatum criminis impiâ
Culpâ, & tenacem propoſiti boni,
Cœlo ſupinas ferre palmas
Vera movet pietas, timorq́;.
Illi micantis conditor ætheris,
Qui legibus juſtis regit omnia,
Vitæ beatæ largietur
Munera, perpetuos in annos.

Non

Non ſævientis ſentiet impetum
Fœcunda Cauri vinea turbidum,
Nec dira vitem ſauciabunt
Verbera grandinis irruentis.
Nec noxiis aſperſa vaporibus
Aeſtate primâ peſtiferam ſeges
Rubiginem trahet, nec agris
Bruma rigens glacie nocebit.
Nec munda fœdis pabula ſordibus,
Nec tabidâ affectas pecudes lue
Surgente veſperi Coronâ,
Interimet vitioſus aër.
Quæcunque fundit terra ferax bona,
Quæcunque fœtus dant animantium:
His ejus ex Dei benigno
Accumulantur opes favore.
Quin tota fraudis neſcia perdita
Res metiens virtute ſuas domus,
Juſtoq; comparans labore,
Laude viget celebris perenni.
Quales vagantes pampineis comis
Vites adornant omne latus domus
Vmbramq; dantes hoſpitalem
Palmitibus gravibus oberrant:
Talis pudicis prædita moribus
Veroq; præſtans obſequium Deo
Vxor maritum copioſâ
Prole ſuum faciet parentem:

Quam

Quàm floridis multos Latij jugis
Terraq; naſcentes Sicyoniâ
Ex ſtirpe termites virenti
Progenerant teretes olivæ:
Tam multa præſtanti ſimilis patri
Proles, paratum ſub penetralibus
Convivium ſtipans paterno
Delitias animo excitabit:
Et poſt caduci funera corporis
Illum quietis ordinibus Deus
Aſcribet, ut bibat perennes
Nectaris ætherei liquores.
Quid majus eſt his, quid potius bonis?
O quàm beato ſydere naſcitur
Quem talibus mundi benignis
Fructibus exhilarat creator
At qui Deum vecors nihili facit,
Quem bruta tellus, quem mare cærulum,
Quem vaſta Cocyti vorago
Et fera tartara pertimeſcunt.
Hunc inquietæ ſollicitudines,
Et criminum triſtes agitant minæ,
Nec veſpero ſurgente cedunt,
Nec rutilo redeunte ſole.
Et nobiles quamvis Arabum tenet
Gazas, & aurum divitis Indiæ,
Et regio domus paratu,
Attalicisq; toris refulget:

Non

Non hæ tamen ſolatia copiæ
Illi ferent, non lucida purpura,
Non gemma, non aurum coruſcum
Pellere mœſtitiam valebit.
Nec quas habet ſervabit opes diu,
Sed ut leves præceps paleas agit
Frementis Aphrici procella
Diffugient vacuas in auras.
Quid obſtrepentis jurgia conjugis?
Quid perditæ prolis referam mala?
Quid cæteras peſtes nefandas?
Vita quibus premitur ſceleſta.
Nec hoc ſatis, cùm dira neceſſitas
Fati vocat, flumen pice fervidum
Eſt tranſeundum: ſic potenti
Iuſtitiæ, & Nemeſi videtur.
Tam triſte mentes judicio Dei
Manet prophanas exitij genus.
Rarò impios auſus malorum
Deſeruit pede pœna claudo.
Sic fontium celantis origines
Nili tyrannus mole ruit ſua:
Dum corde Moſen pertinaci
Indomitas ſequitur per undas.
Sic inſolentes Aſſyrios ſacræ
Vrbi minantes ultima diſpulit,
Primosq́, & extremos metendo
Stravit humi Domini miniſter.

Hoc

Hoc à vetuſtis fabula gentibus
Efficta fratrum terrigenûm notat,
Quos prædicat Iovem rebelles
Fulmine præcipitaſſe in Orcum.
Quas Cæcus amens, quas validus Minos,
Quas Rhætus, & quas Centimanus Gygas,
Audaciæ pœnas dederunt,
Grande nefas animo moventes.
His impiorum punit atrocia
Delicta, juſtè qui regit omnia,
Is ſpiritus mentis ſuperbæ
Supplicijs ſolitis coercet.
At tu vetuſtâ clarus origine
Cemmingiorum, nobilibus ſatus
Parentibus, quorum vagatur
Sancta fides hominum per ora.
Si, quod facis, te ſubjicies Deo,
Vitæ quietæ liber ab omnibus
Curſum periculis malorum
Auſpicijs perages ſecundis.
Eheu tetrorum me ſcelerum pudet
Fraudumq́, quis nos continuit motus
Dei? quid intactum relictum?
Quæ pietas ſupereſt, fidesq́?
Hinc omne fœdæ principium luis
Defluxit in noſtrum genus & domos:
Germaniæ Deus neglectus
Multa dedit mala luctuoſa.

En jam minaci murmure cornuum
Perſtringit aures, jam tuba perſonat,
Iam fulgor armorum feroces
Munit equos equitumq́ turmas.
Illinc ab ortu ſæva manus Getæ,
Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros; & infandum propinquis
Exitium minitatur oris.
Penè occupatos ſeditionibus
Subjecit agros Pannoniæ ſibi,
Arcesq́ conditas remotis
Montibus in cinerem redegit.
Hinc à cubili ſolis, ut impiger
Eurus per undas Oceani ruit.
Sic ſigna per ripas & undas
Celtica Rhene tuas volarunt.
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quæ loca tabida
Non peſtis infecit venenum?
Quæ caret ora fame malignâ?
Has leniet plagas pater optimus,
Si nos vaganti fræna licentiæ
Addemus, illiusq́ noſtris
Auxilium precibus petemus.
Quare integra fac mente Deum colas
Veraq́ lucis dogmata provehas:
Vt à ſacris viam ſalutis
Percipiat populus miniſtris.

Inſon-

Digitized by Google

Inſontibus ſis præſidio reis,
Vindexq; turpis criminis & doli,
Sic conjugis novæ jugalem
Omnipotens thalamum beabit.
Sic dulcioris tempora provehet
Connubij, ſic pace frui dabit,
Sic ſanguinis veſtri relictis
Divitijs potietur hæres.

GENETHLIACON VVEIRICHI à GEMMINGEN, FILII INFANTIS PHILIPPI à GEMMINGEN equeſtris ordinis viri clariſſimi, ſcriptum à Nicolao Ciſnero.

TEmpore, quo calidi torrentia lumina Solis,
Conſita maturis frugibus arva premunt,
Exieram, petijq; virentis proxima ſylvæ
Antra, Heliconiadum ceu bibiturus aquam.
Iam nemus intraram denſum florentibus umbris,
Roris adhuc prægnans fœtibus herba fuit.
Vallis erat viridi nemorum ſecreta receſſu
Plurimus herboſam fons rigat intus humum.
Hic ego per virides ſocijs errantibus herbas,
Gramineo poſui corpora feſſa thoro:
Venit & Oreadum propè conſtitit una, Deaq;
Veſtibus inſcriptum nomen Amoris erat.

Et niſi virgo foret, potuit vanus illa videri,
Hanc ego dum ſtupido pectore miror, ait;
Quos nuper thalamos, quæ ſacra Hymenæa canebas,
Nunc tibi ſunt iterum voce canenda novâ.
Nunc cane quâ ſponſum cecinisti voce parentem,
Quæ nunc nupta fuit nomina matris habet.
Dixit, & in tenues fugiens evanuit auras,
Me ſubito celeres inde tulêre pedes.
Cùm tibi ſervatâ donatam conjuge prolem
Cognoſco, hoc læta virginis omen erat.
Et quiſquam tenui claudat tua gaudia verſu,
Exprimat exiguis lætitiamq́; modis.
Aut tibi nunc qualis perfundat corda voluptas,
Ullum quod poſſit dicere carmen erit:
Cedite Pierides, feſſoq́; ignoſcite Divæ
Non capiunt noſtros gaudia tanta modos,
Maſcula ſuſcepta eſt proles tibi, clare Philippe,
Egregium priſcâ nobilitate decus.
En patri ſimilis oculos, en mater in ore eſt,
En vultu in quo ſpirat uterq́; parens.
En puer, en vobis jam pridem optata voluptas
Delitium matris, delitiumq́; patris.
En vobis ſolamen adeſt, vos ſpargite multo
Flore domum, & thalamis lenior afflet odor.
Suſcepta eſt proles, calathis date lilia plenis,
Et niteant inter gramina ſparſa roſæ.
Limina jam ſertis ornentur, & atria fronde
Fument accenſis thura Sabæa focis.
Spiret odoratis domus ignibus, æmula lauro,
Myrtus adornatos pendeat ante lares.
Ite procul curæ inſomnes, ſint omnia læta,
Cretenſi lux hæc more notanda tibi eſt.

rum curæ inſomnes, procul ite dolores,
ſcrit hæc nitido ſydere fauſta dies.
bi niveo ſignanda eſt illa lapillo,
i voluptatem lætitiamq; dedit,
bi peperit ſocij nova pignora lecti;
ſiq; auxit veſtras illa, Philippe, domos.
apto celebrant alij convivia rege
referunt celſo munera multa Deo.
pro charo non ducis gaudia nato
ec tibi ſuccenſo limina thure calent?
ſtis illi bellis, & cæde triumphant,
reddunt fuſo ſanguine vota Deo.
it te partu facilis Lucina beato,
ceſſas pleno gaudia ferre ſinu?
ato non ceſſas, & te tua gaudia tangunt,
nq; tenes gremio viſcera chara tuo,
ſſe manu mulcens, ſic ore precaris
e diu, & lætos exige natæ dies;
ta, & noſtros ſupera feliciter annos,
laudant digiti lumina noſtra tui.
fataleſq; colos, & longa ſororum
mina, dent faciles in tua fila manus.
patris, matriſq; auge, ſupereſq; parentum
a, fluant Hermus, Lydiaq; unda tibi.
idem genitrix, aut his quoq; plura precatur
tricho præbens oſcula multa ſuo,
en tenero ſubridens ore parentem,
citat, in terris datq; ea ſigna ſonis,
q; nequit verbis, geſtu confirmat & ore
dit & in veſtras brachia parva preces.
ita cum patris laſſatus colla reliquit
atris in amplexus tum redit ille ſuæ.

Et niſi virgo foret, potuit vanus illa videri,
Hanc ego dum ſtupido pectore miror, ait;
Quos nuper thalamos, quæ ſacra Hymenæa canebas,
Nunc tibi ſunt iterum voce canenda novâ.
Nunc cane quâ ſponſum cecinisti voce parentem,
Quæ nunc nupta ſuit nomina matris habet.
Dixit, & in tenues fugiens evanuit auras,
Me ſubito celeres inde tulêre pedes.
Cùm tibi ſervatâ donatam conjuge prolem,
Cognoſco, hoc lætæ virginis omen erat.
Et quiſquam tenui claudat tua gaudia verſu,
Exprimat exiguis lætitiamq; modis.
Aut tibi nunc qualis perfundat corda voluptas,
Ullum quod poſſit dicere carmen erit:
Cedite Pierides, feſſoq; ignoſcite Divæ
Non capiunt noſtros gaudia tanta modos,
Maſcula ſuſcepta eſt proles tibi, clare Philippe,
Egregium priſcâ nobilitate decus.
En patri ſimilis oculos, en mater in ore eſt,
En vultu, in quo ſpirat uterq; parens.
En puer, en vobis jampridem optata voluptas
Delitium matris, delitiumq; patris.
En vobis ſolamen adeſt, vos ſpargite multo
Flore domum, & thalamis lenior afflet odor.
Suſcepta eſt proles, calathis date lilia plenis,
Et niteant inter gramina ſparſa roſæ.
Limina jam ſertis ornentur, & atria fronde
Fument accenſis thura Sabæa finis.
Spiret odoratis domus ignibus, æmula lauro,
Myrtus adornatos pendeat ante lares.
Ite procul curæ inſomnes, ſint omnia læta,
Creteſi lux hæc more notanda tibi eſt.

Ite

Ite iterum curæ inſomnes, procul ite dolores,
Fulſerit hæc nitido ſydere fauſta dies.
Illa tibi niveo ſignanda eſt illa lapillo,
Illa voluptatem lætitiamq́; dedit,
Illa tibi peperit ſocij nova pignora lecti;
Atq; auxit veſtras illa, Philippe, domos.
Pro capto celebrant alij convivia rege
Et referunt celſo munera multa Deo.
Et tu pro charo non ducis gaudia nato
Nec tibi ſuccenſo limina thure calent?
Pro geſtis illi bellis, & cæde triumphant,
Et reddunt fuſo ſanguine vota Deo.
Auxit te partu facilis Lucina beato,
Et ceſſas pleno gaudia ferre ſinu?
At puto non ceſſas, & te tua gaudia tangunt,
Jamq́; tenes gremio viſcera chara tuo,
Et fortaſſe manu mulcens, ſic ore precaris
Vive diu, & lætos exige nate dies;
Vive diu, & noſtros ſupera feliciter annos,
Et claudant d[illegible] lumina noſtra tui.
Produc fataleſq́; colos, & longa ſororum
Stamina, dent faciles in tua fila manus.
Speſq; patris, matriſq; auge, ſuperſtesq; parentum
Vera, fluannt Hermus, Lydiaq; unda tibi.
Hæc eadem genitrix, aut his quoq; plura precatur
Wetricho præbens oſcula multa ſuo,
Ille tamen tenero ſubridens ore parentem,
Noſcitat, in terris datq; ea ſigna ſonis,
Quodq; nequit verbis, geſtu confirmat & ore
Tendit & in veſtras brachia parva preces.
Atq; ita cum patris laſſatus colla reliquit
Matris in amplexus tum redit ille ſuæ.

Hhh iij.

O quantum matris pertentant gaudia mentem,
Quantas ſpes animo concipit illa ſuo,
Cum tenet in gremio duri ſolatia partus
Inſpectatq; viri pignora cara ſui.
Jam nati molles gaudet tetigiſſe lacertus
Milleq; demulcet pectora blanda modis.
Et quacunq; poteſt dulcem teſtatur amorem,
Lætitiaq; ullum neſcit habere modum.
Non ita lætatum credo, quæ nupſit Achilli
Cum peperit Pyrrhum Deianira ſuum.
Quamvis hic Thetidos nepos, & quintus ab ipſo
Progeniem poſſet dinumerare Jove.
Nec ſic Thebani gaudebat filia regis,
Aſpexit quoties Aſtyanacta ſuum.
Quanquam ea tum magnas ſpes cepit & Hectore dignas
Votaq; apud ſurdos non valitura Deos.
At tua Werichum primum complexa replevit
Ingenti mentem ſpe Catharina ſuam.
Salve magnanimi conjunx veneranda Philippi
Dij tibi dent multa creſcere prole domum.
Macta viro ſic conſtat honos, ſic aſtra petuntur.
Debentur caſto præmia tanta thoro.
Nec veſtra hæc ſolùm pertingit corda voluptas.
Aſpice jam matres gaudia quanta tenent.
Undiq; gratantes videas, & fauſta precantes
Figentes roſeis oſcula multa genis.
Conveniunt precibusq; diem, ſacrisq; frequentant,
Afficiunt ipſos lætitiaq; Deos.
Aſpice teſtantem paſſim ſua gaudia pubem,
Uſque ſub alta poli ſydera plauſus abit.
Haud ſecus ac victis ſi quando Cæſar ab Afris
Aut ſecus Partho victor ab urbe redit.

It po-

It populus, magnoq; ducem clamore petendo
Lætus jô, clara voce, triumphe canit.
Audivit ſonitus cœlo repetitus ab alto
Et reboant celſi lucida tecta Jovis.
Tum quoq; cæruleum caput obſtupefactus ab imo
Extulit, & cœptum deſtitit Nicer iter.
Et ſua miratus, quæ tam nova regna voluptas
Implicet, ornatis dicitur eſſe comis.
Hinc alij viva diſtinguunt carmina voce
Et variant flexo murmura grata ſono.
Ceu ſolet æſtiva dulcis Philomela ſub umbra
Cum ſedet, & magnas concinit inter aves.
Aut quales ſonitus reddebant cymbala quondam
Inter turrigeræ tympana pulſa Deæ.
Hinc cytharaq; lyraq;, & molli nablia voce
Hinc variant dulces barbita blanda modos.
At tu care puer, cui gaudia tanta parantur,
Cujus lætantur fœmina virq; vice.
Perge, bono & noſtras de te ſpes omine ſumtas
Perfice, & in patrias perge venire vias.
Et clari montis cupias audire parentis
Vivendi leges cum dabit ille tibi.
Sic tibi ſic faciles producant ſtamina Parcæ
Et veniat fauſto ſera ſenecta pede.

ENCOMIVM CONIVGII IN nuptias Doctiſſimi viri D. Davidis Chytræi, *&* Margaritæ *virginis Roſtochienſis ſcriptum à* Nicolao Ciſnero, *Profeſſore in inclyta Academia Heidelbergenſi. Anno 1553.*

Si quando pater æthereus fons omnis honeſti
Humano generi duras pro crimine pœnas
Impoſuit vindex irâ indignatus acerbâ:
Illicitam Venerem, turpemq; libidinis uſum
Innumerâ ſemper turbâ preſſiſſe malorum
Prodita de factis memorant exempla vetuſtis.
Non veteres fratrum per mutua vulnera Thebas
Excidio verſas gemeret Bœotica tellus,
Oedipus inceſto ni mixtus amore fuiſſet.
Trojanas nec opes, & Laomedontia regna
Cepiſſent Danai per multa pericula rerum,
Si Paris infamis vitaſſet furta Lacænæ.
Quodq; Corinthus opum dives, quòd nobilis armis
Sparta jacent, fuſo & maduerunt ſanguine Leuctra,
Cauſa fuit ſparſæ ſine lege libidinis æſtus.
Nam qui luminibus molem radiantibus aptam,
Qui mare, qui terras, qui cuncta animata creavit,
Qui genus omne hominum regit, & genus omne ferarum,
Spiritus eſt caſtus, vicioſa à labe remotus,
Impuroſque gravi pœna inſectatur amores.
Hinc animis noſtris caſti divina pudoris

Semina naſcentis jam prima ab origine mundi
Inſeruit, caſtique ſimul pia fœdera lecti
Inſtituit, quò per ſociæ commercia vitæ
Dulcia conjugij proferret pignora conjunx,
Unanimi ſenſu caro ſociata marito.
Hac ſerie eſt viſum Divûmq; hominumq; parenti
Humanum ſervare genus, triſtemque piorum
Interitum vice continuâ ſarcire ſequentum:
Dum quæcunque globis cœli, Phœboque nitenti
Ordine naſcendi certo ſubjecta ferentur:
Atque vagus latum Nereus circumfluet orbem.
Illum quò rerum dominum regemque ſupremum,
Autoremque ſuæ vitæ primamque ſalutis
Cauſam, gens hominum divinâ prædita luce
Noſceret, atque accepta Deo bona cuncta referret,
Omnipotensque ſacrumque ejus per ſecula nomen,
Laudibus aſſiduis ad lucida ſidera ferret.
Et quoniam vafro perverſi Dæmonis aſtu
Motus Adam vetitâ decerpſerat arbore poma,
Poma gravi ſeros damno læſura nepotes:
Iamque erraret inops, & veri luminis expers
Viribus amiſſis, primus quas indidit autor
Hauriretque ſui nocitura oblivia juris
Mens hominū, Stygijs tenebris & nocte profundâ
Obruta, præcipiti ferretur in omnia caſu
Crimina, per primæ contagia noxia culpæ:
Rurſus quid fieri jubeat, quid non ſit agendum,
Quas ſcelerum pœnas ſtatuat, quæ præmia recti
Omnipotens genitor craſſæ ſub imagine nubis
Ardua Sinaidos veniens ad culmina rupis,
Cornigero expoſuit ſeverâ lege Prophetæ:
Quâ rapidos fluctus veſani damnat amoris

Et vetat alterius thalamos violare jugales.
Uſque adeò quæ poſt generis primordia noſtri
Elyſijs ſancit rector connubia campis:
Illius ut juſſu glebosæ portio terræ
Ceſſerat in noſtram (mirum) reſoluta figuram
Corporis, utque artus luteos terrenaque membra
Æthereo ſenſu, atque aurai ſimplicis igne
Ornârat, laterumque viri compage ſolutâ
Conſortem thalami mirâ formaverat arte,
Æternum voluit repetita lege manere.
Et quamvis aliqui mortali in corpore, ſancti
Auxilio flatus, cœleſti & munere freti
Seſe adeò firma terræque polique ſatori
Conjunxere fide, ſpretis quæ maxima vulgus
Admiratus iners, & pigris carceris atri
Moribus exuti, ſupera & ſe luce foventes
Oblitique ſui lætentur cœlibe vitâ:
Non tamen hâc cunctis conceſſu vivere Divûm
Conditione licet, facta eſt hæc gratia paucis,
Virginitate quibus ſuperûm genitor dedit uti.
Sed quia poſt primi commiſſa piacula patris
Imperfecta animi vis eſt, pollutaque labe
Pluraque ſuccedant, valido quæ pectora motu
In fœdas rapiant flammas, cœcosque furores,
Eſt melius multò certas non temnere leges
Naturæ, & divina ſequi mandata Tonantis
Conjugioque frui, non ſolum ut noſtra propago
Longævum foveat per plurima tempora mundum,
Sed tua ne turpi conſpurces crimine membra.
Atque age ſuccurrat quanta caligine ſacræ
Noticias mentis fallax involverit error,
Error in orbe regens, & celſa ad ſidera tendens:

Et

Et quàm peſte gravi ſit debilitata voluntas
Ad mala propendens, & per deſerta viarum
Propoſita ſine lege vagans ductore relicto,
Denique quantopere cordis vicioſa facultas
Terrenis inhians umbris, rebusque caducis,
Corporeæque nimis vita hæc obnoxia moli
Inſurgat contra normam rationis honeſtæ,
Atque ejus victrix præclara molimina frangit.
Qui vitant igitur jam conceſſos Hymenæos,
Ni mens æthereo potiatur numine cœli,
His furiale malum Sathanæ fraudesque malignas
Effugere haud facile eſt flammati pectoris æſtu.
Nam veluti ſtimulante fame Leo fervidus irâ
Ore immanè fremens; & ſævis dentibus aſper
Inſidias pecori tendit ſtabula omnia circùm:
Sic ſcelerum ſator antè alios immanior omnes,
Quem tetra invidia ſtimulis divexat acerbis,
Nunc hos, nunc illos aditus pertentat, in omnes
Se verſans partes, alto ut nos fraudet olympo,
Et ſecum miſeros Acherontis ducat ad undas,
Et pigeat quenquam, ne diri fraude Draconis
Illecebrisque malis, turpi fallatur amore,
Quos Deus ipſe ſuo toties ſermone probavit,
Legitimos thalamos, re ſic poſcente, ſubire?
Quin etiam quo nos Chriſtus complexus amore eſt
Cùm ſcelerum lue fœdatos, & regis Averni
Inſidijs captos, ſortem miſeratus iniquam
Tartareo eripuit regno, Stygiaque palude,
Atque ſua noſtram penſavit morte ſalutem:
Hujus jura thori Paulus cœleſtibus ingens
Viribus, exemplum eſſe monet, cùm mutua ſponſus
Dilectâ in ſponsâ flammarum incendia ſentit.

Sed

Sed tamen ut ſtabili jungantur pectora vinclo
Conjugiumq; bonis avibus, curſuque ſecundo
Firmetur, precibus ſummis, à patre petendum eſt,
Numine ut ipſe ſuo præſens dignetur [illegible]
Nam gemmas, aurum, fœcundaque frugibus arva
Structaque magnificis operoſa palatia [illegible]
Divitibus linquunt ſublati morte parentes:
Aſt bona cœleſti contingit munere conjunx.
Talem igitur tibi quòd nulli pietate ſecundo
Egregiaque fide ac ſtudio ſua juſſa colenti,
Uxorem dedit ardentis fabricator olympi,
Qui ſibi fidentes nullo unquam deſerit ævo:
Docte *Chytrae*, tibi gratamur pectore toto.
Fama etenim noſtras nuper pervenit ad oras
Egregiâ formâ ſimul & florentibus annis
Margarin eſſe tibi ſociali fœdere junctam.
Quæ ceu ſtella nitet facie, quam nocte ſerenâ
Erigone claro candeſcens lumine, dextra
Conſpicuam monſtrat multâ cum luce videndam,
Quam celebret clarum gentis cognomen avitæ
Virtuteſque domus, priſcæque Encomia ſtirpis.
Et genitor primos inter *Laurentius* urbis
Vir pius & magna doctrinæ laude celebris,
Eximio in ſummo prælucet honore ſenatu.
Quid referam, in cunctis quæ ſit ſolertia rebus,
Quas curare domi matronas exigit uſus.
Accedunt mores placidi, & reverentia cari
Conjugis, & pulchræ quòd conſona pectora formæ
Plena pudicitiæ, lucetque modeſtia vultu
Præcipuè divina illi ſuper omnia cordi eſt
Relligio, cultusque Dei, pietasque verenda.
Felix ô *David*, tædaque beate jugali,

Quem

Quem tali rerum moderator ditat honore,
Ut tot honoratis virtutum dotibus aucta
Perpetuos virgo tibi conſocietur in annos.
Nec minùs his thalamis felix es tu quoque virgo,
Namque tibi ſummo devinctus amore maritus
Tanta ſuo ingenio præclaræ nomina laudis
Et virtute decus, primævo in flore juventæ
Protulit, ut docti ſanctas ob pectoris artes
Janus in egregijs *Albertus* ſtrenuus armis,
Antiquâ validi nigrum caput ægide tauri
Cornibus auratis geſtans inſignia avorum,
Cimbrorum veteri regum de ſtirpe creatus,
Traxerit Arctoæ veſtram telluris ad urbem:
Hic ubi cum magno Muſarum ſacra ſenatu
Inſtaurat, clarisque ſcholam Doctoribus auget,
Atque bonas magnis illuſtrat ſumtibus artes,
Et veterem priſcæ renovat pietatis honorem:
Æterno dignus celebrari nomine princeps.
Hîc igitur patris ætherei præcepta ſonantem,
Et pia ſanctorum referantem oracula vatum,
Iuſticiamq; hominum reparatam ſanguine Chriſti,
Miratur pubes doctis ſacrata camœnis,
Ad veſtras aliis procul è regionibus oras,
Adventans celebri doctorum percita famâ,
Scilicet hanc virtus laudem & doctrina meretur.
Quod ſupereſt igitur votis ardentibus oro,
Ut qui cuncta ſuo moderatur numine ſolus,
Mortalisque pijs vitæ ſolatia præſtat:
Is vos tranquillo caſtæ moderamine vitæ,
Unanimes ævum placidè tueatur in omne,
Atque piâ lætos faciat vos prole parentes:
Perpetuoque domus promoveret commoda veſtræ.

Et poſt

Et poſt Neſtoreos annos, ſeramque ſenectam
Sidereos inter proceres, animasque beatas
In nitidam ſedem ſtellantis ponat olympi
Pacis ubi domus eſt, requies ubi certa laborum.

EPITHALAMIUM

ORNATISSIMI VIRI ARNOLDI OBSOPOEI CUBANI, I. V. L. Elect. Palat. Protonotarij digniſſ. & EVAE REGINAE, N. Offenburgij I. V. D. F.

AUTORE NICOLAO CISNERO.

VEnerat Arctoi procul ad cōfinia mundi (nus,
Qua Nicer. quaq; immenſo fluit agmine Rhe-
Et juxta ſcopulos attollit Sylva nivoſos
Martia, & aërias ex imo proſpicit Alpes,
Exiguus puer ille Deus, qui patre creatus,
Aethere, per totas latè domat omnia terras.
Utque erat armatus pharetrâ & fulgente ſagittâ,
Fixerat alternis juvenum duo pectora telis,
Mutuaq; amborum motis præcordia flammis,
Ipſe pedem referens magno compleverat æſtu.
Horum jam pridem ſummos erat alter honores,
Doctrinâ & ſtudio ſolidæ virtutis adeptus:
Iamq; Palatinâ reſidens ſublimis in aulâ
Conſilia, & caſus rerum, eventusq; notabat.
Altera de veteri Regis cognomine, ſtirpe,
Edita patre fuit, priſco qui rure Nemetum:
Publica Teutonicis dictavit jura colonis,
Ipſa animo, & pulchris morum virtutibus aucta,
Ante alias magno formæ excellebat honore:

Digitized by Google

Iamq; adeò ſummis ardebant viribus ambo,
Molliaq; ætatis languentes pectora flammis,
Alter in alterius contabeſcebat amore,
Non ſecus ac nimio ſi quandò gramina ſole,
Tabidus arentes urit cum Sirius agros,
Demittunt capita, & ſiccis moriuntur in herbis:
Cum pater omnipotens,cui nota pericula rerum,
Qui miſeros hominum caſus, variosq; labores
Cernit, & humanæ diſpenſat tempora vitæ
Illorum longos tandem miſeratus amores,
Ambos legitimi ſociavit fœdere lecti.
Ergò has ut præſens firmaret numine tædas,
Et faciles animos ſolido vinciret amore,
Imperio Divæ, placidos quæ paſcit amores.
Nectaris æthereo Cypri per rura liquore,
Conjugij præſes croceo velatus amictu,
Veſtitusq; genas tenerâ lanuginis umbrâ.
Quo ſine fas non eſt ſocialia fœdera lecti
Appetere,aut thalami primas attollere tædas,
Telluris linquens Hymenæus amabilis oras,
Qua Paphos alta jacet, quâ celſo colle Cythera,
Hic ubi perpetui patet indulgentia veris,
Perpetuo viridi ſepti ſtant gramine campi,
Prataq; multiplices fundunt gemmantia flores,
Narciſſum & violas, germenq; virentis Anethi,
Lilia,Chryſocomen, Caſiamq;,croeumq; rubentẽ,
Lenta ubi præſtanti frondeſcunt vimina coſto,
Arboreiq; vomunt ſtillantia balſama rami,
Et liquidas Myrrhæ lachrymas, & thuris odores:
Protinùs ad nitidæ contendit Phocidos arva,
Mons ubi Parnaſſus,gemino qui vertice ſurgit,
Caſtalij laticesq;, & Hyantea Aganippe,

Fonsq;

Fonſq; Meduſæus, quem præpetis ungula rupit,
Huic ſeſe comites blandæ junxere ſorores
Nudæ humero, nudis diffuſâ veſte papillis
Aglaja, Euphroſine & nitidos reſoluta capillos,
Sive ea Paſithea eſt, ſive eſt dicenda Thalia.
Quæ ſecum pulchræ centum ad connubia ſponſæ
Dona ferunt, lætos Pantheæ mercis honores,
Et Caſiam, atq; alias intextas floribus herbas.
Collectas Veneris prato, varioſque liquores
Ambroſiam, Stactenque & amœni balſama ſucci,
Quos ſciſſo Idalius deſudat vulnere cortex.
Ergò ubi Gorgonij tetigére cacumina montis,
Et ventum ad ſedes viridanti gramine pictas,
Quâ manant ſubitis factæ pedis ictibus undæ,
Ecce vident ſuavi modulantes carmina voce,
Hinc atq; hinc paſſim patulâ reſidere ſub umbrâ
Intentas operi Muſas, certoq; labori.
Harum pars Platani recubans ſub tegmine lato
Serta auro intertexta parant, gemmaq; rigenti:
Pars ad glandiferæ frondentia brachia fagi,
Arguto tenues percurrunt pectine telas:
Aſt aliæ fuſæ, virides ubi plurima ripas
Alluit, & dulces reſonans ciet unda ſuſurros,
Purpureis mirâ depingunt arte tapetis,
Clara vetuſtorum facta & monumenta virorum.
Aggreditur propius, cui ſunt ſponſalia curæ
Feſtus Hymen, talique Deas ſermone ſorores,
Affatur: nunquam ne bicornis frondea montis
Vos juga linquetis? nunquam Phorcynidas undas
Linquetis, fonteſq; Heliconidos Hippocrenes?
Dicite, quid ruri vos cultos pangere verſus,
Quid reſonare juvat, cantus? Iſtiſq; morari
Sedibus

Sedibus accinctas textricum pectora ritus
Jam rē piget Rheni, jam vobis flumina Nicri
Sordent, vitiferi & notiſſima mœnia tractus?
Aut nondum veſtras rumor pervenit ad aures,
Inſignem virtute virum, famaq; celebrem
Doctrinæ: qui ſæpe ſacrâ ſub valle liquores
Hauſit Caſtalios, riguos & Phocidos amnes,
Arnoldum vinclo ſibi conjunxiſſe jugali,
Cultoris clara veſtri propagine natam
Moribus eximijs Evam, formaq; decenti.
Quæ ſua de Regis ducit cognomina voce?
Quare hodiè, cum prima thori ſit jura daturus,
Cur offerre novæ ceſſatis munera ſponſæ?
Huc igitur mox ferte pedes, huc protenus omnes
Veloci mecum Muſæ contendite greſſus,
Ad gelidos flatus propiùs, Zephyrumq; tepentem,
Quā ſacer invehitur ſpatioſo flumine Rhenus,
Quaq; minor prono deſcendens tramite Nicer
Liberiora vagi curſu petit æquora campi,
Nec procul inde ſuo miſcetur gurgite Rheno,
Hic ubi conſpicitur fœlici regia cultu
Priſca Palatino generis de ſanguine ſedes
Inclyta, & umbroſo jacet Heidelberga receſſu *Heidelberga.*
Artibus ingenuis Phœbo, vobisq; dicata.
Ut meritum ſponſo tandem præſtemus honorem,
Muneribusq; datis, noſtros teſtemur amores.
Dixerat, at brevibus contrà mox talia verbis,
Calliope excepit, doctarum prima ſororum.
Ipſa refers, meritoq; probas, urbemq; locumq;
Ac fuit antè alias nobis gratiſſima ſedes,
Quæ de Mirtylli fertur ſua nomina baccis
Accepiſſe, jacens Nicri flaventis ad undas.

Namq; erat Aonij longè cupidiſſima fontis,
Aſſiduò & noſtras ſertis halantibus aras
Ornabat, ſtudijs doctrinæ dedita rectis.
Hic domus, hic requies, hic læto templa nitore,
Hic erat hoſpitium nobis, Phœboq; comato.
Nec minùs ad Nicri placuit conſidere ripas,
Quàm Perneſſe tuis errare ad flumina campis.
Dùm faciles rectis ſpirabant artibus auræ,
Iupiter & lætas ſervabat numine Muſas:
Quanquam etiam iſtius video nova lumina ſecli,
Et melior noſtris fulget ſpes addita rebus.
Ac ſi certa fides, ſi ſtat non irrita fatis,
Si quid habent veri ductoris carmina noſtri,
Non procul illius lucis reor affore tempus,
Quo nos peſtiferæ ſervatâ à clade ruinæ
Amiſſum revocare decus, veteremq; nitorem,
Poſſimus, meritumq; ſacris repetamus honorem.
Namq; Palatini multos modò Curia nutrit
Præſtantes pietate viros, nobisq; faventes,
Qui veterem cupiunt nobis renovare decorem.
Præcipuè ante alios ſummæ faſtigia ſedis
Qui tenet: & ſtabili moderatur jure ſenatum,
Conſilio pollens, excellens arbiter æqui,
Cui clarum eſt celebri Chriſti de nomine nomen,
Chriſtophorus Probus Elect. Palatin. Cancellarius. Cognomenq; Probi pietas, virtusq; dederunt.
Qui quondam juvenis noſtro verſatus in antro
Fonte Meduſæo largè ſua proluit ora,
Nunc ſummo noſtrûm ſtudio defendit honorem,
Cui quoniam firmo nexu non ſegnis adhæret,
Et juvat exulibus ſedem inſtaurare priorem.
Aonios inter non infima gloria vates
Arnoldus, rectiq; tenax & amator honeſti.
Quem

Quem ſibi conjugio, & tædâ ſociaſſe jugali,
Fama modò haud dubijs agitata per aëra pennis
Rettulit adveniens, *Evam*, probitate puellam
Et genere inſignem, natam quo priſca Nemetum
Mœnia piſcoſo præterfluit agmine Rhenus,
Vix equidem dicam quanta hæc ſolatia nobis,
Quantáve ſint animis curæ hęc nova gaudia noſtris.
Nec nos blanditiæ nemorum rurisq; voluptas,
Nec vitium, aut mentis ſtupor, aut ingrata voluntas
Detinuit: ſed erant noſtri nova munera ſponſæ
Cultoris ſtudio, curaq; paranda fideli.
Verùm age ne pompæ nos gaudia tanta moremur,
Quæ tàm parta brevi nobis ſunt tempore ſponſæ,
Ut decet indutæ, tecum jam dona feremus.
Talia reſpondens breviter cùm dicta dediſſet
Calliope: mox diffuſos ſine lege capillos
Colligit, & morſu numeroſi dentis eburno
Effingit varios certo diſcrimine nexus.
Iamq; ſimul niveis indutæ veſtibus omnes
Pierides, nudis mediâ plus parte lacertis
Albaq; puniceis evinctæ crura cothurnis:
Et textis hæderâ redimite tempora ſertis,
Phocica linquentes arva, & Cadmeidas arces
Munera portabant manuum figmenta ſuarum.
Cyniphio ex auro Clio, gemmisq; coronas,
Cingula Melpomene fulvis radiantia bullis.
Uranie gravibus gemmata monilia baccis,
Euterpe Tyrio ſaturatam murice pallam,
Lutea virgineos velantia flamina vultus
Terpſychore: niveo peplum candore Thalia:
Purpureo tinctam Polyhymnia Cyclada ſucco:
Egregijs Erato variata Aulea figuris,

Et circumpictum viridi velamen Acantho.
Aſt tibi quæ quondã ſunt condita carmiua Phœbe,
Calliope, auratamq; Chelyn, Citharamq; bicornẽ.
Hic iter ingreſſi, caſti Deus author amoris,
Et Muſæ, & triplices nexæ per mutua Divæ,
Quà tellus, quaq; unda patet, veſtigia carpunt.
Et thalamum lætæ properant contingere ſponſæ.
Nec mora, nec requies, donec per longa viarum
Deveniunt greſſu, qua læto gurgite Nicer,
Vitiferos colles fœcundis ſegregat arvis,
Atq; hos Nympharum ſequitur comitatus euntes,
Undiq; quas lætis ſuſtentant flumina ripis,
Hinc Savus, hinc Iſter, hinc curſibꝰ impiger Oenus
Nec non & vitrei blando quas murmure fontes,
Quasq; fovent paſſim nemoroſo vertice colles
Teutona Pannonijs diſtant quibus arva colonis.
Omnes hæ ſolito Muſas venerantur honore,
Quaq; pedes referunt, aut qua veſtigia tendunt
Purpureas ſpargunt violas, herbasq; virentes.
Jamq; Palatini turrita palatia ſedis
Cernebant, liquido ſtantes in margine Nicri,
Cùm procul adverſo reſonantia tympana cœlo,
Argutæq; lyræ pulſum, cytharamq; ſonoram,
Et juvenum plauſus, & verba precantia matrum,
Auribus excipiunt vicinæ è mœnibus urbis.
Nec minus intereà celeres in gurgite curſus
Siſtentem, & placido ſtringentem murmure ripas
Conſpiciunt Nicrum, feſtosq; in flumine luſus.
Nicrigenas udis Nymphas agitare capillis,
Plaudentesq; ſuæ pariter ſe jungere turmæ.
Ut ventum eſt nitido fulgentia ad antria cultu,
Omnia regali cernuntur ſplendida Gaza.

Obdu-

Obducti myrto poſtes, hederaq; virenti,
Et croceo circum paries velamine ſplendet.
Sidoniæq; ſolo ſternuntur vellera lanæ.
Aſt ubi longævæ matres, teneræq; puellæ
Circumſtant rutilo flagrantem lumine ſponſam,
Et ſponſo aſſiſtunt, juvenumq; virumq; catervæ
Omnia collucent auro, gemmisq; refulgent:
Quo poſtquam pervenit Hymen, ſanctæq; ſorores,
Et dextram tetigere viri, dextramq; puellæ,
Principio calathis fragrantes veris honores
Balſamaq; effundunt toto redolentia tecto,
Quîs permulſa domus jucundo riſit odore.
Mox ea promentes quæ ſecum quoq; tulere,
In gremium mittunt lætæ ſua munera ſponſæ,
Cingulaq; & pictas auri ſub tegmine veſtes,
Gemmatamq; coronam & denſa monilia baccis.
Tum ſuperis charum & magnis virtutibus auctum
Calliope Arnoldum, Muſarum maxima, vultu
Lætifico aſpiciens, his vocibus ora reſolvit:
Chare decus noſtrum juvenis, gratiſſime cœlo,
Quem quondam ſuperas mater generavit in auras,
Cum Iovis in ſummo flagraret cardine ſtella,
Et Venus, & nitido ſurgens Cyllenius aſtro
Aſpexit primos radijs fulgentibus ortus:
Hinc noſtros latices primæ ſub flore juventæ,
Cum Clarij fontis formoſa vireta ſubires.
Hauſiſti, viridi redimitus tempora lauro,
Unde tuam tanto firmaſti munere mentem,
Ut te æqui, rectiq; modum, legumq; tenorem
Flectere non odium cogat, nec gratia vincat,
Quod tibi perpetuum pariet per ſecula nomen.
Sydere tu fauſto ſubijſti Clara Nemetum

Mœnia, cum ſubito caſtæ perfuſus amore
Virginis, illam ardens animo interiore ſecares.
Quam probitas, & forma decens, moresq; pudici
Divite præ reliquis commendant dote puellis.
Quam quoniam firmo caſti tibi fœdere lecti
Iungere collibuit; toto tibi pectore grator.
Utq; Jovi hæc certi thalami decreta probantur,
Et placet hæc sociæ concors conjunctio vitæ,
Sic precor incolumes longum vivatis in ævum,
Mutuaq; unanimi peragatis tempora lecto,
Nec malè diſſiliant quocunq; ea pectora motu,
Quæ Deus & melior ſociavit amore Cupido
Sic vos fata juvent, ſic vitam fata ſecundent,
Sic ait, & retrò veſtigia facta relegit.
At parte ex alia feſtivo gratia vultu
Euphroſine, ſponſam teneris amplexa lacertis,
Sermonem Muſæ tali cum voce ſecuta eſt.
O virgo præclara venuſtis dotibus aucta,
Cui ſeſe tot dona, tot explicuere Deorum
Munera, virtutes, præſtantis gratia formæ,
Divitiæ, genus, & ſtirpis veneranda propago,
Quis tua nunc merita celebret præconia laude?
Aut quæ lingua ſatis formæ tot dona decoræ
Commemoret? non labra roſæ, non lumina flãmæ,
Non crines aurum ſuperat, non brachia cygni.
Ac veluti pleno cum lucet Cynthia vultu,
Aut alto rapidos tollens à gurgite currus
Candida procedit roſeis aurora capillis,
Aut tepidum pulſo mulcet cum frigore cœlum,
Albaq; purpureis depingit floribus arva:
Sic alias inter fulges candore puellas,
Et formoſa tui vincis decora omnia cœtus.

O di-

O digno ſociata viro, pulcherrima virgo,
Cujus pura fides, probitas, induſtria ſolers,
Ingenij dotes, & ſancti pectoris artes,
Teq; tuumq; ferent ad lucida ſidera nomen,
Tu modò fac placido candentia brachia nexu
Illius injicias collo, & grata oſcula figas.
Sic vos fata juvent, ſic vitam fata ſecundent.
Excipit hanc tandem fulgenti tædifer ore,
Atq; his amborum ſancit connubia dictis.
Eja agite, optatos cupidis coniungite amores
Pectoribus, firmoq; tenere jugalia nexu
Vincula Conjugij, communi vivite lecto
Concordes, eadem ſit mens, eademq; voluntas:
Hoc etenim nullo laxatur tempore fœdus,
Mutuaq; hæc ſacri jus tædæ vincula ſtringent,
Seu Sol in liquidas pronus ruat æquoris undas,
Seu repetat noſtras roſeo ſub lumine terras.
Quare agè, chare tuis ſponſam conjunge lacertis
Sponſe, noviq; animo thalami cape gaudia læto.
Tuq; tuas detege genas, quid lumina ſævis
Corrumpis lachrimis? aut averſare maritum?
Ne moveas duras infenſis unguibus iras.
Nevè diu optatis ſubducas colla lacertis
Sed placidis complecte ſinu, gremioq; maritum,
Qui tua nunc oculis ſpectat flagrantibus ora,
Illo virgineum ponas cupiente pudorem,
Primitiiſq; ſinas lætum gaudere juventæ.
Sic uterus creſcat, ſic pulchra prole parentem
Te faciat Iovis alma ſoror, ſic numine dextro
Vos recreet ſolita ludens Arnoldulus aula
Dum pia fata ſinunt, dum vitam fata miniſtrant,
Sic effatus abit, Celſos qua ſemito lucus

Tendit in Idalios, at lætos Phocidis amnes,
Et gelidos fontes Charites Muſæq; reviſunt.

NICOLAI CISNERI
Epithalamium,
IN NUPTIAS,
Ornatiſs. Viri,
GEORGII VOLSII, JC.
IMPER. CAMERAE
Advocati:
&
Honeſtiſſimæ Virginis,
MARGARITÆ DIMARIDIS,
Honoratiſſimi viri, Michaëlis Dimari, Senatoris Spirenſis Reipubl. Filiæ.

VT ſtrepitus, fremiusq́; hominum, cytharaq́; ſonora,
Argutiq́; ſonus litui; ſtridorque monaulj,
Perſonat omne nemus, mentisq́; cacumina pulſat
Saxea, quem vario reddebant atria planſu:
Actutum Oreades, montis juga celſa colentes,
Et Dryades, digitis ducentes fila ſupinis
Obſtupuêre, ſed ante alias Theróq; Drymeq;,
Tali commota ſonitu, mox ſede relictâ,
Et fuſis poſitis, currunt ad flumina Nicri.
Vix jam contigerant viridantes gramine ripas,
Cùm paſſim nitidis gemmis auroque coruſca

Naja-

Najades, ovantes ad amœna vireta ruebant,
Undique qua Nicri patris circumfluit unda:
Non ſecus ac ſiccam ad terram cum gurgite ab alto
Hinc atque hinc glomerantur aves, ubi frigida ventis
Tempeſtas inſtat, pelagoq́ impendet apruo;
Quaque ſuum ad ſummum ſtudioſè munus adornat,
Pars teneris florum digitis populatur honorem,
Pars nectit flavos redimentia ſerta capillos,
At flava torymone, Panopeaq́, Cymodoceq́,
Cæſariem viſæ per candida colla fluentem,
Puniceoq́ ſinu Xantho, niveisq́ lacertis
Spio, depictas auri ſubtegmine veſtes
Aëra mulcentes concinnâ voce, plicabant.
Hîc Thero (mirantur enim non gaudia cœtus)
Quid, rogat, ô chara quæ flumina rauca ſorores
Servatis, tantus quid ſignet in urbe tumultus?
Quidque velit gelidis veſter concurſus in undis,
Dicite, vobiſcum ut ſimul exultemus; At illæ
Advenisſe docent tempus, quo virgo venuſta
Dimaris, antiquo Nemetum de ſtemmate nata,
Cui pretioſa dedit notum gemma Unio nomen,
Digna Polo virgo, ſupremo digna Deorum
Conjugio, VOLSI *flammis incenſa* GEORGI,
Moribus egregij Iuvenis, formâque, fideq́,
Connubij firmum fœdus, pactosq́ hymenæos
Exercere velit, placito & ſe jungere lecto.
Hæc ubi cognorunt nuptâ de virgine dicta
Oreades, tacitum pertentant gaudia pectus,
Nec mora, præmittit celſa ad faſtigia montis
Thero Drymen, reliquis ferat hæc ſponſalia Nymphis,
Atque vocet comptas latum ad Pæana canendum,
Munera præterea, manuum figmenta ſuarum,

Digitized by Google

Ferre jubet, niveo peplum candore refulgens:
Et varijs pallam ſignis auroq; rigentem:
Et circumpictum viridi velamen achanto:
Aëriasq; ſuper textas aulæa cupreſſos.
Tum ſimulac reliquæ ſummo de vertice montis
Oreades venêre, oſtro gemmisq; ſuperbæ,
Arte laboratas veſtes, ſua dona ferentes,
Continuò cunctæ redimitæ tempora ſertis
(Najades & Dryades ſimul Oreadesq; ſorores)
Ad ſponſæ celerem moverunt atria greſſum.
Magnifico cernunt inſtructa palatia ſumtu,
Jamq; coruſcantis ſuperarunt limina portæ,
Cum domus interior lato ſplendore refulget,
Aulæisq; nitent circum penetralia pictis;
In queîs virtutes antiquâ ab origine mundi,
Clarorum mirâ variatas arte virorum
Mirantur, cupidè ſpectando Numina ſacra.
Aſt ubi fulcra toris collucent aurea cultis,
Innumeræ hîc ſponſam mares teneræq; puellæ
Stipant, quæ, veluti radianti Cynthia vultu
Vincit longè alias ſtellas, quando orbe recurrit
Pleno, ſic alias formâ ſupereminet omnes;
Parte aliâ ſponſi, juvenumq; virûmq; cohortes
Optato aſſiſtunt lateri, queîs plurima circum
Tempora circumdant flaventes ſerta capillos,
Volſius ante alios formâ pulcherrimus omnes,
Sydereis oculis latum ſpargebat honorem,
His mixti cytharâ dulci fidibusq; canoris,
Cantant Amphion, atque Orpheus, carmine clari,
Pulſantes blando Phœbeos pectine nervos,
His cœtum viſis adeunt, ambosq; ſalutant,
Inq; ſinum ſponſæ pulchræ; ſua munera portant.

Talia

Talia poſt clarâ fuderunt carmine voce.
Sidere quod fauſto ſocialis fœdera lecti
Junxiſtis, toto gratamur pectore vobis,
Nam Jovis hoc opus eſt, ipſi ſunt fœdera curæ,
Certa tori caſti, thalamiq; ſtatuta jugalis,
Juppiter hæc ſanxit ſociæ commercia vitæ,
Cum primâ nitidum fabricaſſet origine mundum.
Vivite concordi felices vivite lecto.
Hinc placet hæc ipſi caſta conjunctio vitæ,
Quæ facit humanæ maneant ut ſemina gentis:
At fœdi graviter flammas condemnat amoris,
Hæc necis, hæc cædis, multorum hæc cauſa malorum
Labes ſola fuit, tantum nec tela, nec hoſtes,
Urbibus unquã obſunt, quantum hæc infanda voluptas:
Vivite concordi felices vivite lecto.
Felix ô Volſi, tædâque beate jugali,
Cùm ſtabili vinclo longè pulcherrima virgo
Jungitur, atque ævum ſoli tibi in omne dicatur,
Quæ veluti ſævæ fugiunt ut tempora brumæ
Floriferoq; ſinum terræ ver gramine pandit
Sic ſuperat formoſa ſui decora omnia cœtus,
Vivite concordi felices vivite lecto.
Hæc tam clara tuæ dotes tibi vincla dederunt,
Nomina non tantum gentis virtute potentis,
Atque opibus, nec avus bellis & pace verendus,
Nec qui ſana tuæ tenuêre jugalia gentis
Eloquio affines clari, jurisq; periti,
Sed magis ingenij & divinæ pectoris artes.
Vivite concordi felices vivite lecto.
O decus eximium, præclaris inclyta donis,
Progenies Nemetum præſtantis in urbe parentis,
Quique fuit lumen grandævi inſigne ſenatus,

Felix,

Felix, ô nimium felix, quam ſolvere Zonâ
Volſius exoptat, quo non formoſior alter
Moribus atque prior, ſacrisve frequentior aris:
Vivite concordi felices vivite lecto.
Eſt tibi præſtanti doctrinâ atque arte Mylaus
Affinis, liquidas qui hauſit Phorcynidos undas,
Cuique dedit docto modulari carmine plectro
Phœbus, Caſtaliæ cepit cum viſere rura:
Illius auxilio ſponſus præclara Thaliæ.
Sacra colet melius, quamvis ſatis ante colebat:
Vivite concordi felices vivite lecto.
Vos Pater æthereus junxit, vos fœdus inire
Impulit, atque pari devinxit pectora amore,
Numina non igitur gravibus vos ſancta periclis
Jactabunt, neque vos funeſtis caſibus actos,
Fata trahent, at jam tranquillam ducere vitam,
Elyſiiq; dabunt tandem læta arva tenere:
Vivite concordi felices vivite lecto.
Quare agite optatos cupidis conjungite amores,
Pectoribus, firmoq; tenete jugalia nexu
Vincula, conjugij communi vivite lecto
Concordes, eadem ſit mens, eademq; voluntas:
Sic ſuperi ſemper connubia veſtra fovebunt,
Perpetuoq; domus curabunt commoda veſtra:
Vivite concordi felices vivite lecto.
Quod ſupereſt pulchrâ faciat vos prole parentes
Sancta Jovis conjux, cui clari ſidera cœli
Lucida, naſcenti tribuent bona cuncta ſuorum,
Candida poſt decimum quàm Luna peregerit orbem.
Luſibus ut recreet vos, & faſtidia pellat
Pectora cum quodam perculſa dolore tumebunt.

EPI-

EPITHALAMIA

In Nuptias

CL. V. NICOLAI CISNERI, ET PRÆSTANTISS. VIRginis ANNAE HARTMANNAE, A. N. V. Hartmanni H. ab Eppingen, El. Pal. Cancellarij F. Anno 1562.

CLARISSIMO VIRO, D. D. NICOlao Ciſnero, Academiæ Heidelbergenſis in Iuridica facultate Profeſſori publico, Domino atque amico perpetua obſervantia colendiſſimo.

TEſtantur palàm omnium ſeculorum judicio, hiſtoriæ veteres ſimul & recentiores paſſim, piam antiquitatem plurimum ſemper momenti poſuiſſe in communibus congratulationibus & votis hominum neceſſitudine conjunctorum. Atque hinc quoque extitiſſe puto pervetuſtum morem, quo bene precantes dextras jungimus, ſi cui inſignem

gnem aliquam fortunam congratulamur. Aſtrinxit autem in Eccleſia filius Dei ſuos ad majorem aliquam piæ congratulationis neceſſitatem ex verâ fide profectam; cum nos congaudere cum gaudentibus, & ſeriò triſtari cum dolentibus vult. Ac debebat ſanè hæc φιλοστοργία non tantùm inter amiciſſimè conjunctos, ſed etiam inter omnes Eccleſiæ Dei cives, ſine omni dolo, fraude aut ſimulatione, perpetua eſſe, quâ in verâ fide invocantes Deum alij alios pijs votis mutuo juvarent, & à Deo gubernationem ac proſperos ſucceſſus expectarent. Hoc nomine ipſe, σὺν ἀνδὶ θεοῦ (ut mihi perſuadeo) conſcripſi nunc in nuptias tuas, vir clariſſime, Epithalamij vice pauciſſimis aliquot verſiculis comprehenſam εὐχὴν, ut ſimul veteris conjunctionis & benevolentiæ erga te meæ ſignificationem aliquam declarem, & piè (ut par eſt) à Deo conjugij Sacroſancti autore, conjunctis votis, unà tecum petam in hoc ſtatu ſalutari gubernationem fœlicem & proſperos ſucceſſus, ſummamq; fœcunditatem ex ſingulari Dei benedicentis favore, quâ ſimul alios poſt te Eccleſiæ Dei cives & pios Deo cultores in omni poſteritate relinquas. Id autem eò majore animi contentione & ſtudio feci, quia olim ſupremo ſtudij Philoſophici honore nos ſimul in hac Academiâ ornatos, perpetuam ſemper & ſanctam unà coluiſſe amicitiam ſcio, in qua etiam pædagogiæ pijs & neceſſarijs laboribus conjuncti fuimus: Nunc autem eundem te mecum piè inchoaturum contracti matrimonij ſtatum omnium ſanctiſſimum, & ſæpè etiam propter Satanæ inſidias

dias

dias laborioſiſſimum cognoſco. Etſi autem mihi minus propitiæ in ſcribendo carmine meæ Muſæ ſunt, minusq; dexter ſpirat Apollo, tamen ſtudium meum & propenſam animi voluntatem tibi non ingratam futuram planè confido. Aeternus pater Domini & liberatoris noſtri Jeſu Chriſti det, ut conjugium iſtud tuum fœlix, fauſtum, fœcundum & maximè ſalutare tibi, patriæ, tuis omnibus, & inprimis Eccleſiæ Dei ſit, Amen.

Vale feliciſſimè.

Tuæ Humanitati de-
ditiſſimus

Joh. Mercurius Morſ-
hemius φιλομαθη-
ματικός.

Epi-

EPITHALAMION.

I Paphiæ Veneris dulciſſime nate, Cupido,
Accenſisq́ novas ignibus adde faces.
Adde novos ſtimulos, celeres age figeſagittas:
Et tacitum ſubiti pignus amoris ale.
Munere namque tuo coaleſcunt corpus in unum,
Quæ jungent dextras, pectora cara duo,
Hic ubi liberior procurrit Nicer in agros,
Et veteris ſignat docta Lycæa Schola.
Scilicet Hartmanni *proles, Hartmannia virgo,*
Te duce, Ciſnero *ſponſa futura datur.*
Nicoleos Annæ *tacito eſt incenſus amore,*
Annaq́; Nicoleon *ardet amore pari.*
Ignibus his ignis ſuperadditus excitat ipſis
Gaudia perpetui non peritura tori.
Quare age, ne ceſſes, Veneris ſunt omnia munus:
Et ſunt auſpicijs omnia cœpta tuis.
Alta Palatini ſub celsâ Principis arce
Conſpicitur viridi picta colore domus,
Hic ubi fit rectâ ſummas aſcenſus in arces,
Proxima quam tiliæ curia juncta videt.
Hæc Ludovice *tuis* Caſtnere *parentibus olim*
Extitit inſignis, nunc tibi tota patet.
Hanc, te pro ſolito, ſuavem viſurus amicum,
Ciſnerus *nuper fortè ſubire parat:*

Sedit

Sedit & ad telas maturis nubilis annis
Virgo pudica, ſoror conjugis, Anna, *decens:*
Protinus & Veneris tu nate Cupido ſequutus
Incipis officij jam memor eſſe tui.
Surgit ad ingreſſum placidè Caſtneria conjunx:
Surgit & Anna ſimul, quoq; pudore decet,
Vtraque Ciſnero mox obvia facta ſalutat
Adventum, dextram datq; benigna ſuam.
Is quoque conſueto reſalutat more viciſſim
Molliter amplexas, colloquioq; levat,
Haud mora tu celeres tacitè proferre ſagittas
Atque ſalutantum figere corda ſoles.
Saucia continuò Ciſneri *pectora vulnus,*
Virginis & pariter ſaucia vulnus alunt.
Neſcit id ipſa ſoror, neſcit Ludovicus id ipſe,
Pectora cara duo quis ſtimularet amor.
Vt ſolitus fuerat, Ludovico ſæpe loquutus
Ciſnerus vultu proditur ipſe ſuo.
Proditur aſpectu placido, vultuq; benigno
Virgo decens: tacitis naribus errat amor.
Colloquium vario mixtum ſermone vagatur,
Atque ſuos ducunt ſeria ſæpe jocos.
Fortè rogat tandem Ludovicus (ut inter amicos
Sæpe ſolet fieri) cur ita ſolus agat?
Tempore cur tanto ſine conjuge tranſigat ævum,
Ciſnerus? ſociam nec ſibi fortè legat.
Quin potius placidam quærat ſibi ſorte puellam,
Dicere cui poſſit, Tu mihi ſola places.

Gratior atque ipſi vix hac vox accidit ulla:
Primos namque dedit, te duce, læta gradus:
Vt tandem optatos ambire liceret amores,
Et ſocios Annæ quærere ſorte toros.
Hinc ſacram dextræ lætis nunc jungere dextram,
Legitimiq́; datur jura parare tori.
Ergo novis iterum ſi cœperis urere flammis
Corda peruſta prius, promptior ibit amor.
Sed quid ego Veneris te differo nate, Cupido,
Quidve moror fruſtrà? nil monitoris eges.
I modò, quò dixi: ſumptis allabere pennis:
Officij dudum ſtat tibi cura tui.
O celerem puerum, volucresq́; Cupidinis alas,
O ſubitas ſixis cum jaculisq́; faces,
Quàm non has ulli facile eſt vitare ſagittas,
Si quid juris in hunc jam ſibi ſumpſit Amor.
Omine vix læto pro votis ora reſolvo,
Aeſtuat & flammis pectus utrumque novis.
Hæc ſedet & tacitè ſubitum meditatur amorem:
Pectoris incenſi vix capit ille modum.
Tam memor officij puer eſt, tam prõptus ad illud,
Impiger abſque morâ protinus arma capit.
Vix datur & tergum tibi vertere ſortè parato,
Et tacitum ſubitò pectora vulnus alunt.
Nunc, Hymenæe, mihi ſimul hic in vota vocãdus
Tu quoque non fictâ relligione venis.
Te ſine legitimi nunquam ſtat gratia lecti,
Nec cuiquam tædæ jure coire licet.
ipſe

Ipſe jubes feſtas primus mox ducere pompas,
Cùm rata ſunt thalami jura ſacrata novi.
Ipſe jubes primus tædas ardere jugales,
Atque novo firmas gaudia læta toro.
Carmina læta canis: præconia debita dicis:
Auſpicijsq; jubes omen ineſſe pijs.
Hæ tibi divino ceſſerunt munere partes,
In thalamis ludit cum genialis amor.
Ergo, age rumpe moras, Hymenæia gaudia miſce:
Quasq; ſoles, præfer protinus ipſe faces.
En, age, quid video procul, & quã pergere pompã? Pompa nuptialis.
Fallor? an hic præſto nunc Hymenæus adeſt?
Tympana rauca ſonant, eſt tibia juncta ſonanti,
Agmine procedunt vir mulierq; ſuo.
Quos tamẽ ordinibus primis, quas dicere poſſim,
Non licet: hæc viſus res fugit una meos.
Ardentes tædæ mediâ ſub luce coruſcant,
Agmina quæ ducunt: ſplendida pompa venit.
Certè nunc propius venientes conſpicor omnes,
Viſaq; nec prorſus falſa fuêre mihi.
Præfert ecce faces Hymenæus amabilis ipſe,
Atque genas circum, totus & ora rubet.
Vtq; decet juvenem, croceo velatus amictu,
Ceu choragus pompæ, primus is eſſe ſolet.
Serta caput cingunt, ſertis frondentibus ille
Conſpicuus flavas cernitur eſſe comas.
Ipſe pater blandæ citharæ mox Phœbus Apollo
Inſequitur cantu dulcia plectra movens.

Ad numerum Charites veſtigia mollia flectunt;
Poſtq́ ducem Clarium compoſuêre gradus.
Cara Iovis ſoboles, hinc turba novena ſororum
Ordinibus ternis juncta decenter adeſt.
Longa puellarum ſeries mox ordine longo
Ponè ſubit, nitidis veſtibus eſtq́ decens.
Ducitur inde viris ſolito pro more duobus
Tam celebris pompæ nobile, ſponſa, decus.
Vtq́ ſolent auro gemmæ lucere coruſco
Sic vultu lepido ſplendida tota nitet.
Gratia non illi formæ, non gratia morum
Illa deeſt, toto corpore ſplendor ineſt.
Poſt ſponſam blandæ complerunt agmina matres,
Ornatu vario comptaq́ quævis adeſt.
N.Ciſner. *Infert ſe medium ſponſus comitatus utrinque:*
Lævũ, Hartmãne, *latus, tu comes alter, habes:*
Dextrum clarus avis equitũ tenet ipſe Magiſter,
Inq́ viris primus ſponſus inire ſolet.
Huic digiti graciles gemmis, auroq́ relucent;
Et decus in toto corpore veſtis habet.
Paul.Ciſn. *Hos ſequitur frater, præſtans & pompa virorum*
Inclyta quos virtus, quos gravis ornat honos.
Inter eos primas affinis uterque tuetur
Conſilijs præſtans, eloquioq́ gravis.
Phil.Halſ. *Doctoris titulis ingens* Haleſius *alter,*
Inclyta cui quondam nupta Sibylla fuit.
Maxima natarum, præſtans Hartmannia proles,
Dignaq́ perpetuæ laudis honore coli.

Alter

Alter Caſtneri *Ludovicus ſtirpe creatus,* L. Caſtner. Cõſiliarij.
Clarus & is latâ, juris honore, togâ,
Quem placidè conjunx complectitur Eliſabetha,
Inter matronas laude ferenda bonas.
Scilicet Ambergæ qui Principis acta gerebat
Nuper, & accitus nunc quoque cuncta juvat,
Atque Palatinam, tecumq; Philippe *perite,*
Conſilijs prudens ornat honore domum.
Succedunt alij proceres, quos dicere cunctos
Longa foret ſeries: laus ſua quenque notat.
Seu virtute bonus, ſeu forſitan arte peritus,
Stemmate ſeu clarus, ſeu pietate gravis.
Quiſque ſuo dignus procedit honore, locumq;
Quem ſors forte tulit, proximus inde tenet.
Succedunt juvenes animis & pectore læti:
His ducibus veluti pompa peracta datur.
Templa petunt omnes: ad ſacram ducitur aram,
Sponſa, ſubit ſponſus, votaq; ſacra facit.
Circumſtant cuncti tacitis applauſibus aram,
Atque pias jungunt in pia vota preces.
O felix Hartmanne *pater, vereq; beatus:* H. Hartman. Elect. Pal. Cancellarius.
Contingit cineres hæc quoque pompa tuos.
Hunc meruit generũ pietas tua, ſummaq; virtus,
Qua cunctis gratus, carus erasq; Deo.
Tu pius in media vixiſti Cæſaris aula
Teſtatus veram relligione fidem:
Conſilijsq; pijs ſummas moderatus habenas
Præ reliquis merita laude ferendus eras.

Tu pius & patriæ tandem revocatus in aulam
Magna Palatini digeris acta Ducis:
Et veterem revocas verâ virtute decorem,
In medioq; viget jus, pietasq; foro.

Religionis, Iuris & Academiæ inſtaurator.

Inprimis capiunt veræ pietatis honorem,
Te monitore, Dei juſſa verenda patris.
Moxq; patent doctæ quoque culta Lycæa palæſtræ,
Atque ſcholæ veteris gratia læta redit.
Legibus in melius tandem reſpublica ſacris
Cogitur, adq; ſuum ſtat revocata decus.
Impia tolluntur de templis ſacra, pijsq;
Inſtauratur honos cultibus ipſe Dei.
Artibus ingenuis iterum florere, virisq;
Inſtitui doctis culta palæſtra ſolet.
Scilicet ad Chriſti ſic dirigis omnia normam,
Qui jubet inprimis quærere regna Patris,
Cætera ſponte ſuis quia dat cultoribus ingens,
Omnia qui nutu dirigit acta, Deus.
Non tulit improbitas Stygij Cacodæmonis illum
Vel florere diu, vel ſupereſſe ſtatum.

Interim. Anno 1549.

Sed nova blaſphemas lex Interimiſtica fraudes
Protinus obtrudit, ſacraq; cuncta novat.
Publica Cæſareâ decreta feruntur ab aulâ,
Pontificisq; minas, heu malè, quiſque timet.
Ipſe pater cœli qui ſummas flectit habenas,
Inſtabiles animos, victaq; corda videt.
Ingratos populos, & pectora neſcia veri
Non ullâ flecti relligione tenet:

Ergo

Ergo ſinit ſubitas mox increbreſcere pœnas,
Vt malè præcipites impius error agat.
Ne videas igitur fatalia tempora triſtis,
Te prius in cœli collocat arce Pater.
Sed tamen ut ſolitæ bonitatis dona rependat,
Pro te poſteritas nomina laudis habet.
Filius inde, velut quoq; factus nominis hæres, H. Hartmanni F.
Artibus ingenuis, conſilijsq; valet.
Atq; Palatinâ celebri deductus ab aulâ,
Iudicij laudes Imperialis habet,
Hic ubi Spira tenet, vetus urbs, cõtermina Rheno,
In Nemetum nitido pinguia culta ſolo.
Dum ſuperes, generum legiſti ſponte Philippum,
Spectatum celebri laudis honore virum:
Gallia quem vidit, quem clarum nomine fecit,
Quæ juris ſtudijs, Itala terra, viget.
Conſilijs totidem quo nunc eſt uſa per annos
Ipſa Palatinæ curia magna domus.
Non minor hoc ipſo gener eſt Caſtneria proles,
Conjuge quo præſtans Eliſabetha manet,
Nunc datur aſcitus divinâ ſorte ſepulto
Nomine Ciſneri *notus ubique gener,*
Nam procul hic Rhodanũ vidit, magnumq; Ga- Ciſneri
Et varios tractus Eridaniq; ſinus. (rumnam, peregrinaitones
Et celebrem latè Tiberino flumine Romam, & laudes.
Et procul Albiacæ docta Lycæa ſcholæ.
Vix aliquis doctus noſtras accedit ad oras,
Cui non Ciſnerus *cognitus antè foret.*

Hoc dedit ingenium, dedit hoc ſapientia legum,
Sacrarum ſolida cognitione potens.
Et qui conjunctus ſtudijs gravioribus illi
Summus in ingenuis artibus uſus ineſt.
Hîc nunc ceu patriæ gratiſſima dona rependit,
Nicrinaq́; fovet docta Lycæa ſcholæ.
Conſilijsq́; levat cauſſas, litesq́; forenſes,
Atque ſuo docta fungitur arte loco.
Tali te meritò felicem tota ſonabit
Poſteritas genero, perpetuoq́; colet.
Namque hæ ſunt plantæ teneræ creſcentis olivæ,
Quas dant Ieſſeæ carmina docta lyræ,
Quas Deus ad menſam tibi creſcere juſſerat olim,
Ceu benedicentis pignora grata Dei.
Sic pater æternus veræ pietatis honorem
Millibus in multis datq́; juvatq́; pijs.
Sis igitur felix: pietas tua durat in ævum,
Defunctoq́; piè germina læta dabit.
Gratulor hunc meritò ſocerum tibi, ſponſe, tuoq́;
Conjugio dignum tempus in omne fero.
Illi ſi vitam Deus, aut ſua fata dediſſent,
Optatus votis jam tibi totus erat.
Nũc decus Hartmãnus *patriũ tibi ſuſcitat ingẽs,*
Nomine qui patrem, qui pietate refert.
Qui ſummis illum quoq́; nunc virtutibus æquat,
Pectore prudenti, conſilijsq́; gravis.
Additur affinis præſtans Haleſius *alter,*
Alter Caſtnero *de genitore ſatus.*

His

His ducibus lætus thalami florentis honorem
Incipias felix, perficiasq́; ſimul.
Hoc tibi conjunctum nobiſcum quiſque precatur,
Hæc tua quem coràm ſplendida pompa capit.
Quin quoque, qui paſſim tibi nunc ſpectator ober-
Auſpicijs optat proſpera quæque tuis. (rat,
Hæc venit à ſummo tibi gratia læta parente,
Quem caſti mores, quem pietasq́; juvat.
Is primus tædas ſanxit, caſtumq́; cubile,
Et ſibi perpetuò juſſit id eſſe ſacrum.
Is quanquam voluit tenera de virgine naſci,
Aeternum natum, pignora cara, ſuum:
Hunc tamen infantem ſolis, pietatis amore,
Conjugibus caſtis credidit ipſe pater.
Quin quoq́; grandævi miracula ſplendida Chriſti
Conjugibus decorant fœdera cœpta novis,
Hic ubi convivam complexa eſt Cana benignum,
In vinum verſas & quoque vidit aquas.
Odit enim vetitos uſus, cæcosq́; furores
Illicitæ Veneris, qui regit aſtra Deus.
Hinc fuit in cineres olim Sodomitica tellus
Verſa, modò fertur Sulphuris eſſe lacus.
Hinc quoque diluvij penitus ſubmerſus in undis
Principiò mundus crimina tetra luit.
In tenuesq́; fuit Troja alta redacta favillas
Olim, nunc tantum nil niſi fama manet.
Ergo pius caſtis cum ſemper moribus uſus
Improba vitaris ſcorta, torosq́; vagos,

Nunc tibi conjugium fælix cum virgine caſtâ
Autor conjugij donat, adeſtq; Deus.
Is dabit, ut pulchrâ faciat te prole parentem
Hæc tua, quam ſponſam nũc legis, Anna brevi.
Et videas natos natorum tempore multo,
Dum numerat canos læta Senectà tuos.
Tu modo, quo decuit, placido complectere amore
Hanc lecti ſociam, perpetuoq; cole.
Sic pater æternus miſcebit tempore longo
Gaudia perpetui non peritura tori.

CAROLI HUGELII HEIDELbergenſis Elegia.

CAndida proveniens tenebris aurora fugatis,
Luciferi roſeos manè reduxit equos:
Poſtq; recurrentes Martis ſacer ordo Ralendas
Attulit optatum, Sole oriente, diem:
Cum procul emicuit celſas mihi viſa per ædes
Nympha, Meduſæo qualis in amne ſedet:
Vitiferos montes ubi tardis flexibus ambit,
Et ſecat irriguo flumine prata Nicer,
Cœruleus Nicer, & Phœbo gratiſſimus amnis,
Cærula ſi magnum flumina numen habent.
Hîc ego candoremq; novum, formamq; ſerenam
Virginis attento pectore ſuſpiciens,
Jam ſuaves oculos, animum jam ſpecto beatum,
Brachiaq; algenti candidiora nive.
Deficio cernens, avidæ ſed lumina mentis
Aſpectu poſſum vix ſatiare meo.

Nam

Nam gemmis evinćta comas, evinćta lacertos,
Prodijt aurato conſpicienda ſinu.
Et pietas, & ſermo decens, & nubilis ætas
Cognatas violis auxit honore genas:
Quale per obliqui radiantia ſidera cœli
Spargit Apollineum Cynthia plena jubar:
Vel roſa quam Tyrijs natura coloribus ornat,
Cum fœcunda ſuas terra miniſtrat opes.
Et licet innatum Boreas detraxit honorem
Floribus, & viduis fertile gramen agris;
Hæc tamen implicitas vario de flore corollas
Nećtit amatori, Cypridis arte, ſuo.
Dulcia crediderim ridentis ad ora puellæ
Purpureos flores explicuiſſe ſinus.
Qualiter in Libycâ pugnax Antæus arenâ
Deficiens, taćtâ ſæpè revixit humo.
Fortunatus erit, cui Divis æmula virgo
Colligat auratis florida ſerta comis.
Et, ſeu compulerint dubiam præſagia mentem,
Seu mea fatidicus moverit ora Deus,
Inclyta Romani *Ciſnerus* gloria juris,
Dicebam, tanto munere dignus erit.
Vix ea fatus eram, cum tu comitatus amicis,
Quos amor & pietas quos tibi junxit, ades.
Et tibi virgineæ decus immortale coronæ
Exhibuit flores in tua dona ſuos.
Roſmarin, & nardum, violas, molleſq; hyacinthos,
Et mentham, & tenui lilia mixta croco.
Salve quo multos ſub præceptore per annos
Romuleæ didici grandia jura ſcholæ.
Dum venit in mentem gravitas, qua nećtaris inſtar
Verba Pericleo fundis honora ſono;

Non

Non poſſum non fata tibi tranquilla precari,
Et luſus thalamo deliciasq; tuo.
Hos igitur vernos, Heliconia munera, flores
Dedicat ex toto *Carolus* eſſe tibi.
Aurea ſi magni ſupereſſet vena *Micylli*,
Hauſiſti doctos cujus ab ore modos:
Si non dulce caput, & Apollinis arte potentem,
Et tinctum Clario nectare *Lotichium*;
Si non illuſtri præſtantem laude *Sabinum*
Aſpera Lethææ ripa tuliſſet aquæ:
Carmina nunc thalamo cantarent, qualia Phœbus
Integrat, aut moriens qualia cantat olor.
Hoc labor, hoc juſtis mens ſancta exercita factis
Poſtulat, & cœli nota ſub axe fides.
Quot precor es varijs Fortunæ caſibus actus,
Dum procul à patria ſede remotus agis?
Itinera Ciſneri. Quà Rhodanum, validas ubi præterlabitur urbes,
Longinquus tumidis fluctibus auget Arar.
Quáve ſuſurrantes Ligeris dictabat ad undas
Iura Quirinalis *Burgius* æqua fori:
Annas Burgius martyr Lutetia Anno 1559. *Burgius* immeritæ qui mortis fata paciſci
Pro ſancto Chriſti nomine promptus erat.
Belligeras inter populoſa Lutetia Gallas
Vidit honoratis te dare verba viris.
Flumina feſtino mirantur Avarica curſu
Ambiguos legum te didiciſſe locos,
Cum ſacer interpres primas *Duarenus* habebat,
Cujaci venia, pace *Donelle* tua.
Ardua qui colitis magni præcepta Solonis,
Qui veterum legitis grandia geſta ducum.
Aerumnæ triſtes & acerba pericula vitæ
Ah quoties tecto ſunt tibi ſtructa dolo?

Dum

Dum celer ad Venetas medijs in fluctibus arces
Trajicis inſuetis æquora ſalſa vijs:
Dum Latij monumenta vides, ubi Felſina mater
Texit in Aemilijs laurea ſerta jugis.
Atque Theodoſij quondam prudentia regis
Ocia Pierijs fecit amœna Deis.
Te coluit medijs pater Appenninus in aſtris,
Projicit ardentes quà, velut Aetna, faces.
Et Lucanus ager, Latio qui ſolus in orbe
Culmina Germani ſuſpicit imperij.
Quaq; poteus armis, Capitoli immobile ſaxum
Tybridis ad puras *Roma* ſalutat aquas.
Roma caput mundi, cæcis ſed merſa tenebris
Quæ colit amiſſo numina ficta Deo.
Si taceo Senas, veteris ſi mœnia Piſæ,
Quæ tibi purpureo cinxit honore caput.
Ut nova perpetuum ſurgat menſura per ævum
Gloria, quæ cineres excubet ante tuos.
Iam pretium curſus, jam quæ ſperare ſolebas
Præmia ſuſcepti digna labo is habes.
Vade, nec invideo, veris decerpere florem,
Nec tua ſollicitus vota moretur amor.
Salve, *Hartmanne*, novæ decus & laus unica ſponſæ,
Nil equidem magno tu genitore minor.
Te celebrant amplo ſubſellia trita ſenatu,
Iugera quà Nemetum Rhenus aquoſa ſecat.
Atque nec immeritò. quid enim non alta meretur
Nobilitas animi nobilitasq; domus?
Salve Cecropijs *Heyleſi* ornate Camœnis,
Gratia cui docto ſemper in ore ſedet.
Te ſublime decus patriæ veneratur, & aulæ
Publica conſilijs dirigit acta tuis.

Magna-

Frideric. III. Elect. Palatin.

Magnanimus Princeps, quo vix prudentiór alter
  Culta Palatini venit in arva ſoli.
Salve quem perſtans animo, Caſtnere, voluntas
  Ornat, & in dubijs gloria rebus amat.
Ille pater patriæ, vicinas qui regit urbes,
  Te quoque conſilijs juſſit adeſſe ſuis.
Nate vir ad curas, ad magnos nate labores,
  Perpetuum nomen cura laborq; parit.
Vos etiam doctos jubeo ſalvere ſodales,
  Quorum nec facies, nec mihi nota fides.
Eja age: quantus honor pretioſo ſplendet amictu,
  Virginei veniunt lumina prima chori.
Arte potens Dryope, vultu nitidiſſima Glauce,
  Claudia, Callirhoe, Nais, Hyæra, Sao:
Quas ſincerus amor, quas inculpata voluptas,
  Quas ſequitur concors gratia, nuda Fides.
O fortunati, quorum ſuccedere tectis
  Non renuit felix & veneranda cohors.
Me quoque felicem, cui non fucata puella
  Intacto voluit cingere flore comam.
Cernis ut erubuit, tectiq; expreſſa caloris
  Signa, refulgenti molliter ore dedit.
Hanc ego per gelidos montes & inhoſpita teſqua,
  Si votis aderit Cypria diva, ſequar.
Sponſa ſed ornatas templi procedit ad ædes,
  Nos ſanctum ſanctâ mente ſequamur iter.
Fallor? an hîc ſponſus, ſuperis in dicta vocatis,
  Confirmat thalami, quam dedit antè, fidem.
Et pius exponens cœleſtia verba ſacerdos,
  Fœdera commendat ſanctaq; jura thori.
Plaudite, nunc epulæ veniunt, nunc ilicet adſunt
  Gaudia, concentus, jubila, Muſa, chori.

Conti-

Continuant alij lætæ convivia menſæ,
Et riſu & fando tempora longa terunt.
In ſaltus alij juvenilia corpora librant,
Et juvat ad cytharæ ſubſiluiſſe ſonum.
Omnia lætantur, cœlumq; tepentibus Euris
Mulcet ab aërijs ſparſilis aura jugis.
Et quibus in cœlo ſuperûm datur ora tueri
Majores animi ſigna dedere ſui.
Dicite felices animæ, caſtiq; parentes,
Ecquis in ætherea jubilet arce ſenex?
Succeſſus equidem dulces, & fata ſuorum
In cœlis animas credo videre pias.
Sic eſt, præ reliquis ſinceræ gaudia mentis
Hartmannus magnos explicat ante Deos.
Nobilis *Hartmannus*, cui candor & ardua virtus
Illuſtrem ſupera ceſſit in æde locum: *Hartmannus ab Eppingen.*
Atque per æternos ævi venientis honores
Conveniens meritis nomen in orbe dedit.
Non blandæ Veneres, non mitis pocula Bacchi
Flectere delicijs hunc potuere ſuis:
Donec honorati per ſaxa rigentia Pindi
Egregiæ potuit ſcandere laudis iter.
Dum pater imperij, nomen qui pacis amabat,
In ſtabili juſtas pace regebat opes:
Ut voluit ſacras iterum florere per ædes,
Verba redemptoris non violanda ſui:
Hoc duce tractavit non parva negocia regni;
Sive domi fuerant, ſive gerenda foris.
Clara per Auſoniæ dum floruit oppida ſedis
Magnus & à magnis *Carolus* ortus avis. *Carol. V.*
Hujus conſilio jam triſtia bella diremit,
Regia jam populo ſanctaq; jura dedit.

O ve-

O venerande ſenex, cœlorum ſede relicta
  Si daret hac vitæ munera luce Deus:
Oſcula nunc genero, nunc oſcula dulcia natæ,
  Lætitia fletus excutiente, dares.
Sed quid ego hæc? toto nox incubat humida cœlo,
  Frigidus obſcuro lumine veſper adeſt.
Veſper adeſt, Hymenæe veni, neu gaudia differ,
  Caſta verecundo pectora necte iugo.
Dicite Pierides, vobis ſunt omnia nota,
  Candida felici dicite fata thoro.
Ludite Pierides, & amabile texite carmen,
  Veſper amat luſus, carmine gaudet Hymen.
Felix ſponſe, ſuis quem virgo amplectitur ulnis,
  Et reſona carum voce ſalutat herum.
Cui dicit, Mea lux, & amicæ gloria vitæ,
  Delitiæ, cultus, cor, roſa, lumen, onyx.
Te naſcente, novi felicia ſidera partus
  Præſcia coniugii credo fuiſſe tui.
Iuppiter Eoo cœli formoſus in ortu
  Omnibus utilium rebus abundat opum.
Phœbus, cui dexter magni Iovis aſtitit ales,
  Oppoſita Lunæ vidit in æde boves.
Occultum crepuit lætis applauſibus omen,
  Riſit & ad cunas regia celſa tuas.
Et vitam, dulceſque thoros, lætoſque Hymenæos,
  Pollicita eſt medio ſuavis ab axe Venus.
Hæc cœlum tibi ſigna dedit. quis ſidera falſi
  Arguat, aut magni numina ſancta poli?
Hymen ades, Hymenæe, Hymē, quid gaudia differs?
  Te chorus & thyaſi, te nova ſponſa vocat.
O nimium felix tam docto ſponſa marito,
  Vives in multis ſecula cana roſis,

Ac

Ac ſimul adveniet conceſſi terminus ævi,
Hanc licet ad manes ſpem tibi ferre pios:
Quod placida longos creſcent in pace per annos
Dulcia de veſtro pignora nata thoro.
Nam velut in ſylvis deciſa regerminat arbor,
Populus & varias explicat alta comas:
Sic clarum docti ſoboles ventura parentis
Extendet longa poſteritate genus.
Hymen ades, Hymenæe, Hymē, quid gaudia differs?
Te chorus & thyaſi, te nova ſponſa vocat.
Ut teneros fœtus ramo Philomela ſub alto
Educat, & feſſo comparat ore cibum.
Hi poſtquam levibus librant ſua corpora pennis
Deſtituunt matris dulcia roſtra ſuæ:
Sic mollem puerum gremio fovet anxia mater,
Dum colit in tepido membra tenella ſinu.
Ille ſed expletis vitæ puerilibus annis,
Negligit antiquos, victus amore, Lares.
Non illum genitoris honor, non oſcula matris,
Non juvat artifici texta corona manu.
Non ſocios curat, ſed deſpicit omnia, ſecum
Unanimem vitam ni ſua vita trahat.
Hymen ades, Hymenæe, Hymē, quid gaudia differs?
Te chorus & thyaſi, te nova ſponſa vocat.
Ut tener in culto qui creſcit amaracus horto
Sæpè manu colitur, ſæpè rigatur aqua.
Aura recens folijs blanditur, & erigit illum
Rore novo quoties frigida gutta cadit.
Ac ſimul ut flores & dulcem gignit odorem,
Carpitur, & Domini gaudet ab ungue teri:
Sic tenera in claras dum filia naſcitur auras,
Sæpè ſinu matris, ſæpè fovetur ope.

Hanc pudor & probitas ornant, maternaq; juſſa
Erudiunt, vitæ dum nova cura ſubit.
Sed poſtquam virides ætatis contigit annos,
Poma vir injecta carpit odora manu.
Vendicat & ſibi jure ſuam, thalamoq; potitus
Ambroſio refici conjugis ore cupit.
Hymen ades, Hymenæe, Hymen iterate puellæ,
Cecropius decorat verba iterata lepor.
Dicimus ô Hymen, quid amantum vota moraris?
Dulcior auſpicijs ſit nova tæda tuis.
Hactenus hæc: Hymenæus adeſt, jam claudite poſtes,
Compoſitos intrat nubilis Anna thoros.
Stet promiſſa fides thalami incorrupta, nec unquã
Caſta peregrinus fœdera lædat amor.
Et vitium cœli, quamvis vel Sirius ardens
Ante venenati fulgeat ora canis:
Et dolor, & luctus, & quicquid triſte timemus,
Exulet à veſtra tempus in omne domo.
Intybus & Zephyris ſpirantibus aurea vobis
Proveniant Gnydiæ lilia dona Deæ:
Dulcibus alloquijs lætas traducite noctes,
Omnis eat felix, & ſine nube dies.
Fortunentur opes, & jam felicibus annis
Tranſigat auſpicijs quod benè cœpit iter.
Et pudor, & caſto gaudens concordia lecto,
Iungat Oreſtæa pectora juſta fide.
Sic faveat ſummi decus admirabile cœli,
Et Charitum thalamo dona beata fluant.
Sic precor eveniat. ſed jam micat arduus æther,
Auguror hæc nutus ſigna dediſſe Iovem.

IN

IN EASDEM NUPTIAS GEORGII OSTERMARII Coronenſis Epigramma.

Ardua conſuevit myſteria pandere juris
Ciſnerus, *docte gloria prima ſchole.*
Nec non Anna decens vultu probitate, fideq́,
Præ reliquis tanquam lucida gemma micat.
Hos modò conjunxit caſtis Venus aurea tædis,
Magnus ineſt caſto ſplendor honosq́; thoro.
Anna virum decorat, decorat vir amabilis Annam,
Quilibet ô quantum ſertq́; refertq́; decus.

JOHANNIS MARTINI HUberi Baſilienſis Elegia.

HOc mihi dicenti cuperem contingere venam
Tempore, Naſo tuam, ſive Sabine tuam:
Maxime quo tædas celebras *Ciſnere* jugales,
Inq́; tuum ſcandit ſponſa novella torum.
Sponſa verecundas inter pulcherrima Nymphas,
Quas Nicer & curvo littore Rhenus alit.
Eja age Phœbe pater vatum, materq́; Minerva,
Pegaſei ſacras linquite fontis aquas.
Sumite lætitiæ veſtes, citharamq́; canoram:
Ambiat ambroſias laurus odora comas.
Dicite *Ciſnero* nova carmina, dicite nuptæ:
Non alio poterunt dignius ore cani.
Vos quoque, Pierides caſtiſſima turba, venite:
Hæc veſtris lux eſt concelebranda modis.

Quâ ducit vates formâ excellente puellam,
Legitimiq; cupit fœdus inire tori.
Vates Mæonios verſus cantare peritus,
Muta quibus traxit, mœnia, ſaxa, feras.
Extulit & veſtras docto modulamine laudes,
Clara Palatinæ ſtant ubi tecta ſcholæ.
Et Nicer umbroſas inter decurrere valles
Deſinit, ac Rheni limpidus auget aquas.
Hunc Padus, Eridanus, tardis & flexibus Arnus
Audijt Aoniæ tangere plectra lyræ:
Sequana frugiferos quà præterlabitur agros
Attonita illius carmine ſæpe ſtetit.
Huic Liger & Rhodanus mulcenti dulcibus auras
Verſibus, ornarunt fronde virente caput.
Ergo agite hoc ſacri feſtum celebrate poetæ,
Stringite dulciſonæ conſona fila lyræ.
Optet ut amborum ſocialibus omina tædis,
Fauſta, maritalis ſurgat honore fides.
Ferte animos hilares, habitumq; dolentibus aptum
Ponite, nemo iſto tempore triſtis erit.
Ferte novæ nuptæ plenis & dona caniſtris,
Huc vacuâ quenquam dedecet ire manu.
Qualia conſorti memini vos ferre Sabino,
Hîc ubi cæruleis Albis oberrat aquis.
Purpureas violas, precioſa monilia, gemmas,
Sertaq; virgineas implicitura comas.
Tu Themi præcipue, juſti pia mater, & æqui,
Ad ſacra cultoris feſta venito tui.
Quod fuit Auſoniâ tibi Papinianus in urbe,
Hoc tibi Ciſnerus tempore noſter erit.
Cujus honoratâ cinxiſti tempora lauro,
Ferret ut oppreſſis civibus æquus opem.

Cuſto-

Cuſtodire feros homines & cogeret, omne
  Quod ſacra relligio, jusq; piumq; docent.
Pellere & illicitos è pectore Cypridis ignes
  Fortiter, hoc alios quod monet, ecce facit.
Conſortemq; ſibi quærit. Quare iſta cubilis,
  Eſſe tibi curæ vincula honeſta doce.
Alma veni Pietas, tuq; ô Concordia felix,
  Queis ſine nulla diu fœdera ſtare queunt,
Cincta roſis crines & vecta Cupidine cæco
  Huc quoque ſuſcipias mater amoris iter.
Te ſine non cupidi bene conjunguntur amantes,
  Te ſine percipiunt gaudia nulla tori.
Tu facis ut caram juvenis, juvenemq; puella
  In gremio nudam nudus & ipſe premat.
Planus & intumeat jucundo pondere venter,
  Unde fit ingenuæ prolis uterq; parens.
Prome faces igitur, pueriq; accende ſagittas:
  Hæc decet officium res Cytheræa tuum.
Urat ut immodicis amborum pectora flammis,
  Et jaculis penetret viſcera cuncta ſuis.
Gnara laborantes utero Lucina puellas
  Solvere, fer celeres huc, rogo, Diva pedes.
Munera nec violas, ut cætera turba Deorum,
  Nexaq; odorato germine ſerta, feras.
Non Tyrias etiam veſtes, gemmasq; micantes,
  Eſt ornata quibus ſponſa pudica prius.
Affer at auxilium, veniet cum tempus, ut edat
  In lucem fœtus molliter ipſa ſuos.
Sentiat & nullos tumido ſub ventre dolores
  Obſequium hoc vincet cætera dona Deum.
O Hymenæe pater caſto præfecte cubili,
  Tu mihi ſupremâ voce vocande ades.

Non bene te invito panguntur fœdera lecti,
Non bene ad extremum te ſine durat amor.
Incipit & pueri languere Cupidinis arcus:
Si tua non præſens fax Hymenæe fiet.
Primus enim agreſtes homines,& rura colentes
Ire coëgiſti cum pare ubique ſuâ.
Néve vagabundis fruerentur amoribus, omnes
Subdere conjugij libera colla jugo.
Quare age ſume faces,geniali tempora ſerto
Cinge, nec his ſacris hoſpes abeſſe velis.
Undique ſplendeſcat tædis ardentibus aula,
Sed cave ne in thalamo lampades igne micent.
Nempe verecundis lux eſt ingrata puellis,
Quæ ſua ſollicito membra pudore tegunt.
Luna ſoporiferas ubi gignere cæperit umbras
Noctis, & incipient cuncta ſilere, veni.
Sponſus ut accipiat ſperatæ gaudia vitæ,
Qui grave trajecto pectore vulnus alit:
Nec dape, nec vino potis eſt compeſcere flammas,
Sed queritur tardè ſaucius ire diem.
Eripe virgineis immixtam cœtibus, atque
Hunc ſterilem dicas, *Anna* relinque gregem.
Anna Iovi ſummo digniſſima nubere, ſi non
Ciſnera ſtabili lege dicata fores.
Pone metum, virides capiti nec deme coronas,
Nec fruſtrà lachrymis ora ſerena riga.
Non ego te levibus cupio raptare quadrigis;
Conjugis in molles ibis, easq; ſinus.
Gaudia tot capies ubi formoſiſſima virgo,
Clara quot ætherea ſidera in axe vides.
Somne papaveribus circundate tempora rubris,
Corpora qui multo feſſa labore foves,

Parce

Parce precor ſponſo ſomni turbare quietem,
  Lumina ne illius victa ſopore cadant.
Prima novis etenim lux eſt vigilanda maritis,
  Turpe foret claram ſtertere ad uſq; diem.
Illius immodicus jubeas ſopor occupet artus,
  Tempore quem longo torquet iniqua febris,
Aut premit horribili nodoſa podagra dolore,
  Pæoniâ nunquam quæ relevatur ope.
Dormiat, & totis requieſcat noctibus ille,
  Conſcia cui magnum pectora crimen edit.
Eſſe quid hoc dicam? cœlo meliore relicto
  Huc, niſi me fallunt lumina, Apollo venit.
Forſitan hauſerunt noſtras pia numina voces,
  His cupiunt feſtis inter & eſſe ſacris.
Dum loquor, approperant omnes, Hymenæaq; ducunt,
  Atque ita: Sis felix, ſponſe beate, canunt.
Edita nobilibus formoſa parentibus Anna,
  Cum caro Pylios conjuge vive dies.
Veſtra columbarum referat concordia vitam,
  Sic veſter certo fine carebit amor.
Dilige conſtanter junctam tibi fœdere lecti
  Sponſe, nec alterius gaudia noſſe velis.
Sic tibi divitias plenis fortuna quadrigis
  Afferet, & nullo tempore triſtis eris.
Cumq; decem tecum menſes compleverit illa
  Te faciat pulchrâ fœmina prole patrem.
Nec prius hinc etiam migretis ad æthera, claudat
  Nomine quam vario lumina veſtra nepos.
Hæc, & plura Deæ jucundâ voce canebant,
  Addebant verbis donaq; multa ſuis.
Tu Deus omnipotens, cui ſunt connubia curæ,
  Et caſtam peſſum non ſinis ire domum:

Annue, ſis præſens hujus conviva diei,
Hæc ſunt in votis maxima penè meis.

JACOBI SECHELII WEISſenburg. Elegia.

FOrtè ſuburbani dum me ſpectacula ruris,
Venturiq́ juvat cernere veris opes:
Obvia cum puero jucundi mater Amoris
Fit mihi, non ullis antea viſa modis.
Arguit eſſe Deam facies, ſplendorq́ decusq́,
Et qui ſtillabat gratus ab ore vapor.
Candida veſtis erat, conchâ ſuffecta rubenti,
Cingebant croceas myrtea ſerta comas.
Ambroſiam, nectarq́ caput ſpirabat odore,
Totum complebat Diva benigna locum.
Cum cygnis Paphiæ currum traxère columbæ,
Dux puer ille gerens aurea tela fuit.
Claudebant Dryadesq́ latus, Fauniq́ bicornes,
Miſcentes teneris lilia cana roſis.
Ponè ſequebantur Charites, Pax alma, Fidesq́,
Et Pudor, & croceâ veſte recinctus Hymen.
Obſtupui, penitus fugit de pectore ſanguis,
Deq́ meo gelidus corpore ſudor ijt.
Accedit propius, verbis ſolatur amicis,
Porrigit & ſerto granula dempta ſuo.
Priſtinus ille vigor redijt, mentemq́ recepi,
Et videor tales ore dediſſe ſonos:

Des

Des veniam quæcunque Dea es, Erycina videris,
Aſt oculos geſtat cur puer ille ſuos?
Reddidit illa, Brevi cauſam ſermone notabo,
Cur puero dederint lumina fata meo.
Non ego ſum talis, qualis pleriſque videtur,
Corpora quæ vetito jungit amore, Venus.
Quæ varios motus, quæ tot diſcrimina pandit,
Sæpè facit cædes, ſæpè venena parat.
At mea legitimo proles facit omnia curſu,
Omnia conſilio, judicioq; facit.
Iuppiter hinc oculis merito dotavit utriſque,
Et juſſit licitâ corda ferire face.
Ille alter Stygias habitat cum matre paludes,
Inſano fieri quæque furore jubet.
Quò mentisq; trahit maleſanus ducitur error,
Hinc obvelatum ſindone lumen habet.
Me ſuperi gnatumq; fovent ſedesq; beatæ,
Et venimus ſummo non niſi dante Deo.
Chara Venus, jucunda Venus, Venus aurea dixi,
Quæ loca Diva petis? quæ tibi cauſa viæ?
Adveni ſubitò celeres delapſa per auras,
Inquit, & à ſummo nuncia miſſa Iove.
Eſt locus, aërio quo ſurgunt culmine montes,
Ad vitreas Nicri prætereuntis aquas:
Quem quia jam tetigi certo pede, juſſa capeſſam,
Exſequar & magni dicta verenda Dei.
An non hic Ciſnerus *agit, celeberrima juris*
Gloria, Pierij fama decusq; ſoli:

Pectora cui Grajis, Latijsq́ referta Camœnis,
Audet qui magno cum Cicerone loqui?
Sic eſt: hunc dulci ſum juſſa ligare capiſtro,
Huic ego nunc thalamum, munera læta, paro.
Si ſponſæ quæris faciem, moresq́ genusq́:
Haudquaquam vili de genitore ſata eſt.
Sed qui conſiliis, & rerum polluit uſu,
Sed benè cui nomen vita peracta dedit.
Magna Palatini coluit quem Principis aula,
Et voluit ſummos inter habere viros.
Plura ſed emeritus, veluti poſt claſſica miles,
Nunc rude donatus, aſtra Deumq́ videt.
Filius at patrias felix ſucceſſit in artes,
Et magnum majus reddere ſtemma cupit.
Si faciem: facie veteres heroïdas æquat,
Membra nec ornatu ſtant viduata ſuo.
Crinibus auroram, vultu, roſeisq́ labellis
Me Venerem, pedibus te Thetys alma refert.
Vita pia eſt, placidi ſunt & ſine crimine mores,
Digna ſuo vivit conjuge, digna patre.
Hæc illa, & Satyris abijt clamantibus Evæ,
Concinuit dulci gutture dulcis amor.
O nimium felix, ô terq́ quaterq́ beate,
Ad cujus veniunt numina tanta lares.
Det Deus, ut maneăt hæc gaudia tempus in omne,
Et videas liciti pignora grata tori.
Fallor? an huic facili voto Deus annuit aure,
Et voluit noſtras pondus habere preces?

ZACHA-

ZACHARIÆ WAGNERI
URATISLAVIENSIS
Elegia.

ALtius igniferum quando rimamur Olympum,
 Viſus & in cœli culmina noſter abit.
Miramur roſeo cur ſe lux fundat ab ortu,
 Rurſus & obſcuret nox tenebroſa polum.
Cur tonet, & pluvio deſcendat Juppiter imbri,
 Et cur colliſis nubibus aura ſonet.
At quotus eſt, tanto reputet qui pectore ſecum
 Quantus ſit lecti connubialis honos?
Cur Deus in carnem duo corpora junxerit unam,
 In quibus alternus debeat eſſe calor.
Hic ſacer eſt nexus, qui ſecula cuncta propagat,
 Et ſervat generis ſemina certa ſui.
Dudum non ullos habuiſſet terra colonos,
 Et mundi facies eſſet inane chaos.
Si non ſanxiſſet Deus alti rector Olympi,
 Eſſent ut ſocij vincula caſta tori.
Illa ſed (hei dirum) contemnunt vincula multi,
 Et vitâ cupiunt liberiore frui.
Quâ ſe, quâ perdunt crudeli funere gentes,
 Et manibus rapiunt ignea tela Dei.
Sentimus triſtes ultrici turbine pœnas,
 Sæpius & gemitus pectora noſtra ferit.
Nolumus at tantæ cauſſas perpendere cladis,
 Hoc ad opus lentos nos ſopor altus habet.
Hîc ubi debebat juſtæ ſapientia mentis
 Et caput & vires exeruiſſe ſuas,

Nil

Nil valet & radijs ſub lucis cæca laborat,
Et præfert ſolidis ludicra cæca bonis.
Sit quamvis mundus cœleſtibus obrutus undis,
Cùm pœnas ſcelerum pro gravitate luit.
Atra tamen peſtis vitiorum creſcit in horas,
Regnat, & in culmos ſurgit adulta ſuos.
At quæ ſtelliferæ virtus nos inſerit aulæ,
Et facit in ſuperûm vivere poſſe domo.
Dic ubi terrarum firmos ſit nacta Penates,
Et trahat optatæ tempora læta moræ?
Virtutis vix eſt nobis levis umbra ſuperſtes,
Si quid & hâc aliud vel minus eſſe queat.
Spernuntur duro cœleſtia numina corde,
Dantur & æternis munera rara focis.
Currimus ardentes ad fœda Cupidinis arma,
Quæ paſſim ludens obvia mittit amor.
Præſtabat longè turpem ſpreviſſe Dionem,
Puraq; legitimo membra tenere toro.
Quem Deus inſtituens præſenti numine ſervat,
Et cui grande ſui monſtrat amoris opus.
Non hunc evertit Stygij vis effera Ditis,
Hunc contra quamvis ſæviat uſque ferox.
Quis numerare poteſt radiantia lumina cœli?
Et guttas pluviæ quis numerabit aquæ?
Haud aliter caſto ſoboles prognata cubili,
Creſcit per ſeriem non numeranda ſuam.
Si quis es, & noſtris dubitas accedere verbis,
Inſpice per ſacros ſcripta beata libros.
In quibus invenies venerandæ mentis Abraham,
Et quem debebat dextra necare patris.
In quibus invenies numeroſæ ſtirpis Iacob
Bis numero ſenos aſtra videre patres.

Omnia

Omnia finge tibi per amœnum gaudia mundum,
Finge tibi quæ dat munera pinguis humus.
Si peritura putes, ut ſunt, miranda ſequaris
Verba Dei, & vinces divitis æra Midæ.
Sin mandata Dei ventoſo pectore temnas,
Quid tua quid valeat gloria vana, vide.
Ad ventum veluti paleæ jactantur inanes,
Sic tu, ſic pereunt quæ tibi mente ſedent.
Pectora caſta Deus vultu dignatur amico,
Impuris durus mentibus eſſe ſolet.
Ergo tibi tantos meritò gratamur honores,
O decus, ô generis ſplendida fama tui.
O jubar, ô noſtri radians & gemma Lycæi
Ciſnere: Aonijs nec leve nomen aquis.
Qui tibi conjungis præclaro ſtemmate Nympham,
Et thalami liciti jura verenda ſubis.
Nam tua cùm ſentis torqueri viſcera flammis,
Et tibi ſollicito pectore regnet amor:
Ne qua tuam lâbes famam denigret honeſtam,
Privatoq; graves publica damna malo.
Eligis è multis, cum quâ cupis eſſe, puellam,
Et trahere optati gaudia conjugij.
Ferreus heu, qui non caſto torquetur amore,
Ex animo nec ait: Tu mihi ſola places.
Cognatos Deus immiſit ſub pectora motus,
Quos voluit flammæ ſigna referre ſuæ.
Is genus humanum magno complexus amore,
Clementis nomen mite parentis habet.
Cùm nos incluſos Stygis atra vorago teneret,
Et noſtrum peteret dira Megara caput.
Sidereis gnatum dilectum miſit ab oris,
Flebile qui mundi tergore ferret onus.

Fert

Digitized by Google

Fert onus, & mortē dum morte retundit atrocem,
Amiſſæ reparat dulce ſalutis opus.
Tantæ molis erat ſponſam defendere charam,
Fallere quam ſerpens fraudibus auſus erat.
Sint alij, veneranda tori dum fœdera ſpernunt,
In genus obſcœnæ Cypridos omne ruant.
Te pius urat amor licito Ciſnere calore,
Quem jus naturæ, quem Deus ipſe probat.
Quid ſibi turba cupit? procedit in agmine virgo,
Quam reor eximij ſtemmatis eſſe genus.
Quis pater illius? ſi quid potes incipe Muſa.
Hæc ego. ſubridens mox ita Muſa refert:
Quam modò ſidereo flagrantem lumine Nymphā
Conſpicis, Hartmanno de patre nata fuit.
Eloquio vir erat præſtans, vir voce diſertus,
Ingenio clarus, conſilioq; bonus.
Carolus illius linguam miratus & ora,
Hunc dignum mentis duxit amore ſuæ.
Vix ſic detinuit Latias Hortenſius aures,
Effudit vocis flumina quando ſuæ.
Alta Palatini ſe jactat Principis aula,
Conſilio tanti quòd fuit uſa viri.
Omnia quantumvis pereant rubigine læſa,
Hic tamen egregium ſub Iove nomen habet.
Reſtat adhuc cultus facundi filius oris
In ſe qui patris nomina clara refert;
Acer, & ingenij non ulli laude ſecundus,
Dicit in Auguſto publica jura foro.
Tres pariter formâ natas præſtante reliquit,
Cùm moriens rutili ſcanderet aſtra throni,
Quarum prima fuit thalamo ſociata Philippi
Haleſij, eximijs prædita virgo bonis.

Qui

Qui quoniam eſt rerum longo informatus ab uſu,
  Novit & in docto dicere jura foro:
Conſilijs adſtat Præclari Principis aulæ,
  Culta Palatini qui regit arva ſoli.
O fatum durum, ſors ô malefida ſororum,
  Ante dies juſtos uxor amata cadit!
Quæ potuit vitam multos extendere in annos,
  Et ſobole innumerâ multiplicare domum.
Altera Caſtnero fauſto conjuncta cubili,
  Mutua tranquillæ tempora pacis agunt.
Hic quoque conſilijs pollens, & lacteus ore,
  Principis illuſtri nomen in arce tenet.
Tertia Ciſnero jam primos tradet amores,
  Florida cui læti tempora veris erunt.
Eminet hæc alias inter pulcherrima Nymphas,
  Inter ut æthereas candida Luna faces.
Dij precor, attingant canos feliciter annos,
  Et patris hic, nomen matris at illa ferat.
Talibus obticuit, roſeisq; per aëra pennis
  Vecta ſubit Cirrhæ candida Muſa nemus.
Anna tuam verſu quo formam tollere poſſum,
  Num par ſum formæ laudibus ipſe tuæ?
Vix tibi priſca parem viderunt ſecula Nympham,
  Nec fluit ingenij vena benigna mei.
Una tenes Veneris pulchros ſplendentis ocellos,
  Inſidet & teneris gratia blanda genis.
Tu Latonigenæ mores edocta pudicos,
  Ingenuæ mentem ſimplicitatis habes.
Frons tua cum ſtellis flammantibus æmula certat,
  Frons tua purpureo plena pudore nitet.
Oris labra tui flaventia lilia vincunt,
  Tu ſuperas violas, tu ſuperasq; roſas.

Tota

Tota tibi ſervit faciles natura per artes,
Deformet pectus ne qua litura tuum.
Inter Hamadryades talem reor eſſe Dianam,
Cùm ducit montis per juga ſumma choros.
Priſca poëtarum non demens carmina ſperno,
In formâ primas quòd Cytherea tulit.
Anna ſed ad lites ſi ſe demitteret iſtas,
Ante alias victrix Cypride teſte foret.
Conciperetq; novos heros Priameius ignes,
Et ferus Oenones ſperneret ille toros.
Eſt aliquid, fateor, niveâ præcellere formâ,
Et decus in membris grande referre ſuis.
Maius at eſt: poſſit quod commendare puellam,
Addictam vero ſcilicet eſſe Deo.
Et mores primis dulces hauſiſſe ſub annis,
Et ſtabili conſtans pectus habere fide.
His prolongatur veris virtutibus ætas,
Nec noceat ſævæ mortis avara manus.
Cùm tua ſponſa gerat tales in pectore dotes,
Gaudia ſub læto concipe ſponſe ſinu.
Et quia non gemmis cedunt, nec meſſibus aureis,
Quas metit æſtivis ſolibus uſtus Arabs.
Hæc bona cum ſponſâ tempus defende per omne,
Hancq; tui partem corporis eſſe puta.
Coſta viri nitidos mulierem eduxit in artus,
Felix qui coſtæ diligit oſſa ſuæ.
Ille trahit læto placidiſſima gaudia vultu,
Et ſentit vitæ molliter ire dies.
Quid tua ſic hærens in terram lumina figis?
Si tibi ſunt pavido pectore pelle metus.
Nil eſt quòd vereare: virum virtute celebrem
Caſta verecundi ſponſa pudoris, habes.

Illius

Illius extendit longas ſe fama per oras,
Italis hunc, nec non Gallica terra colit.
Ut taceam duris præſtantes Teutonas armis.
Novit, & hunc numeris Tethyos unda vehit.
Crede meum folijs omen præſtare Sibyllæ,
Conjuge cum tali ſtat tibi perpes honos.
Ex adytis quicquid produxit priſca vetuſtas
Pectore concluſum ſub ſapiente gerit.
Cæſareo celebres ſcrutatus nomine leges,
Et quæ Pontificum jura dedere manus.
Maturo magnas diſcernit pectore cauſſas,
Promovet & noſtræ culta Lycæa ſcholæ.
Dum ſenſus legum doctâ eruit arte latentes,
Monſtrat & ingenij vivida dona ſui.
O modò longævos annos, & tempora vitæ
His raris offer dotibus apta, Deus.
Ille tuas digno celebrabit carmine laudes,
Et vehet imparibus numina trina modis.
Sufficit huic largum Permeſſidos unda liquorem,
Sparſit apis vernis oraq; culta favis.
Non tam dulce canit projectus Cygnus in herbas,
Cùm mortis deflet fata ſuprema ſuæ.
Quid ſibi vult? molli diducit labra cachinno,
Efflat & ex labris ſponſa venuſta roſas.
Lætatur tanto quòd ſit conjuncta marito,
Quem ſchola, quem Princeps, quemq; ſenatus amat.
Plura tibi vellem nunc paupere ſcribere venâ.
Illa ſed eſſe ſatis ſponſe beate putas.
Sunt alij, quos non ſacer averſatur Apollo,
Hi condunt lecto carmina digna tuo.
His ego me cuperem quòd ſi conferre poëtis,
Judicio vacuus crederer eſſe meo.

Carmine placantur ſuperi, placantur & umbræ,
Placatur doctis Iuppiter ipſe modis.
Verſibus intexam ſub finem vota: jugatis,
Connubij nexu vota valere ſolent.
Vivite concordes ſub caſti fœdere lecti,
Mutuus & flagret veſtra per oſſa calor.
Sit procul horrendæ demens diſcordia litis,
Et ſervet veſtram pax ſine fine domum.
Tam bene conveniant non ulmi vitibus aptæ,
Tam benè non ſiccos recreet humor agros.
Quare vos cupidos quando nox junget amantes,
Aurea perpetuum vincula nectat amor.
Fœcundet Latona torum, Lucina penates,
Egregia ſobole non eguiſſe ſinat.
Nicoleos nondum finito parvulus anno
Ubera per matris ludat amœna ſuæ.
Idem non tacitis oppignoret oſcula ſignis,
Ad patris ſe jam nomina clara rapi.
Iuppiter addat opes, & honoribus augeat amplis,
Gloriaq; æternum veſtra ſuperſtes eat.
Caſte Deus, fac vota tuo ſint firma favore,
Et novus iſte tuo numine perſtet hymen.
Tu ſiquidem primus lecti ſocialis es author,
Et curas, quiſquis talia jura ferit.
Sed bene habet: Deus ecce Deus connubia firmat,
Præbet & auſpicij candida ſigna boni.

IN

IN EASDEM NUPTIAS
JOHANNIS POSTHII GERMERSHEMII Elegia.

Sponſus loquitur.

HAnc bone Chriſte diē ſine nubibus ire jubeto,
Nullaq; ventorum murmura ſæva ſonent.
Nulla meas hodie veniat vox triſtis ad aures,
Aſpiciam nullos corde dolente queri.
Hac quia luce ſacras mihi ducitur uxor ad aras,
Ut ſumem ſancti fœdera conjugij.
Fœdera non ullos pòſt diſſoluenda per annos,
Luce frui donec fata Deusq́ ſinent.
Fata Deusq; ſinant longum precor, atque benignis
Vivere nos aſtris tempus in omne velint.
Anna meum ſidus, mea lux, mea ſola voluptas,
Ambroſia dulci dulcior Anna mihi.
Tu mihi ſuccendis dulces in pectore flammas,
Dulcibus & flammis das alimenta meis.
Non facis hoc tantum facie, longisq; capillis,
Et manibus, quales optet habere Venus.
Moribus ingenuis potius, niveoq; pudore
Hoc facis, hoc noſtrum pectus ab igne calet.
Forma bonum, quo non aliud fallacius ullum,
Non ego tàm formæ, quàm bona mentis amo.
Sic licet & vultus, & honeſtæ gratia formæ,
Dot a tamen mentis ſunt potiora tibi.
His ego præcipuè ductus, ſcis optima virgo,
Conſortem thalami te volui eſſe mei.

Mille pererravi ſtudijs ducentibus urbes,
Dum ſequor Aonij caſtra, nemusq́; chori.
Cumq́; tot egregias animis, facieq́; puellas
Spectarim, potuit nulla placere mihi.
Tu mihi ſola places, placeam tibi, lux mea, ſolus:
Sed placui, & placeo, poſtq́; placebo tibi.
Nulla fides ullo ſolet eſſe in fœdere tanta,
Nam thalamo creſcunt gaudia, creſcit amor.
Quin etiam dulces, communia pignora, nati,
Dulcius efficiunt connubiale jugum.
Ducere aratra negant confecti ætate juvenci,
Miles & annoſus ſigna, tubasq́; fugit:
At me nulla dies, non ulla redarguet ætas
Diſceſſiſſe unquam, vita, ab amore tuo.
Sive ego Tithoni, ſeu vixero Neſtoris annos,
Unica tu cordis flamma futura mei es.
Hæc tibi per ſanctos Hymenæos juro, per illam
Quam teneo, teſtor ſidera celſa, manum.
Tu mihi deliciæ, requies tu ſola malorum,
Nocte vel in mediâ tu mihi lumen eris.
Innuptæ juvenes ſed te nunc Anna requirunt:
Hora jubet ſancto templa ſubire pede.
Auſpicijs precor ite bonis matresq́; viriq́;,
Et faciat præſens omnia læta Deus.
Care parens, utinam tibi numina magna dediſſent
Tam celebrem nati poſſe videre diem.
Non ego maluerim, quicquid Tagus egerit auri,
Non, quaſcunque tenet decolor Indus opes.
Non ego, quæ validis renovantur jugera bobus,
Fertilis immenſi quà patet orbis humus.
Sed tamen à nitido forſan ſpectatis Olympo,
Quæ fieri noſtrâ ſub regione ſolent.

Terge-

Tergeminumq; Deum concordi voce rogatis,
Ut ſanctum nobis hoc benè cedat opus.
Quanta mihi, ô ſuperi, confert hoc gaudia tempus?
Quantus in hac nobis luce refulget honos?
O niveis ſignanda dies mihi rirè lapillis,
O fortunatas inter habenda mihi.
Huic ego, dum vivam, ſua tura, merumq; quotannis
Cumq; novis violis dulcia liba feram.
Et ſanctas, veterum de more, volutus ad aras,
Candidior redeat ſæpe, rogabo, mihi.
Tum mihi, tum caræ redeat feliciter Annæ,
Quâ ſine non unâ vivere luce velim.

JOH. POSTHII EPIGRAMMATA.

Hos, Ciſnere, tibi flores dat candida Flora,
Cumq; verecundis lilia cana roſis.
Ipſe pater Phœbus, blandis comitatus alumnis,
Hæc capiti donat laurea ſerta tuo.
Has gemmas Charites, Venus hanc tibi ſponſa coronam,
Hæc nova conjugij vincula portat Hymen.
Et volucres dulces edunt per inania cantus,
Et Polus inſolitâ jam tibi luce nitet.
Flora, pater Phœbus, Muſæ, Charitesq;, Venusq;,
Atq; Hymẽ, & volucres, gaudet & ipſe Polus.
Iam quia poſt varios terraq; mariſq; labores,
Spectantur thalami gaudia læta tui.

Macte animo, Ciſnere, tui cumulantur honores,
Fataq́ꝫ poſt ibunt candidiora tibi.

Mirabor ſolito citius quid frigora brumæ
Diffugerent, & cur mitior eſſet hyems.
Tam citò quid flaret Zephyri genitabilis aura,
Indueretq́ꝫ novas undiq́ꝫ ſylva comas.
Quid roſa, quid violæ, quid mollis amaracus, aut quid
Tam citò per campos ſurgeret alma Ceres.
Scilicet hæc Natura tibi, Ciſnere, miniſtrat
Dona, quibus thalamos ornet & ipſa tuos.

Tympana dum reſonant, dum fiſtula læta viciſſim
Reſpondet, citharis Pieridesq́ꝫ canunt.
Senſit, & ut ſenſit, caput alto gurgite Nicer
Suſtulit, & tales edidit ore ſonos:
Ter, quater ô felix Ciſnere in conjuge tali,
Et tali felix Anna pudica viro.
Dignior haud aliâ fueras Ciſnere maritâ,
Dignior haud alio nobilis Anna viro.
Vivite concordes, viridiq́ꝫ in margine ripæ
Cum veſtris violas carpite pignoribus.

Cùm gemmis auroq́ꝫ tuam Cytherea maritam
Excultam vidit, protinus ingemuit,
Avertensq́ꝫ oculos, Puer ô jam vincimur, inquit,
Vincimur: hinc aliâ nunc licet ire viâ.

NICO-

NICOLAUS CISNERUS PAULO CISNERO fratri ſuo S. D.

Cum Jacobi Micylli elegiam conſolatoriam quam ad te de obitu Uxoris tuæ ſcripſit, perlegiſſem; magnam certè doloris levationem ſenſi. Etſi vero haud ſcio, magis ne me cognatio argumenti, an carminis ſuavitas affecerit: tamen me illius lectione vehementer commotum eſſe, certo ſcio. Nec ſecus mihi accidit, atq; iis, qui venuſta quadam pictura capiuntur: quid autem ſit potiſſimum, quod approbationem moveat, & qua de cauſa, nequeunt judicare. Itaq; cum eam poëſis amatoribus gratam fore exiſtimarem: non dubitavi hanc in me culpam ſuſcipere: quam mihi Micyllum pro ſua in me benevolentia facilè condonaturum ſpero: ut quod ipſe in noſtram ſolum gratiam ſcripſiſſet; ego cum aliis communicarem. Ad te verò, mi frater, hoc Micylli tanti & viri, & amici munus mitto, quod meo quidem judicio in tanta luctus tui acerbitate nec parvum eſt, nec contemnendum. Non enim magnitudine & numero; ſed bonitate momentoq; ſuo quaq; res eſt ponderanda. Nec ſi parva ſæpe ſigilla pluris fiunt quàm ingentes ſtatuæ: quòd certiora ſunt in illis, quàm his & artis & ingenii expreſſa veſtigia: eadem & in ſcriptis ratio non obſervabitur. Sed de his aliâs: Tuarum eſt partium, hanc conſolationem bono gratoq; animo accipere, atq; illo dolorem lenire tuum. Bene vale.

JACOBI MICYLLI
CONSOLATIO AD PAULUM CISNERUM.

SI tibi non aliquo firmatum numine pectus,
Si foret à ſuperûm mens aliena fide:
Nec ſcires hominum quæ ſors ſit addita rebus,
Quamq́; ſit hæc fato ſubdita vita brevi:
Longius hic agerem tecum, Cariſſime *Paule*,
Quærerem & in curas pharmaca plura tuas.
Sed puto, nec noſtri vivis ſic inſcius ævi,
Aut hominum ignarus conditionis agis:
Ut quicquam in toto credas durabile mundo,
Quàm latè terras Phœbus oberrat equis.
Quo te, *Paule*, decet ſubitos agnoſcere caſus,
Quæq́; vides fieri, velle putare Deum.
Occidit, heu, miſero pridem dulciſſima conjux,
Occidit ante ſuum funere merſa diem.
Nec probitas illam, nec amicæ gratia formæ
Texit, non tenero ſuavis in ore pudor.
Quò minus immites exercerent ſua parcæ
Numina, funeſtas injicerentq́; manus.
Atque hanc incurva quæ demetit omnia falce,
Tolleret è medio mors truculenta gradu:
Non aliter tenera quàm cùm reſecatur in herba,
Quæ primo exhilarat gramina vere, roſa.
Sed quid agas, num vel triſtes tua pectora curæ,
Aut tua tabificus devoret oſſa dolor?

Dum

Dum tua perpetuo liqueſcunt lumina fletu,
Non oculis ſomnum,non capis ore cibum.
Aut velut in vacuo quærit ſua pignora nido,
Cum dolet amiſſum Daulias ales Itym:
Sic tu prǽreptos animo meditaris amores,
Atque abſens qræſens,quod nequit eſſe,cupis.
Haud equidem jubeam, neq; te,Cariſſime,fas ſit,
A lachrimis oculos abſtinuiſſe piis:
Aut te,quæ toties animo,vultuq; levavit,
Ejus te nullo fata dolere modo.
Namq; etiam Stygias Orpheus deſcēdit ad umbras,
Funera dum deflet conjugis ipſe ſuæ.
Et breve Phylacides ſpacium Plutona precatus,
Ivit in amplexus Laodamia tuos.
Quinetiam noſtras illius funera curas
Exercent, animos afficiuntque meos.
Nam quem non moveat tam ſævi injuria fati?
Aut hæc tam celeri mors properata pede?
Vix modo quinq; puto,ſi vel tamen integra quinq;,
Viderat hæc vitæ luſtra peracta ſuæ.
Et nuper thalamo tecum ſociata jugali
Ediderat lecti pignora bina novi.
Non genus,aut proavi, non illi fama parentum
Deêrat,non propriæ gloria parta domus.
Illi etiam tellus multo cum fœnore fruges,
Et Cererem plenis ſufficiebat agris.
Illi, quæ ripis naſcuntur plurima Nicri,
Implebant totos dulcia muſta cados.
Deniq; longinquo quæcunq; ex orbe recepta,
Per terras alij,per freta longa petunt,
Hæc illi facili conceſſerat omnia dextra,
Pingitur in volucri quæ Dea cæca rota.

Sed nil immites, nil curant talia Parcæ,
Non illas lachrimæ, non pia vota movent.
Quinetiam vitæ cùm tangunt ultima metam,
Et veniunt dura fila ſecunda manu.
Non illas ſuperi, non infera numina flectunt,
Invictæ duro ſtant Adamante magis.
Memnona ſic mater, ſic mater flevit Achillem,
Quanquam eſſet celebri natus uterq; Dea.
Nec Venus à leto pulchrum ſervavit Adonim,
Aut Atym Cybele, aut Iaſiona Ceres.
Ipſe etiam magni (quis credat) rector Olympi
Deflevit Lycij triſtia fata ducis.
Uſq; adeò intactum nihil eſt, terraſq; per omnes
Exercet vires trux Libitina ſuas.
Aſpice tot claros, hominum monumenta, labores,
Quos Aſiæ tellus, Dorica quoſq; tulit.
Quò nunc Pyramides, veteris miracula Nili?
Motaq; cum Phœbo Memnonis ora novo?
Quo redijt Babylon, ſolidiq; bitumine muri,
Et domus antiquæ tanta Semiramidis?
Aut ubi Mauſoli pendentia marmore tecta?
Structaq; Amazonia templa operoſa manu?
Aut ſacer Elei cultus certamine curſus,
Iupiter? aut Rhodij Sol moderator agri?
Quo veteres Thebæ, quo priſci regia Cadmi?
Mœniaq; ad Citharæ quæ coiere ſonum?
Aut ea, quâ victus partu Neptunus olivæ,
Obruit iratus fluctibus arva novis.
Quâq; olim puppes Ephyræa celſus ab arce
Siſyphus Aegeas vidit & Ionias?
Scilicet incurva rapuit mors omnia falce,
Hæc etiam templis, marmoribusq; venit.

Atq

Atq; homines querimur, ſi vilis portio glebæ,
Hinc abit in vitam ſpe meliore novam?
Quæq; prius fuerant obnoxia corpora fato,
Mutat in haud ulla poſt moritura die?
Hæc quoq; enim perſtat veterum doctrina virorũ,
Teſtibus & longa prodita vera fide.
Cumq; alia æternam patiantur corpora noctem,
Totaq; defuncto vis animante cadat.
Solus ab humano cum ſpiritus exijt ore,
Vivit, & à ſæva morte ſuperſtes agit.
Atq; uti vere novo recipit ſua gramina campus,
Induit & virides ſylva renata comas:
Aut ubi flava Ceres, brumalibus abdita terris,
Erigit in lucem ſemina læta novam:
Sic quoq; cœleſtis, deterſa morte, creator
Eriget in vitam corpora noſtra novam.
Atq; iterum ſuperas læti veniemus in auras,
Induti carnis viſcera quiſq; ſuæ:
Tunc cum defeſſum rapient incendia mundum,
Et peragent ſummum ſecula clauſa diem.
Hanc bonus ipſe viam dudum monſtravit *Ieſus*,
Oſtendit vitæ primitiasq; novæ,
Tertia cum vidit ſurgentem aurora ſepulcro,
Et reduci victas fata dedere manus.
Hanc & fatidicæ præſagivêre Camenæ
Aſſyrij, ſenſit qui mala mille, ſenis.
Dum ſedet, & Domino peragit cũ carmine laudes,
Illi, qui rurſum, quod dedit ante, tulit.
Quo minus iſta tuæ ſunt & tibi fata dolenda
Conjugis, aut ſomnus, quo modo victa jacet.
Sed magis optatæ lux expectanda diei,
Artus cum repetet mens rediviva ſuos.

Et tua

Et tua te rurſum meliori in luminis aura
 Aſpiciet vultu *Barbara* læta novo.
Deniq; præſentis quæ tanta eſt gratia vitæ,
 Aut hoc quod dignum flebile tempus habet?
Ut teneat quenquam vivendi magna voluptas,
 Atq; aliquis ſeros vivat ad uſq; dies?
Aſpice, quæ paſſim crudeſcunt bella per orbem,
 Qui fremitus hominum, quantus ubiq; pavor?
Hic alij eliſo labefactant mœnia ſaxo,
 Et longa popolos obſidione premunt.
Vaſtantur miſeri ferro, flammiſq; coloni,
 Et cultore jacent arva relicta ſuo.
Illic inſolitas demittit Sequana turmas,
 Et lacerant vacuas gallica gæſa domos.
Eſuriunt viduæ parva cum prole parentes,
 Et pereunt longa tabida membra fame.
Ipſa etiam invadit Divûm penetralia miles,
 Quæq; ætas melior contulit, illa rapit.
Nuſquam tuta quies, nuſquam concordia rerum,
 Miſcentur motu ſacra, profana pari.
Quò magis & mulier teneræ ſolatia mentis,
 Aut nulla, aut iſto tempore parva capit.
Nam quos illa petat luſus, aut gaudia quanta,
 Cum videt ante oculos omnia ſæva ſuos?
Quæ ſi forte nitet pulchra ſpectanda juventa,
 Gaudet & æquales ducere læta Choros:
Pro fidibus galeæ, pro levi claſſica buxo,
 Pro molli cithara cornua rauca ſonant.
Sin jam mater habet longi ſolamen amoris
 Pignora, & hæc crebro geſtat, amatq; ſinu,
Aſpicit, heu, longis matres terroribus actas,
 Cnm tenera triſti prole perire fame.

Deniq;

Denique ſeu ſacras ſuplex aſcendit ad aras;
Seu media ſolitas carpit in urbe vias;
Omnia terrifico miſcentur compita luctu,
Multus ubiq; pavor, multus ubiq; dolor.
Quæ ſi qua eſt tacita quæ ſecum mente volutet,
Ecquid adhuc illam, quod juvet eſſe putas?
Præcipuè talem, qualis tua *Barbara* vixit,
Et veri imbutam cognitione Dei.
Ipſa equidem, credo, ſi dent pia numina vocem,
Illius ante oculos & ſtet imago tuos,
Deterſis lachrimis, & aperto candida vultu,
Aut hoc, aut ſimili ſolveret ora modo:
Quid verò, ô dicens, tandem Cariſſime conjux
Quid laceras curis languida corda tuis?
Quid juvat incaſſum ſævo indulgere dolori,
Non animum noctu, non relevare die;
Deſine ſollicitis ſuperos urgere querelis,
Deſine, nil lachrimæ, nil tua vota juvant.
Cum ſemel impletis ceſſarunt ſtamina fuſis,
Filaq; lanificis de tribus una ſecat:
Fruſtra iter ad ſuperas remeabile quæritur oras
Obſtructæ duro ſtant Adamante viæ.
Non ego ſponte tuo cupij diſcedere lecto,
Aut tibi deſertum linquere, *Paule*, torum.
Scit Deus, & genitor, qui nos conjunxit amantes,
Cum preſſi thalamos facta marita novos,
Ac tecum optarim longam conſumere vitam,
Atq; auctam multa prole videre domum.
Sed ſuperis aliter viſum, & me fata Deorum
Vivere in his terræ non voluere malis.
Nec clades hominum, aut diſcrimina tanta videre,
Et toties viduas militis enſe domos.

Nam

Nam quid adhuc reſtat, ſolo te conjuge dempto,
Ducere cur vitam longius ipſa petam?
An quia nunc placidis red[i]jt concordia rebus,
Et ſtant in tuto ſacra, profana loco?
Nec frater fratrem civilibus implicat armis,
Atq; aliquis Domini reſtat in orbe timor?
Ah miſeros homines, nondum ſua ſi mala norunt,
Aut hæc ſecuro pectore damna vident.
Ipſa equidem credo nullo plus tempore fraudem,
Perfidiam, inſidias, & valuiſſe dolos,
Atq; aliquis captet præſentis gaudia vitæ
Aut ævo doleat ſe breviore frui?
Nec me nunc retinent vani ſpectacula mundi,
Quæq; hominũ inconſtans, & leve vulgus amat.
Nec tangunt animum veſtis precioſa, vel aurum,
Aut aliâs carum fœmina quicquid habet,
Omnia quę modico vaneſcunt temporis uſu,
Nec fructus aliquos, & leve pondus habent.
Vixi & quas dederat partes, fortuna, peregi,
Et tibi tota mea ſtat ſine labe domus.
Suſcepi geminam ſocio te conjuge prolem,
Uſa parum longo ſed tamen uſa toro.
Non fractum ſenio patrem, non rebus egentem
Aſpexi, aut patrię damna dolenda meę.
Uno hoc infœlix, quod te dulciſſime linquo
Iactantem vidua corpora mœſta domo:
Nec ſupereſt aliquis ſaltem de ſanguine noſtro,
Qui patrem vocitet te, moveatq; mei.
O dolor, ô Parcę. Sed & hęc Deus ipſe levabit,
Audiet & noſtras ęquus utriq; preces.
Teq; iterum faciet mutata conjuge patrem,
Ac thalami aſpicies altera dona tui.

Me ve

Me verò Elyſij capient conſortia regni,
Quâ neq; Sol æſtu, nec riget unda gelu.
Ver ubi perpetuum, Zephyriq; tepentibus auris
Fœlicis gaudent arva beata ſoli.
Hic oleæ, myrtusq; virent: hic innuba laurus,
Palmaq; victrices quam peperere manus.
Hic crocus, hic caſiæ, flos hic fragrantis Amomi,
Liliaq;, & nitidis conſita prata roſis,
Hic placida æterna peraguntur tempora pace,
Quam neq; vis hominũ, nec mora longa premit.
Purior & ſolito penetrat ſuper æthera curru,
Nec timet alternas candida Luna vices.
Huc proceres abiere pij, quos lucifer olim
Effractis tenebris vexit ad aſtra puer.
Huc & præſentis venient poſt funera ſecli,
Qui pura Dominum religione colunt.
Cum quibus & dulces natos, placidamq; parentem,
(Corpora nunc quorum preſſa ſopore jacent.)
Et te, præſentis peraratis finibus ævi,
Aſpiciam, & læto perfruar alloquio.
Atq; ita perpetuæ carpam nova gaudia lucis.
Quæ pater aſpectu temperat ipſe ſuo,
Et juxta, amborum mixto cum flamine natus,
Certa ferens juſtis præmia, certa malis.
Hæc illa, aut etiam tecum, puto, plura loquendo
Firmaret dictis mollia corda ſuis.
Sed tu ſollicitas tandem depone querelas,
Atq; animum curis, triſticiaq; leva.
Quæq; pater voluit, celſi regnator Olympi,
Perfer, & hos gemitus ad meliora refer.
Non hæc inviſos ſpectabit pallida manes,
Aut veniet Stygio, quâ calet igne lacus.

Nec

Nec metuet tædæ flammas, crepitumq; flagelli,
Horrida cui ſtrident anguibus ora, Deæ.
Hic ubi terribiles exercent tartara pœnas,
Et gravis immiti præſidet urna foro.
Sævus & horrifico latratu territat umbras
Cerberus, & mœſtas excubat ante fores.
Nec tu Caucaſeas inter nutritus es arces.
Aut tibi jam genitrix barbara terra fuit:
Talia ut ignores, aut præmia nulla parata
In cœlo credas mentibus eſſe pijs.
Quæ quo ſunt hominum donis meliora caducis,
Et ſecum meritis gaudia plura ferunt:
Hoc animo debes minus omnia ferre moleſto,
Quæ Domino cernis facta placere Deo:
Sed cujus ſumma eſt adeò, atq; æterna poteſtas,
Imperium cujus terra, fretumq; timent:
Huic etiam ipſe tuas debes ſubmittere curas,
Hujus & ad nutum vota referre tua.
Ut ſeu læta tibi, ſeu triſtia tempora currant,
Arbitrio Domini ſtesq; cadasq; Dei.
Hæc ego, *Paule*, tibi pro tempore pauca notavi,
Quæ Deus & Muſæ commonuere meæ.
Quæ tu ſi capies animo, vultuq; benigno,
Accepit pretium noſtra Thalia ſuum.
Sin minus: attamen hoc, quod debuit, illa peregit,
Triſte quidem officium, ſed tamen officium.

NICO-

NICOLAI CISNERI EPISTOLÆ.

REVERENDO ET CL. V. DOMINO MARTINO BUCERO, *Theologo ſummo, affini colendo*, Argentinam.

QUò diutius fructu jucundiſſimæ veſtræ conſuetudinis careo, eò vehementiori ejus deſiderio teneor. Non enim mediocri nuper afficiebar voluptate, ex dulciſſimo ſermone veſtro, & utilitate ex conſilio atq; operâ tuâ. Quod niſi tanta res mea ageretur, nunquam adduci potuiſſem, ut à vobis diſcederem. Etſi enim & hic aliquam habeamus Evangelij lucem, meáq; conditio ſatis proſpera ſit: tamen longè mallem vobiſcum eſſe, ubi cùm alia ſtudia, tum vel maximè Pietatem magis excolere poſſem. Sed quia id in tantâ temporum perturbatione fieri nequit, niſi fortunam florentem inclinatâ & jacente permutare velim: illud à te peto, ut ſi certò loco res tuæ fuerint, & commodè facere poſſis, mei rationem habere velis. Sed quid rogo, cùm pro tuâ ſingulari pietate, ſummoque in me amore, te meâ causâ facturum omnia certò ſciam? Quid enim de tuâ voluntate & animo dubitem ego, qui propenſa tua ſtudia, non tantùm in affines, ſed & in omnes alios doctos & ſtudioſos perſpexerim, & majora beneficia acceperim à te, quàm erant

à quoquam poſtulanda? ut de referendâ gratiâ mihi cogitandum ſit. At quî referam? qui ſi vitam pro tuâ dignitate profunderem, vix ullam partem meritorum tuorum viderer conſecutus. Ut autem grati animi ſignificationem declarem, omnem meã operam, ſtudium, laborem & induſtriam polliceor. Pluribus ad te ſcriberem de rerum noſtrarum ſtatu: de Malvendæ morte: de filij Cæſaris adventu, niſi commodius ex D. Michaële illa cognoſcere poſſes, cui hæc omnia nota ſunt. Vale. Heidelberga Anno 1548.

D. GEORGIO EISCHINGERO, Mosbachenſis Eccleſiæ miniſtro. S. D.

ETſi vixdum ex Argentoratenſi itinere Heidelbergam veneram, tamen cùm haberem, cui rectè darem literas, ad te ſcribendum de rebus noſtris eſſe exiſtimavi. Argentorati omnia mihi ex animi ſententiâ ſucceſſerunt. Cum Bucero de rerum mea[illegible]um ſtatu ita ſum locutus, ut mihi viderer animum [illegible]nimis omninò ad me tuendum traduxiſſe. Hu[illegible]aniſſimè me excepit, familiariſſimè complexus [illegible] locum apud ſe ſtudijs meis liberum, & à dome[illegible]s negotijs alienum, cum ſummâ teſtificatione [illegible]oris in me ſui, conceſſit. Itaque quàmprimum [illegible]ro, Argentinam rediturus ſum, ibique cùm [illegible]uarum cognitioni, tùm ſacrarum literarum [illegible] operam daturus. Sed de domeſticis hacte[illegible] quas propediem ex me ipſo audies. De publi[illegible]rebus, magnitudo rei me movebat, ut te certio[illegible]facerem. Argentoratenſium religio adhuc integra

tegra eſt: neque perditum illud commentum apud eos promulgatum: ſed tamen legatos ad Cæſarem miſerunt, qui peterent, ut hoc recepto teterrimo monſtro in collegiatis templis, reliquæ puræ verbi Dei prædicationi, & vero ſacramentorum uſui conſervarentur: Quod an à Cæſare impetraturi ſint, neſcio: Certè Lindavienſibus id permiſſum eſt. Conſtantia præclarè etiam acquiſitâ victoriâ, jam turpiſſimas pacis conditiones, miſſis ad Cæſarem legatis quibuſdam Papiſticis, admiſit: Cives ebrij, & omnium voluptatum genere coinquinati, concionatoribus miſerè inſultant: utinam Satanæ nos omnibus modis reſiſteremus, ne in Eccleſiam Chriſti graſſetur. Te oro atque obſecro, ut animo magno fortique ſis. V. Heidelb. 1548.

S. D. Omnibus lecturis has literas.

CElebratum eſt flumen, etiam apud veteres, Neccharus, cujus ripas tenuiſſe ſcribunt Charitinos; quæ appellatio videtur ab hortis facta eſſe. Sed ego libenter ad Charitas transfero. Eſt enim & regionis magna amœnitas, & genus hominum placidum, & amans juſtitiæ & beneficentiæ: Suntque in eâ ripâ duæ Academiæ, in quibus hodie quoque ſunt multi docti viri, excellentes eruditione & virtute, qui utiliter ſerviunt Reipublicæ in propagatione doctrinarum. Tota etiam Regio habet Eccleſias rectè invocantes Deum. Opto autem ut ſemper ibi ſit χάρις θεοῦ, & ſint ibi Charites, videlicet hominum inter ſeſe mutua benevolentia & beneficentia. In eâ regione, eſt oppidum *Mosbach*, cla-

rum ſcriptis integerrimi & doctiſſimi viri, *Nicolai Ciſneri*; In eo oppido natus eſt ex honeſtis parentibus, Chriſtophorus Rudinger, qui orbatus Parentibus in infantiâ, poſtea educatus eſt à Concionatore Reverendo viro *Georgio Eſchinger*, qui curavit eum doceri literas. Hic Chriſtophorus in Academiâ noſtrâ, cum magnâ laude modeſtiæ & diligentiæ in ſtudijs vixit, & ſpecimen præbuit virtutis, quòd & tantum labore ſuo victum quæſivit, & parvo contentus fuit. Cùm igitur initia doctrinarum ſtudiosè didicerit, & mores ſint honeſti & pij, oro Reverendum virum *Georgium Eſchinger*, à quo educatus eſt, ne eum deſerat: Oro & alios honeſtos viros, ut huic orphano benefaciant. Semper enim cogitanda eſt omnibus dulciſſima ſententia, ſcripta his verbis. *Eſto orphano Pater: Tunc Deus magis te diliget, quàm diligit te mater tua.* Quid poteſt promitti majus amore Dei tanto erga nos, qui vincat maternam στοργὴν, quæ eſt ardentiſſima? Hâc invitati promiſſione ampliſſimâ, libentius benefaciamus orphanis modeſtis, pijs, & honeſtis laboribus deditis. Datæ Witebergæ, Cal. Iunij. Annò 1557.

Philippus Melanthon manu propriâ.

CLARISSIMO VIRO, ERUDITIONE *& virtute præſtanti* NICOLAO CISNERO, *Doctori Iuris, fratri ſuo cariſſimo S. D.*

Clariſſime vir, & cariſſime frater. Fortaſſis eò Tenes majore deſiderio patriæ adficimur; quia velut

velut præſagæ mentes ad cœleſtem patriam properant; vel quia στοργή erga noſtros in hac imbecillitate ætatis magis expetit cognatorum conſuetudinem. Ego certè fateor, me & patriæ, & fratris deſiderio, valdè adfici. Sæpè igitur gemens intueor & montes veſtros, & arces illas, quas primùm Valentiniano Imperatore in Nicri ripis, montibus veſtris impoſitas eſſe ratiocinor, ac tecum, & cum alijs doctis viris colloqui cupio, quorum eruditionem & candorem probo: ac deſiderium meum auget rabies hoſtium meorum, quos procul fugerem; ut Hieronymus ſe abdidit in antra vicina Ieroſolymæ; ſi poſſem. Sed non multò poſt ad cœleſtem Eccleſiam me Filius Dei hinc evocabit. Nunc tibi Sigiſmundum, fratris mei filium commendo, cum conſilijs tuis gubernes. Spero, te & eruditionem ejus & modeſtiam probaturum eſſe. Bene vale & reſcribe. Wittebergæ. Calend. Ianuarij, Anno M. D. LX.

Philippus Melanthon.

REV. V. PHILIPPO MELANTHONi, Præceptori colendo S. D.

EGO verò à Deo Opt. Max. id obnixè peto, ut te in tanta rerum perturbatione diu nobis ſalvum incolumemq; conſervet. non quòd non optimè tibi velim, ſe quòd timeam, ne, ſi te Deus ad ſe tranſtulerit, (*quod paucis diebus poſt factum*) graviſſimæ contentiones & motus in Eccleſia ſint exorituri; cùm ea confuſio religionis conſequetur, ut

Phil. Mel. obijt 19. April. Anno 1560.

cum infinitis opinionibus ſit confli&andum. Neq; enim, quem adverſantibus poſtea opponamus, habemus. Te igitur maximè expetimus. Quòd autem à nonnullis exagitaris; non tam tuâ causâ doleo, quàm noſtrâ: quòd timeam, ne Deus nos ob ingrati animi vitium graviter ſit puniturus, cùm optimè de religione præclariſſimisque diſciplinis meritis tam malam gratiam reddimus. Ut vero te perturbant: ſic multos optimosque viros tecum ſentire, te conſoleris. Sunt enim, qui quid tibi debeatur, intelligant, quique ſui animi & obſervantiæ teſtimonium aliquanto poſt ſunt declaraturi.

Sigiſmundum nobis Collegam adjunximus, qui ita ſe gerit, ut ab omnibus omninò probetur. Illi, quibus in rebus potero, operâ ſtudioque meo non ſum defuturus. Nam ejus eſt naturæ, ut merito ſit ab omnibus amandus. Tua verò in me merita, ut eum amplectar, poſtulant. Itaque duplici de cauſa illi officium meum præſtare debeo. Nova jam habemus hæc. In Hiſpania aliquid ferunt eſſe periculi, quanquam plures in ulteriori quàm citeriori Hiſpania à Pontifice Romano defecerint. Angli ſe cum Scotis conjungunt contra Gallos. Ipſa Angliæ Regina Eliſabetha matrimonium cum Harango Scotiæ Comite contraxiſſe (ſed falsò) dicitur. Ex Italia ante menſem hæc ad me ſcripta ſunt; Imperatorem hac æſtate Mediolanum profecturum, ut à Pontifice Pio IV. coronetur; qui eodem etiam venturus dicitur. Idem, Concilium Imperatori, ubi & quando videbitur, polli-

pollicetur: Ille ut in Pontificem creatus eſt, pro more epulas dedit; ſed ecce in ipſo convivio, armatorum caterva in palatium impetum in Caraffam Cardinalem factura, irruit: qui, ut ſe fidei & tutelæ Pontificis commiſit, eum apprehenſum manu in Adriani molem (quam Caſtellum Angeli vocant) duxit; & poſt edictum propoſuit, ut ſi qui actiones adverſus Caraffam haberent, eas jure perſequerentur: qui multorum ſtatim criminum eſt accuſatus. Meronum Cardinalem, qui, autore Caraffa ſub Paulo IV. ob ſuſpicionem hæreſeos in mole Adriani tanquam in carcere diu vixerat, ſibi Cancellarium adjunxit, eique mandavit, ut remiſſiùs potiùs quàm diutius Inquiſitoris munere fungeretur. Adverſatus ejus moderationi eſt Auguſtanus; ſed probata eſt Tridentino, quem etiam Romandiolæ (ut vocant) præfecit. Herculis Eſtenſis filius ſuccedens, cum Ferrariam intraret, coronam in capite geſſit. Dux Florentiæ nuper de quinque potentibus civibus ſupplicium ſumſit, qui in mortem ejus conjuraverant. Ejuſdem naves aliquot à Venetis interceptæ ſunt: quibus Philippum Hiſpan. regem, Florentino duce, adjuvante Pontifice, bellum illaturum putant. Sed de his tu forte jam pridem accepiſti certiora. Bene, mi Domine Præceptor, vale. Heidelbergæ. 3. Non. Aprilis. Anno 1560.

Tui obſervantiſſimus

Nicolaus Ciſnerus.

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO, DOM. ROGERO ASCHAMO ANGLO, *& amico ſuo obſervando Nicolaus Ciſnerus.*

ACcepimus ab Huberto noſtro binas literas tuas, eodem tempore pridie Idus Maij; quæ nos partim delectarunt, partim perturbarunt. Nam grata nobis vehementer eſt memoria noſtri tua, quam tanta cum benevolentia & amore in nos declaras, ut plus etiam, mihi præſertim; quàm res & veritas ipſa concedit, largiare. Itaq; niſi nobis omnino de te perſuaſum eſſet; te propter humanitatem tuam & ſtudiorum conjunctionem non permiſſurum unquam, ut ex animo effluamus tuo; valdè te rogaremus, ut quam voluntatem literis ſignificaſti, perpetuò conſervare velles. Sed quia nobis de tua conſtantia nullum eſt dubium, nos etiam operam dabimus, ut cæptam nuper inter nos notitiam bono literarum & mutuis officiis indies magis atq; magis confirmemus. Quod verò non ſuſpicari modò, ſed ut certò ſtatuere videris, nos à tuo judicio, de recta Græcè pronunciandi ratione diſſidere, id grave nobis moleſtumq; eſt. Nam tametſi D. Hubertus amicus noſter ſummus nobis ſignificavit, te nobiſcum de recta linguæ Græcæ pronunciatione conferre voluiſſe, tamen quia eam nobis facultatem, tuus nec opinatus & improviſus à nobis diſceſſus eripuit, non credo te cognoſcere potuiſſe, quid nobis in illa cauſa probetur. At, credo in eam de nobis opinionem, ex ſermone clariſſimi viri D. Huberti veniſti, qui cum eàdem nos ſecum uti pronunciatione dixiſſet,

xiſſet, quòd noſtram tueri, veſtram infirmare conatus eſt; eodem tu etiam in loco nos ponendos eſſe judicaſti. Et quanquam nos plurimum D. Huberto tribuimus, nec dubitemus, quin pro eruditione ſua ſingulari, exquiſitas ad id quod ſibi defendendum ſumſit, rationes habeat, tamen quæ tibi cum illo ſuſcepta eſt controverſia, eam in nos derivari nolumus. Nec ſi in uſu convenimus, idcirco eum quoque pari ratione comprobamus. Etſi enim non ita ſumus affecti, ut à quibus opinione diſſentimus, ab ijs voluntate disjungamur; tamen officio boni viri fungi volumus, opiniones noſtræ ad veritatem ſunt revocandæ, quam prudenter evertere, & falſitatem ſtabilire velle, ſive id ex animo, ſive gratiæ cauſa fiat, longè ab ingenuo homine alienum eſſe debet. Quare ut & facilior tibi ſit nobiſcum agendi ratio, & certius de noſtra ſententia judicium; non alienum eſſe videtur, in univerſo genere perſcribere; quid nos de recta Græcè pronunciandi ratione ſentiamus. Quod mallem à Domino *Micyllo* ſuſceptum eſſe, qui quæ volumus, rectiùs, apertiùs & elegantiùs explicare poſſet. Sed quia id ille onus mihi impoſuit, cujus nec voluntatem negligere, nec authoritatem aſpernari licet: peto à te, ut hanc imprudentiæ & temeritatis culpam illi potiùs, quàm mihi tribuendam putes. Cum igitur conſideramus, nos nec in vocabulis, nec in diphthongis, nec in conſonantibus etiam, quæ cognationem inter ſe quandam habent, ullam ferè adhibere in efferendo ſoni diſtinctionem, facilè damus depravatam & vitioſam eſſe apud nos pronunciandi conſuetudinem. Nam quid illa varietas inter ι, η, υ, ει, οι, ſi nulla ſoni ſit in illis diſſimilitu-

do? Jam, qui commodè in *Theocriti* verſibus, quod & *Micyllus* ſæpe nos admonuit, ποιδται & Ἰαυγὶς exprimi poſſint, niſi αυ & ευ non af & ef, ſed ut Latinè Taurus & Eurus ſonaremus. Quare & *Eraſmū* rectè in libello de pronunciatione judicaſſe cenſemus, & eorum inſtitutum probamus, qui morem corruptum ratione pura emendare conantur. Quid igitur eſt, dices, quod non eorum numerum augetis, qui in id incumbũt, ut depravatam pronunciationem reſtituant & corrigant? Primùm, quia apud nos in Germania, in omni genere literarum principes non immutârunt, ſed in communi vulgariq; uſu permanent: deinde, quod periculum eſt, ut ne, ſi ad rectam rationem aſpirare velimus, in contrariam partem his turbatis ſeculis peccemus, præſertim cum non omnium certa nobis ratio conſtet. Nam nondum nobis exploratum eſt; quomodo veteres ει & οι diphthongos, θ & φ conſonantes pronunciârint. Hæ quoniam omnibus ferè ætatibus diverſas opiniones, varias contentiones, multos errores, de germana cujuſq; linguę pronunciatione fuiſſe reperio, ut multũ vitij in noſtro more eſſe fatear, ita haud ſcio, an cum veterũ ratione, nimis expreſſus ille ἐν διφθόγγοις ambarum vocalium vim ſuam retinentium ſonus congruat. Neq; enim tam obtuſas aures Athenienſes habuiſſe exiſtimo, ut non animadvertere diſcrimen inter λιμὸς & λοιμὸς potuiſſent, ſi tam craſſa fuiſſet & aperta ſoni differentia. Itaq; ut nos in tanta quaſi linguæ & oris peregrinitate illam rotundam & volubilem Græcorum pronunciationem conſequamur, ſumma nobis diligentia, aſſiduo uſu, limato judicio, naturâ idoneâ opus eſſe judicio. Nam quò horridior eſt vox noſtra, ſpi-

ritus aſperior, ſonus vaſtior, eò difficiliùs ad lenem illam, preſſam & æquabilem vocis moderationem, qua olim in Græcia uſi ſunt, accedere poſſumus. Quocirca timemus, ne in hac impuritate & inſolentiâ à vitio in vitium, ab errore in errorẽ incidamus. Quod ſcimus cuidam noſtratium accidiſſe, qui ut commune vitium in ſuppreſſione alterius vocalis in diphthongis affugeret, dum vaſtiùs utramq; diducit, omnibus ſe deridendum præbet. Quid igitur? ſatinné hoc eſt, ut non delinquere videamur? errorem nos quidem, Rogere, fatemur, ſed quia autores nobis & duces deſunt, qui priſtinam & incorruptam pronunciationem apud nos revocent, tollere eum nõ poſſumus. Neq; enim tantũ nobis eruditionis & authoritatis ſumim⁹, quicquã ut nos nova hac in re præſtare poſſe exiſtimemus. Velim igitur tu apud illos, (quorum doctrina, exiſtimatio & authoritas altiori in loco poſita eſt) efficias, eam ut in ſcholas docendo inducãt: nos quoq; operam dabimus, ne noſtro officio defuiſſe videamur. Quod ſi vobis in Anglia bene hæc pronunciationis emendatio ſucceſſerit, erit id nobis tam gratum, quàm quod gratiſſimum. Bene vale. Heidelbergæ, 15. Cal. Auguſti 1553.

DOCTISSIMO VIRO, ROGERO ASCHAMO, *Cantabrigienſi, amico obſervando, Hubertus Leodius.*

S. Quòd ad aliquot epiſtolas tuas eruditas ſanè & jucundas, hactenus non reſponderim, Doctiſſime Aſchame, ne putes quæſo negligentiâ tui aut negotij, pro quo ſcriptæ erant, factum. Abſit enim hoc à me procul, ut tantum amicum negligam,

vel

do? Jam, qui commodè in *Theocriti* verſibus, quod & *Micyllus* ſæpe nos admonuit, ποιεῦντας & ταυρὼς exprimi poſſint, niſi αυ & ευ non af & ef, ſed ut Latinè Taurus & Eurus ſonaremus. Quare & *Eraſmũ* rectè in libello de pronunciatione judicaſſe cenſemus, & eorum inſtitutum probamus, qui morem corruptum ratione pura emendare conantur. Quid igitur eſt, dices, quod non eorum numerum augetis, qui in id incumbũt, ut depravatam pronunciationem reſtituant & corrigant? Primùm, quia apud nos in Germania, in omni genere literarum principes non immutârunt, ſed in communi vulgariq; uſu permanent: deinde, quod periculum eſt, ut ne, ſi ad rectam rationem aſpirare velimus, in contrariam partem his turbatis ſeculis peccemus, præſertim cum non omnium certa nobis ratio conſtet. Nam nondum nobis exploratum eſt; quomodo veteres ει & οι diphthongos, θ & φ conſonantes pronunciârint. Hæc quoniam omnibus ferè ætatibus diverſas opiniones, varias contentiones, multos errores, de germana cujuſq; linguę pronunciatione fuiſſe reperio, ut multũ vitij in noſtro more eſſe fatear, ita haud ſcio, an cum veterũ ratione, nimis expreſſus ille ἐν διφθόγγοις ambarum vocalium vim ſuam retinentium ſonus congruat. Neq; enim tam obtuſas aures Athenienſes habuiſſe exiſtimo, ut non animadvertere diſcrimen inter λιμὸς & λοιμὸς potuiſſent, ſi tam craſſa fuiſſet & aperta ſoni differentia. Itaq; ut nos in tanta quaſi linguæ & oris peregrinitate illam rotundam & volubilem Græcorum pronunciationem conſequamur, ſumma nobis diligentia, aſſiduo uſu, limato judicio, naturâ idoneâ opus eſſe judicio. Nam quò horridior eſt vox noſtra, ſpi-

ritus aſperior, ſonus vaſtior, eò difficiliùs ad lenem illam, preſſam & æquabilem vocis moderationem, qua olim in Græcia uſi ſunt, accedere poſſumus. Quocirca timemus, ne in hac impuritate & inſolentiâ à vitio in vitium, ab errore in errorẽ incidamus. Quod ſcimus cuidam noſtratium accidiſſe, qui ut commune vitium in ſuppreſſione alterius vocalis in diphthongis affugeret, dum vaſtiùs utramq; diducit, omnibus ſe deridendum præbet. Quid igitur? ſatinné hoc eſt, ut non delinquere videamur? errorem nos quidem, Rogere, fatemur, ſed quia autores nobis & duces deſunt, qui priſtinam & incorruptam pronunciationem apud nos revocent, tollere eum nõ poſſumus. Neq; enim tantũ nobis eruditionis & authoritatis ſumimꝰ, quicquã ut nos nova hac in re præſtare poſſe exiſtimemus. Velim igitur tu apud illos, (quorum doctrina, exiſtimatio & authoritas altiori in loco poſita eſt) efficias, eam ut in ſcholas docendo inducãt: nos quoq; operam dabimus, ne noſtro officio defuiſſe videamur. Quod ſi vobis in Anglia bene hæc pronunciationis emendatio ſucceſſerit, erit id nobis tam gratum, quàm quod gratiſſimum. Bene vale. Heidelbergæ, 15. Cal. Auguſti 1553.

DOCTISSIMO VIRO, ROGERO ASCHAMO, *Cantabrigienſi, amico obſervando, Hubertus Leodius.*

S. Quòd ad aliquot epiſtolas tuas eruditas ſanè & jucundas, hactenus non reſponderim, Doctiſſime Aſchame, ne putes quæſo negligentiâ tui aut negotij, pro quo ſcriptæ erant, factum. Abſit enim hoc à me procul, ut tantum amicum negligam, vel

vel Reſpub. literariæ ſigna deſeram, mutatiſve armis, transfuga, in tua caſtra confugiam. Turbulenta tempora, & vertigo capitis, qua dudum laboro, non tulerunt me hiſce rebus vacare, quæ meditatione egent. Præterea expectabam *Olympiæ* ad nos adventum, quæ certiora, & nimirum in ijs literis ab ineunte ætate nutrita, doctiora ſcribere potuiſſet, quàm à me queas expectare. Sed proh dolor, ea in oppido Swinfurto unà cum marito, longo jam tempore gravi obſidione cincta detinetur. Quapropter ne te diutius literis noſtris fraudari querare, exoravi *Ciſnerum*, ut noſtro, hoc eſt, ſuo, *Micylli*, ac meo nomine reſcribendi officium ſuſciperet: quod ille non gravatè fecit, putoq; ab eo tibi ſaltem in parte ſatisfactum iri. Quòd ſi etiam à me ultrà quid ſentiam, requiris; neq; in hoc tibi deeſſe volo. Scito igitur invictum me in acie perſtare, nec velle ſacramento abſolvi, ſed ut quemadmodum tu, à βῆτα quoq; incipiam, admitterem forſan, hanc literam non ſonare ut V. noſtrum, factum conſonans; ſi viciſſim conſiterere, hoc non eſſe perpetuum: neq; enim ut malim dicere βάλσαμον, & βάρβαρος per β, ita βαδίζω & βαίνω & βάλλω, badizo & baino & ballo dicerem, ſed potiùs per quaſi V mihi ſonuerint, conſulens aurium judicio; inſuper βίος, id eſt, vita, per V quàm per B: malo etiam βῆτα, id eſt, beta, ut Juvenalis, dicamus, quàm vita. & alphabétum quàm alphavetum. Sed ut certum habeas exemplum & authorem, ſcribit *Euſtathius*, Græcos quoſdam Βίλιππος pro Φίλιππος, & alios βαλλήνη ἀντὶ τοῦ παλλήνη, & loqui & ſcribere propter vicinitatem & conſonantiam β cum φ, & π. Ecquid faciunt Bavari, ut ex

barba-

barbaris aliquid præſidij aſſumam? nonne dicunt pro barbara warwara? & ſic de alijs B habentia, w Germanicum pro b uſurpantes. Sed de β ſatis: Nunc veniamus ad η. non perſuades ſanè mihi, eam literam ſonare ut duplex εε: neq; uſquam dicit *Euſtathius* ejus eſſe ſoni, etiamſi dicat eſſe imitationem vocis ovium, non propterea ſequitur, eam literam ad amuſſim ſonare vocem ovillam. Quod ut verum eſſe ſcias, & tuo te jugulem aurhore, ponam ipſiſſima Euſtathij verba εἰς τὴν ἰῶτα ῥαψῳδ. Βλέψ τὸ μονοσύλλαβόν ἐστι, ὁ τῆς κλεψύδρας ἦχος μιμητικῶς κατὰ τοὺς παλαιούς, ὥσπερ φασὶ καὶ κὺξ ἐπὶ τῆς ψήφου κατὰ μίμησιν καὶ αὐτό. οἱ δὲ αὐτοὶ φασὶν ὁμοίως μιμητικῶς καὶ βῆ, ἢ μὴν βαὶ μίμησιν προβάτων φωνῆς. Κρατῖνος, ὁ δηλοίθιος, ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει. hæc eadem ſcribit & *Suidas*. Audis eſſe imitationem, non expreſſionem vocis. Aliud autem eſt imitari, aliud exprimere, aut aſſequi vocem; quemadmodum, quod pace tua dixerim, tu imitaris in ſcribendo Ciceronem, non exprimis aut aſſequeris. Præterea audis, Atticos exiſtimaſſe, βῆ, non βαὶ vocem ovis eſſe μιμητικὸν, quod magis ovinam vocem repræſentaret, ſiquid ēm voluiſſent ipſiſſimam vocem ovis repræſentare aut exprimere. Veluti etiam dicunt βληχή, ceu βλήχημα vocem ovis eſſe dictionem, nihil ut ovis ſona nem, etiamſi ſciam interpoſitione τοῦ λ fieri, & qu id ſonat Latinis Balatus ſimile ad ovis vocem, & tamen Balare dicitur ovis; ſic latrare canis, ſic grunnire porcus, & hujuſmodi; ſic & etiam βῆ non verè exprimere vocem, ſed tamen eſſe vocem ovis, improprie dixeris, & non βεε propterea ſonare, ſed βη, η longo. Iam adſertum puto, η ſuam genuiſ-

genuinam vocem & e longum, vel ι ſonare Græcis; neq; veteres aliter hac litera uſos puto, niſi ut charactere ab ε vel ἰῶτα differret, non ſono; & ſignum foret longum eſſe ε vel ἰῶτα, quod eſt indifferens, leniterq; mihi ſonuiſſe: pari modo videtur, dicendum de ὀμικρὸν & ὤμεγα, charactere quidem, ſono vix quicquam differre. Latini ſcribunt h. Itali non exprimunt, niſi uſq; adeò exiliter, ut aſpirare non deprehendas; ſic Græci etiam aſpirationem notāt t. Æoles prorſus rejiciunt; pleriq; σ non admittunt, ne videantur ſibilare; alij η per α malunt exprimere, ne videantur imitari oves; uſq; adeò delicatas habuerunt aures. Diphthongum ει non tuo, ſed noſtro more ι ſonuerunt, quod ex tuo Cicerone non potes negare in dictione bini, ubi binei illi dicendum fuiſſet pro βινεῖ. Quòd ſi conſulas aures, deprehendis longè dulciùs ſonare per ι. Et hinc fit, quòd non immeritò à Saxonibus & Helvetijs rideantur Suevi, bianti ore hanc diphthongum proferentes, in *Meum, Tuum, Suum.* Quapropter (mi Aſchame) ne ſonueris mihi βέεζα, ſed potiùs βῆτα, vel βῆζα per ἰῶτα; neq; cum ὤμεγα pronuncias, videaris os plenum pultibus habere, vel auriga eſſe. Quod ſi objicias mihi Dores, admittam apud indoctā & rudem plebem olim fuiſſe moris; ut apud Theocritum, ἐν Συρακουσίαις, mulieres quædam irridentur ab homine aulico & erudito, non ferente eas Doricè garrire, hoc eſt, nimium latiori ore loquentes, in his verſib. Παύσασθ', ὦ δύστανοι ἀνήνυτα κωτίλλοισαι τρυγόνες ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα. Docti autem & civiliores non multùm curarunt ω. an ο proferrent, ut qui ω & ου diphthongum in ὀμικρόν & α mutabant, prout exigebat neceſſitas, ut apud eundem in hoc

verſu, Μήμαν λωβάσησθε τὰς ἀμπέλως ἐντὶ γὰρ ἄβαι: ubi Doricè ἀμπέλως dicendum fuit, & ἀμπέλους communiter,, οο mutant in ου. Iones ſolvunt diphtongos, alij aliter, ut appareat, Græcos non magnopere curaſſe pronunciandi modum, quem tu tantopere exigis in lucem revocare. Habuit unaquæq; natio ſuum idiotiſmum. Sed dic quæſo mihi, quam è quinq; illorum linguis tuum ſervaſſe modum, & quomodo probabis. Quod enim per characteres id argumento aſſerere conaris, opinionem probas, non ſcientiam, & quo tempore ita loquebantur, certè doctiſſimum Ciceronis ſeculum tibi adverſatur, quem tamen Græciſſimè locutum, etiam admiratione Græcorum, non ignoras, ut tu ipſe in dictione bini intellexiſti. Præterea ſcis, quàm inviti Dores & Æoles in ſecundis & tertijs perſonis & infinitis ει diphthongum exprimant, quin potiùs expungunt: dicunt τύπτω, τύπτες, τύπτε, & Æoles τύπτης, τύπτη, τύπτεν in infinitivo: item dicunt Dores κῆνος ἀντὶ τοῦ ἐκεῖνος, ἐς ἀντὶ τοῦ εἰς. Deberetis etiam atq; inprimis docere, veteres cū proferrent veſtro, ut vultis, more; meliùs, ſuaviùs & doctiùs locutos fuiſſe, & rectiùs feciſſe, quàm poſterius ſeculum: tenaciusq; retinendum, quæ mater Evandri & Oſci atq; Volſci loquebantur, quàm quæ aurea Ciceronis ætas garrivit. Haberem adhuc plurima ſcribenda de reliquis diphthongis & literis, quibus oſtenderem, vos innovatores literarum, ad mille quingentos annos obſervatum pronunciandi modum velle jam confundere, & ad Phœnices & Cadmum revocare; vehementerq; errare: ſed nec caput meum admittit, imò & amanuenſi uti compel-

compellit; & te aliâs ob amiſſum juvenem Regem, nimium triſtem & calamitoſum, nolo vehementiùs conturbare. Quare, mi Aſchame, boni conſule, & clariſſimum Dominum Moryſinum meo nomine plurimum ſaluta, atq; vale. Heidelbergâ nono die Auguſti, Anno 1553.

De Hiſtoriæ lectione ad Alexandrum Pflug.

EX amore meo ſingulari in te, Alexander Pfluge, proficiſcitur: ut tametſi nec ego multum conſilio valeam, & tu eò abundes: prætermittere tamen nequeam, quin ejus tibi ſermonis memoriam renovem, quem de legendis hiſtorijs, pridie ante meum diſceſſum à vobis, in hoſpitio Raphaelis Seileri habuimus. Quod enim, mi Alexander, ingenio eleganti, & judicio pro ætate tuâ præſtanti præditus es, multum mihi crede ad adminiſtrandam Rempublicam facultatis comparare poteris, ſi ante meridiem horas aliquot, vel in Ciceronis officijs, vel Latinis hiſtorijs legendis poſueris: poſtmeridiani autem temporis tertiam tantùm partem, in eas quæ Gallicâ linguâ ſunt conſcriptæ, contuleris. Oneris tibi quidem quicquam imponere neq; audeo, neq; debeo: Sed tamen quòd incredibilis meus in te amor me tibi ſcribere cogit, in malam, ut ſpero, partem non accipies. Ut autem ordine ad cognitionem accommodato, præcipuas à condito mundo hiſtorias mente comprehendas, utile fuerit temporum rationem, ſecundum monarchiarum ſeriem, ſequi, in hiſtoriographorum lectione. Primò igitur

quæ

quæ Chaldæorum, Aſſyriorum, Medorum Monarchiam præceſſerint, ex ſacris literis petenda ſunt, quæ breviter ſunt libro primo in Chronicis Carionis (vel potius Philippi Melanchthonis) comprehenſa, Quæ temporibus primæ Monarchiæ, quæ Aſſyriorum, item ſecundæ, quæ Perſarum fuit, partim in ſacris literis ſunt deſcripta, partim ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte memoriæ tradita. Herodotus ut vetuſtiſsimus horum, ita de primâ Monarchiâ ſcripſit fuſius, attigit tamen & Perſarum res geſtas præſertim Xerxis, cujus ætate Herodotus vixit. Thucydides quanquam bellum Peloponeſiacum, quod inter Græcos, Lacedæmonios & Athenienſes præcipuè, amplius annos XXVIII. geſtum eſt, ſibi propoſitum habuit: tamen etiam de Perſis, præſertim Artaxerxe Longimano ſcripſit, quo imperante floruit. Xenophon etiam in rerum Græcarum commemoratione, quæ à Dario Notho, à Cyro Minori, Darij filio, ab Artaxerxe Mnemone geſta ſunt, complexus eſt. Interfuit enim ipſe miles illorum Regum bellis. Inde quomodo à Perſis ad Græcos, Macedones nimirum tranſlata ſit Monarchia, diligentiſſimè exponit Diodorus Siculus, qui hiſtoriam ſuam exorſus, à bello Trojano, uſque ad tempora Julij Cæſaris perduxerat, & in monumentis ſuis, ſpatium CIↃ CXXXVIII. annorum comprahenderat, impenſis in collectionem hiſtoriarum, & operis ſui compoſitionem annis XXX. & à ſe peragratâ maximâ Aſiæ atque Europæ parte: ſed temporum injuriâ decem libri priores interierunt, cum poſtremis quibuſdam, & ſuperſunt ſolùm

ex illâ Hiſtoriarum Bibliothecâ, (ita enim, teſte Plinio, Diodorus opus ſuum inſcripſerat) ſeptem libri, quibus copioſe, quæ memorabilia ab expeditione illâ nobili, Xerxis in Græciam, uſq; ad Alexandri Magni mortem acciderunt, tractavit. Ejuſdem prætereà Alexandri Magni præclara geſta, Arrianus Græcè, Quintus Curtius Latinè ſcriptis mandarunt. Breviter autem atque ordine harum trium Monarchiarum ortus, viciſſitudines, interitus, quæque digna memoriæ ab alijs gentibus acta ſunt, Juſtinus, atque Philippus Melanchthon, ſub Ioannis Carionis nomine libris ſuis ſunt complexi: quorum alter initia etiam atque incrementa Monarchiæ Romanæ, alter præter hæc omnes ejus mutationes in ſcripta ſua retulit.

Romanam hiſtoriam ab urbe conditâ, uſque ad tempora Auguſti, ſummâ cum laude perſecutus erat *Titus Livius*, ſed poſteriores libri incuriâ ſuperiorum ſeculorum interciderunt. Exſtat tamen adhuc *Flori* epitome, ex quâ, quod deeſt, quantum ad ordinem & ſeriem, quoquo modo reſarciri poteſt. Cum his conferre non inutiliter quis poteſt, quæ à *Polybio* & *Dionyſio Halicarnaſſeo* eodem in argumento ſunt conſcripta. Quod ſi etiam quis, quæ â libero populo Romano res adminiſtratæ, & bella confecta fuerint, ſeparatim velit cognoſcere, *Saluſtium*, *Cæſarem*, *Appianum* legere poterit. Poſt Reipublicæ ſtatu in Monarchiam à C. Iulio Cæſare redacto, cujuſque Imperatoris vita & res geſtæ ſunt ex antiquitatis memoria ordine repetendæ. Quo in genere legendi *Sueto-*

nius,

nius, & cum eo conjungendus *Cornelius Tacitus*, *Dion Nicaus*, *Ælius Spartianus*, *Julius Capitolinus*, *Ælius Lampridius*, *Trebellius Pollio*, *Flavius Vopiſcus*, alijque, qui in eodem argumento ſunt verſati.

His addenda lectio eorum ſcriptorum, qui poſt illos, de Græcis & Romanis Imperatoribus hiſtorias, Chronica, epitomas, & compendia contexuerunt. Quorum cum permulti & veterum & noſtra fuerint memoria, ex magno illo numero optimi & probatiſſimi ſunt deligendi. Quod ſi etiam bellorum Gothicorum, Turcicorum, Vandalicorum, & cùm Italiæ, cæterarumque vicinarum provinciarum: tum urbis Romæ notitiam habere velit: eam ex *Procopio*, *Agathia*, *Paulo Diacono*, alijsque ejus generis authoribus, poterit deſumere. Scripſit etiam ſuperioribus temporibus, de inclinatione Imperij Romani *Blondus*, & eadem de re in Enneadibus ſuis *Sabellicus*. Sed infinitum verè, & ſupervacaneum eſſet omnes recenſere, qui poſt Conſtantinum Magnum in hoc ſcribendi genere elaborarunt. *Cetera ſunt amiſſa.*

AMICO N. IN GALLIA.

S. Poſteaquam à vobis Andibus diſceſſi, rationes veſtras recognoſcendi non fuit otium. De mea conditione ſic habe. Iam mihi & ut officio fungar Conſiliarij & Profeſſoris Iuris à Principe Illuſtriſſimo injunctum eſt, & decretum honeſtum ſalarium. Sed me quid amplius conſecuturum ex ſponſione ſpero. Commodorum etiam Academiæ, atque alij Profeſſores, non minus particeps ſum. *Landſchadius* noſter unà mecum in Iudicio Curiæ aſſidebit. Nunc demum ei Iuris exercitatio eſt neceſſaria, ut & à me, volente ita Patre, quotidiè exercetur. Ipſe nunc abeſt; alioqui tibi reſpondiſſet. Pater ejus, ut à me aliquando cognoſces, in me gratiſſimus eſt. Hæc de noſtris. Nova hæc habemus. Tota Saxonia pacata eſt, Peſtis ita graſſatur in Polonia, ut aliquæ urbes prorſus deſerantur. De Livonijs, Moſcho & Tartaris hæc nuper ad nos ſcripta ſunt, quæ hic leges. Filius Regis Suediæ in Angliam magno cum apparatu Reginam Angliæ, ut ajunt, ambiendi gratia appulit. Ejuſdem filia Comiti Embdenſi nupſit. Scoti Gallos ex Scotia ejecerunt. In Gallia Syracaſanus Syracuſano ſucceſſit. Regni Adminiſtratores, connivente Navarro, ſunt fratres illi duo Lothareni, Caſtor & Pollux: Utinam tamen. Annas Burgius, quem tu docentem audiviſti Aureliæ, ob ſingularem in Religione conſtantiam Parrіſijs ob Religionem adhuc captivus detinetur. Interceſſit pro eo nuper Princeps noſter optimus (Elector Fridericus) ſibique ad interpretandum hic Ius civile dari

Burgius.

petijt.

petijt. Utinam illum impetret. Apud Aquiſgranenſes & Treviros melior pars ab altera vincitur. Argentoratenſes peracto illo novennio, quod Clero, mandante Imperatore, conceſſerunt, ſignificarunt Clero, ut aut urbe excedat, aut Papatum deſerat. De electione Pontificis, alijsq; rebus Italicis quæſo ad me copiosè ſcribe. Nationis noſtræ Procuratorem unà cum D. Arnſtetero, & Schulenbergero, D. Vogelo, cum univerſa ſua cohorte Prætoria D. Schwendium, ſi adhuc apud vos ſunt, plurimùm ſalvere jubeo. Benè vale. Heidelbergæ. Pridie Calend. Novembr. 1559.

N. AMICO, AVGVSTAM.

Literas tuas, vir clariſſime, Idibus Martijs datas, Nonis Aprilis accepi: Quarum argumentum, nec mihi, nec ijs, quos tibi propoſui, improbatur. Nec doctiſſimi viri Domini Chriſtophori Herdeſiani conſilium mihi diſplicet. In nullâ enim Galliæ Academiâ, bonæ literæ aut rectiùs aut diligentiùs docentur, atque Pariſijs. Sed tamen an commodè, hoc tempore, exteri in Galliâ agere poſſint, tui ſit conſilij. Ego certè in tantis motibus illic morari nolim, de quibus ad Principem noſtrum ſcriptum eſt, cujus exemplar D. Chriſtophoro Herdeſiano miſi, ut vobiſcum communicet.

Quòd à me petis, ut meum tibi de G. Xylandro judicium ſcribam: tametſi non is ego ſum, qui tantum mihi tribuam, ut de me doctioribus cenſuram ferre velim: tamen hoc tibi confirmo, & diligen- *Xylander.*

tiam & ſtudium & eruditionem Xylandri, vehemēter mihi comprobari. Elaboravit is hactenus in Plutarcho Græco in Latinum convertendo: & ut ab ipſomet intellexi, multa in eo & ſingularis diligentiæ, & accurati judicij teſtimonia expreſſa relinquet. Dignus is profectò eſt, magnatum & patrocinio & ope. Itaque & tibi eum diligenter commendarem, niſi ante is ab ingenio, doctrina & vitæ probitate tibi commendatior eſſet, quàm ut mea illi opus ſit commendatione. Sed tamen ſpero, quæ tua eſt humanitas, ob hoc de illo teſtimonium meum, aliquid ad amorem in eum tuum acceſſurum.

Quæ de Anglorum in Scotia ſubſidio *contra* Gallos ſcribis; ea nos etiam ante accepimus: prudenter diuturnum illud bellum fore conjicis. Nos hoc anno ſperamus à bello immunes fore. Quod tibi de ſeditioſis hominibus, idem omninò & mihi videtur. Et certè majori curæ res illa *Principibus* eſſe debebat: ut turbarum autores coërcerentur.

Inter Illuſtriſſimum noſtrum Electorem, & Palatinum Bipontinum tranſactum eſt. *Johannes Welhelmus Saxo* propediem hic cum filia Electoris noſtri, & *Ludovicus* primogenitus, poſt menſem unum aut alterum, cum filia Philippi Landgravij Haſſiæ, Marpurgi nuptias ſunt celebraturi. Et alioquin optimi noſtri Principis (*Friderici El.*) conſilia magis ad pacem, quàm ad bellum ſpectant. Reliquum eſt, meam tibi operam atq; ſtudium deferam: quæ, ſi quibus in rebus tibi inſervire potero, nō deerunt: ſin minus, tamen benevolentiæ erga me tuæ, amore, & obſervantia reſpondebo mea. Clariſſimo viro D. Baptiſtæ Henzelio, & me commendo, & ſalutē dico. Vale. Heidelbergæ, Nonis Aprilis 1560.

CLARISSIMIS VIRIS D. PETRO CALEFATO, equiti aurato, & D. HIERONYMO MALEVOLTÆ, patritio Senenſi, in inclytâ Piſanâ Academiâ Juris Civilis Profeſſoribus Nicolaus Ciſnerus S.

VT acceptis à vobis ſummis in noſtro ſtudiorum genere inſignibus, confectoque itinere Romano Bononiam redij: Franciſcus Robortellus vir omni laudis genere præſtantiſſimus, quàm ad ſe honorificè de me ſcripſeritis, mihi, alijs quibuſdam amicis præſentibus, expoſuit. Ac tametſi quod eximium eſt Robortelli, in tuendis & ornandis amicis ſtudium, plura eum pro ſummâ ſuâ humanitate in mei gratiam commemorare putarem, quàm à vobis ad illum relata eſſent: tamen cùm doctrinâ & virtute ornatiſſimi viri, Petri Victorij nomine, ad me eadem Florentiâ perſcriberentur; ita tum illorum, tum veſtram inſignem illam in me benevolentiam ſum complexus: perquàm moleſtum ut mihi eſſet, quod quantum me omnibus vobis debere intelligerem, tantum in referendâ gratia perſolvere non poſſem. Etſi enim ſcio, non ab his me vel naturæ vel doctrinæ præſidijs eſſe inſtructum, ut vel veſtri de me prædicationi reſpondere, vel exſpectationi ſatisfacere queam: tamen egregia illa ſive judicij, ſive amoris erga me laudatiſſimorum virorum ſignificatio non potuit mihi non vehementer eſſe jucunda. Ut enim veritatis non ſit teſtimonium: tamen ſingularis veſtræ in me benevolentiæ eſt indicium: quam ego tanti facere ſoleo, quanti rem

ullam quæ in hac vita humana eſt poſita. Quod igitur quam veſtra Amplitudo gratiam poſtulat, eam ego in hac tenuitate præſtare non poſſim: eam tamen quam poſſum, quanquam in re exigua, præſtabo. Equidem in hoc ipſo me aliquam mei erga vos amoris & obſervantiæ partem declarare ſpero: cùm in qua materia apud vos interpretanda, ſi temporis ſatisfuiſſet, vobis patronis uſus fuiſſem, in ejuſdem diſceptatione nunc etiam vos advocavero. Cujus tractationem in duas diſpertiri partes viſum eſt, quarum priore ex veterum monumentis repetita, quid olim florente Romanorum Imperio, cuivis populo in jure ſtatuendo licuerit: poſteriore autem ex recentiorum interpretum commentarijs omnibusque noſtris delecta: quid in hoc rerum ſtatu eodem in genere liceat, oſtendam. Nam quia diverſa antiqua tempora ab his noſtris, cùm alijs multis in rebus, tum præſertim in hoc inſtituto fuerunt: conferenda ea inter ſe eſſe, non confundenda puto. In hac igitur diſputatione, ſi meæ erga vos obſervantiæ teſtificationem in bonam partem acceperitis, maximi beneficij loco ducam. Valete, Heidelbergæ. Anno 1559.

CLARISSIMO VIRO IACOBO CVIACIO, Iuriſconſultorum noſtræ ætatis principi. S. D.

CUM Theophilus Daſypodius, Petri Daſypodij, de optimarum artium ſtudijs benè meriti, filius, mihi ſignificaret, ſe ad vos profecturum: intermittere nolui, quin ei has ad te literas darem. Etſi

enim

enim Biturigibus cum eſſem, te ut anteceſſorem meum obſervavi & colui: tamen nunc, ex diligenti lectione eorum librorum, quos ad purgandam atq; illuſtrandam Juris diſciplinam edidiſti, multò plus ad priſtinam meam erga te obſervantiam acceſſit. Inprimis verò doctiſſimi illi commentarij tui in tres poſteriores libros Codicis Iuſtiniani, ita me ceperunt; ut quid de ijs ſentiam, vix hîc exprimere audeam, ne auribus id tuis dare videar. Sed tamen, quia in primo meo libro, de origine eorum beneficiorum, quæ vulgò feuda vocantur, meum de illis tuis commentarijs judicium expoſui, non video cur hîc id non referam, Exiſtimo igitur, non modò, te *Andream Alciatum* longo intervallo poſt te reliquiſſe, ſed & omnes eos, qui de his materijs ſcripſerunt; quæ in tribus illis libris continentur, plurimùm ſuperaſſe. Neque verò hæc ad te ſcribo, quòd tibi ſummo viro hoc meo opus ſit teſtimonio: ſed tum ut hac meâ ſententiâ, obſervantiam quoque & ſtudium erga te meum declarem: quod tibi ideò ingratum non fore confido; quòd ... olim Biturigib. tuam in me benevolentiam multis ex rebus perſpexerim: tum ut te communium ſtudiorum Reipublicæq; causâ orem, ut non ... ecus Græcas conſtitutiones, quæ deſiderantur, ... ijs novem libris addere velis, quemadmodum tri...us his poſtremis ἐκ τῶν βασιλικῶν adjeciſti: Deinde ut ſimili genere commentariorum, Theodoſianum Codicem & reſtituere nobis, & expolire velis. Hæc enim tu omnium optimè, atque haud ſcio an præter te quiſquam rectè præſtare poſſit. Quantum de Iure ſis hoc tuo ſtudio meriturus, probè in-

telligis: & quia intelligis, quàm primùm te communi non tam utilitati, quàm neceſſitati ſubventurum ſpero. Me ſanè, qui à te hujuſmodi opera incredibili deſiderio & expeto & expecto, ante obligatum, his meritis in Rempubl. magis devinxeris. Quod reliquum eſt, hic, qui has tibi literas fert, adoleſcens, Iuri apud vos operam eſt daturus: nam quia nullam Iuris ſcholam, vel in Italiâ, vel in Galliâ, vel in Germaniâ (quamvis multas perluſtrarim) novi, quam cum veſtrâ conferre vel poſſim vel debeam; cui etiam quicquid in me eſt quod ſentio quàm ſit exiguum, acceptum fero: idcirco pleriſque Iuris ſtudioſis auctor ſum, ut ad vos ſe Iuris Civilis diſcēdi causâ conferant. Etſi autem ſcio, te pro inſigni tuâ humanitate, noſtrates, qui iſthuc tanquam ad mercatum civilium ſtudiorum veniunt, tuâ ſponte complecti ſolere: tamen cum hic Theophilus à me petierit, ſe ut tibi commendarem tibi illum meâ quoque de causâ commendatum fore ſpero. Bene vale. Heidelbergæ, 6. Idus Iunij. 1562.

T.

Nicolaus Ciſnerus.

CLARISSIMO VIRO CONRADO DASYPODIO, *publico Scholæ Argentoratenſis Profeſſori, Domino & amico ſuo.*

S. Cum frater tuus Theophilus ſe à nobis omnino diſceſſurum ſignificaret: & ſi quid Argentoratum ſcripturus eſſem, ſe libenter eò perlaturum pollliceretur, intermittere nolui, quin has ad te literas darem. Nam & tibi & fratri tuo hanc epiſtolam non ingratam fore ſperabam; tibi, ut intelligas, me me-

me memoriam amicitiæ noſtræ conſervare: fratri, ut hoc quaſi teſtimonium meæ erga ſe benevolentiæ habeat. Quid ſi enim vobis aliqua in re opera ſtudioq; meo adeſſe potero: dabo operam, ut in me amici hominis officium non deſideretis. Idem mihi de vobis perſuadeo. Incipit hîc graſſari peſtilentia. Fortaſſe, ſi ita Deo viſum fuerit, ad vos proficiſcar. Bene vale. Heidelbergæ, 4. Calend. Auguſti. 1562.

Nicolaus Ciſnerus.

CLARISSIMO IVRISCONSVLTO HUGONI DONELLO, *Profeſſori Biturigib. Domino & Præceptori ſuo S. P.*

SCripſit ad patrem ſuum, Principis noſtri conſiliarium, Ionas noſter, meam ſibi apud te commendationem plurimùm profuiſſe; itaque & tibi apud me mihiq́ue propter te gratias maximas egit. Quando igitur apud gratum hominem, hoc tuum poſuiſti beneficium; te majorem in modum oro; ut quod ſine moleſtia tua fiat, etiam poſthac filio commodes. Ego etiam, mi Præceptor, cùm tantum meæ apud te literæ potuerint, licet multum antè, tamen jam longè plus tibi me debere & fateor, & quoad vixero, fatebor. Et quia tuam erga me benevolentiam quam plurimi facio; etiam alijs amicis meis, tui ſtudioſis, notam eſſe volo: non dubitavi, nunc etiam Iohannē Schulteſium Hamburgenſem tibi commendare; non quòd ambitione meâ, tua contur-

conturbare ſtudia velim; ſed cùm author fuerim, ad vos potiſſimùm ut proficiſceretur, non moleſtum tibi foreputavi: ſi illum tuo potiſſimùm patrocinio committerem. Fuit mihi hîc magnus cum eo uſus; adoleſcentem probum & modeſtum, & ſtudijs noſtris, & cum ingenio, nec ſine induſtriâ deditum cognovi. Quanquam de his ego ad te ſcribere non debeo, de quibus tu ipſe rectiùs pro ſingulari tuâ prudentiâ judicabis. Quare ſi his literis tuum erga ſe ſtudium fuerit conſequutus, & gratum illum obſervantemq; cognoſces, & me multis tuis magniſq; beneficijs tibi devinctiorem reddes. De rebus noſtris & publicis & privatis coram ex eo intelliges. Bene vale. Heidelbergæ 5. Calend. Aprilis. 1564.

T.

Nicolaus Ciſnerus.

MAGNIFICO V. D. HUGONI DONELLO, Inclutæ Acad. Heidelb. Rectori, & Juris Anteceſſori primario, Nicolaus Ciſnerus.

S. Amicus idem meus atq; idem tuus, vir clariſſime, *Juſtus Reuberus* Iuriſconſultus, nuper mihi ſignificavit, quod vocatus à Leidenſibus & profeſſionis munere & Rectoratus Magiſtratu te abdicâris: Verùm tantâ humanitate & benevolentiâ Illuſtriſſ. Principem Electorem tecum egiſſe, ut conſilium tuum commutâris & Heidelbergæ manere conſtitueris. Heri verò à L. Willero utriuſq; noſtrum

ſtrum amantiſſimo accepi, te in inſtituto tuo diſcedendi perſiſtere. Quod ſanè & propter veterem conjunctionem noſtram & propter Academiam mihi cariſſimam, cui tu ornamento fuiſti, graviter fero. Ac cùm, quod præcipuè ſpectare debemus, cautum tibi ſit non modò de libertate conſcientiæ ſed & Religionis uſu, ſpes etiam facta ſit de acceſſione ſalarij, quo nemo ànte te amplius Heidelbergæ habuit: haud ſcio, an ex re tuâ ſit, Leydam te ire. Ut enim ibi uberius tibi honorarium ſit promiſſum: tamen dubito, an in illâ Belgicarum provinciarum perturbatione ſemper integrum ſis percepturus. Deinde ex Galliâ tanquam ex ſævâ & exitioſâ maris tempeſtate in Germaniam quaſi in portum tutum te contuliſti. Nunc verò ex loco pacato in regionem diuturnis bellis preſſam, & multis magniſq; incommodis agitatam te recipis, quorum finem & exitum adhuc proſpicere non potes. Nam ſi in conventu Coloniæ res Belgicæ non componantur, & pacificationem illam non ſucceſſuram, cùm multis alijs de cauſis, tum quod reformatæ religionis exercitium liberum id flagitantibus non permittitur; non eſt difficile conjectare, multos adhuc annos illas provincias funeſtis bellis implicitas fore. Et quoniam non ſolùm diſſentientes verùm etiam alieno inter ſe animo ſunt ordines illi: metuendum eſt, ne indies magis atque magis Hiſpanorum res augeantur, Ordinum imminuantur: præſertim cum pecuniâ ad ſolvenda militi ſtipendia, quā nervum bellorum eſſe Demoſthenes compertū habuit, deſtituantur. Ac ut per annum aut biennium Hollandiam non invadant: tamen, ſi vicinas provin-

cias

cias Hiſpani, qui jam Geldriam oppugnant, in ſuam adduxerint poteſtatem, præſertim ſi navigationem Rheni interceperint, maximis propinquiores Hollandiæ civitates rerum ad victum neceſſariarum difficultatibus conflictabuntur. Ac ne ea vel jam, vel futura ſit annonæ caritas timeo, ut duplo aut triplo emendum ſit, quod ſimplo Heidelbergæ comparare potes: id quod de vini pretio mihi dubium non eſt. Accedit aër craſſus & æquo humidior, qui ne conſtitutioni corporis tui conveniat, vereor; cum jam in cōmodo & ſalubri loco degas. Adhæc plus Iuris ſtudioſis Heidelbergæ, quàm Leidæ prodeſſe potes. Neq; enim iſthuc tam multi ex alijs regionibus confluent, cùm nec tutò undiq; iſthuc proficiſci queant, neq; ſe facilè periculis, quæ imminere ſibi metuunt, objicere velint. His omnibus de cauſis & tutius & ſatius eſſe exiſtimo, ut Heidelbergæ commoreris, quàm ut in Hollandiam abeas. Et cum tot annis Academiam Heidelbergenſem docendo interpretandoq; jure illuſtraris, cogitandum tibi relinquo, an quam tuâ operâ, & pro tuo officio ſcholam excolueris, eam nunc deſerere vel poſſis vel debeas. Hæc optimo & amiciſſimo animo erga te profecta, oro ne in malam partem accipias: quanquam & pro ſinceritate ac rectitudine mentis tuæ & amicitiâ noſtrâ ſciam, te iniquo animo non ſuſcepturum. Mihi quoque veniam dabis, quod pro gymnaſio Palatinatus, in quo natus & educatus ſum, & cui pro virili operam ſtudiumq́; meum navavi, ſim ſolicitus. Moleſtum etiam mihi eſſet, ſi quo tempore mihi ad vos migrandum ſit, eodem tu inde emigres. Cogitabam enim & jucundiſſimâ tuâ
conſue-

conſuetudine frui, & Academiæ veſtræ, quibuſcunque in rebus poſſem opera ſtudioq; meo adeſſe, quod à me illa quaſi jure ſuo & poſtulat & flagitat. Neq; verò ideò hæc ſcribo, quod vel meas cogitationes vel λογισμοὺς prudentiſſimis tuis anteponam conſilijs, cum & ingenio me longè excellas & doctrinâ ſuperes, ætateq; antecedas: ſed quòd & ſententiam meam tibi exponam, & affectionem in te declarem, & quod, juxta illud Thaletis Mileſij, nihil ſit difficilius quàm in ſuis rebus ſibi ipſi conſulere, nihil facilius quàm alij in alienis. A me ſi omnia officia veri amici expectaveris, non fallam opinionem tuam. Bene vale, vir clariſſime. Spiræ, VI. Calend. Auguſti. Anno Domini 1579.

CLARISS. ET AMPLISS. V. D. NICOLAO CISNERO, *Imperial. Cameræ Aſſeſſori æquiſſimo, Dn. & amico obſervando, Hugo Donellus, Spiram.*

S. D. Accepi literas tuas, vir clariſſime, quibus me hortaris, ut depoſita Leidenſis conditionis cogitatione Heidelbergæ maneam. Omnia in eam ſententiam ſcripta, quæ ab amiciſſimo animo, & ſtudioſiſſimo mei profecta agnoſco & ſentio: quo mihi fuerunt jucundiora. Itaq; ut huic animo reſponderem, cupiebam ſtatim reſcribere. Sed inciderunt literæ tuæ in id tempus, cum de eo, quod ex me ſcire volebas, certi ſcribere nihil poſſem. Nam adverſus illam inquiſitionem, quæ in Senatum noſtram

ſtrum anteceſſerat, & quæ me in inſtituto planè confirmaverat, nova quædam converſio inſtitui videbatur; ſed ita, ut res adhuc penderet: quo fiebat, ut & ipſe de diſceſſu nihil certi aut conſtituti haberem. Nunc cùm in eo, quod inſtituebatur, aliquid videre cœperim, jam facilius de ijs, quæ cognoſcere velle viſus es, tibi reſpondebo: & ita, ut ſperem, me, quod ſcribam, & amicitiæ noſtræ & judicio tuo eſſe probaturum. Audiſti, ut video, de conditione Leidenſi. Eam initio delatam accepi ſub conditione. Exſtitit deinde ea conditio, & quidem ita, ut omnia in eas leges, quas dixeram, ſint à Leidanis & Ordinibus Hollandiæ delata prolixè, & publico inſtrumento unà & Ordinum Hollandiæ, Civitatis, Academiæ, ſigillis & ſubſcriptionibus confirmata, quod inſtrumentum apud me eſt, unà cum literis publicis, quibus ab ijſdem illis promiſſi admoneor. Ea impleta conditione, nihil mihi relinquebatur, niſi ut de fide præſtanda primo quoque tempore cogitarem. Ita quæſtio huc redit, non an fidem ſervare debeam, poſtquam conditionem accepi & me obſtrinxi; ſed an oblatam initio conditionem rectè ſuſceperim. Magnæ verò cauſæ f[illegible]runt, cur ſuſciperem. Vocatio erat honeſtiſſim[illegible] & cum dignitate, & quod ad ſignificationem Voluntatis Dei accedebat, à me nec ex[illegible]tita, nec cogitata. Quo tempore autem conditio oblata? quo mutationem huic loco impendere ominabantur. Tantam commoditatem, tam in tempore oblatam rejicere, hominis parum ſani; vocationem Dei in ea oblatione non videre, parum intelligentis; cognitam non ſequi, etiam improbi, & adverſus benignitatem

tatem ejus ingrati videbatur. Audiebantur præterea hoc loco quotidie iſtorum hominum turbulentæ conciones, quibus falſa teſtimonia adverſus noſtros dicendo plebi perſuadere conabantur, noſtros & Iudæis, & Turcis, & Diabolis ipſis eſſe deteriores; ſe noſtros Diabolo tradere dicebant; plebem adverſus nos omni contentione concitabant. Et parum erat cauſæ, cur tanta opportunitate rectè diſcedendi oblatâ, ego illorum hominum clamoribus & falſis criminationibus cederem? Sed præcipuè religio me commovit. Didiceram enim à legato ejus vocationis, homine & docto, & pio, & mihi amico, vocari me in ea loca, ubi & linguæ Gallicæ, & religionis ejus, quam colo, publicus uſus eſſet. Quæ cum omnia concurrerent ad amplectendi voluntatem, parui Dei voluntati, & benignitatem ejus tam opportunè ſe dantem religioſè & cum gratiarum actione ſum complexus. Nec dubium, quin factum meum omnibus bonis & amicis probaretur; quod & contigit, ac niſi me prudentia tua admodum fallit, rebus ita conſtitutis tu primus eſſes, qui conſuleres, ne conditionem à me amitterem. Accepta conditione cùm jam de fide ſolvenda ageretur, & tabellarius apud me hîc eſſet, ſtatim renunciavi locum Senatui, quo officium meum Leidenſibus probarem. Rogatus poſtea Illuſtriſſimi Principis mandatu, quas haberem cauſas ejus renunciationis, ſuperiores illas & alias nonnullas reddidi. Quibus cognitis egit, fateor, mecum Illuſtriſſ. Princeps quàm clementiſſimè & humaniſſimè, ne vellem diſcedere. Egit autem ita, ut polliceretur & mihi & collegis liberum exercitium religionis; ad-

Ppp j.

verſus collegas nihil ſe ſtatuturum contra leges & ſtatuta Univerſitatis; daturum ſe operam, ut fides mea apud Leidenſes quàm honeſtiſſimè liberaretur, & alia nonnulla ad ſtipendium & alias res pertinentia. Hæc clementia facilè me vicit, ut me ipſius Celſitudini iſtis conditionibus libenter ſubjicerem. Vide, quæ ſint ſequuta. Vix interceſſerant pauci dies, cùm illa ſolennis inquiſitio in nos & Senatum totum Academiæ inſtituta eſt: de qua, credo, nimium audiviſtis. In ea quàm indigna conſtituta ſint adverſus omnes, quàm adverſus leges & ſtatuta Academiæ, malo te ex alijs quàm ex me cognoſcere. Certè quidem hæc acta ſunt. Nos præſente quidem Principe, attamen non Principi, ſed S. E. qui tum ferè ſolus ſedebat cum ſolo ſcriba, ad ejus examen & inquiſitionem de rebus non minus civilibus, quàm divinis traditi ſumus. Petentibus nob. ſpatium unius diecula ad cauſas Principi maturius exponendas, propter quas talibus judicibus reſpondere non deberemus; æquiſſima poſtulatio repudiata eſt. Hac repudiata juſſi ſumus reſpondere ad ea, quæ ſingulis ſeorſim proponerentur, & juſſi nominatim pro poteſtate abſoluta. Allegantibus fidem & religionem jurisjurandi, qua Academiæ & Rector & Senatores obſtricti ſunt, reſponſum eſt magno ſupercilio, Principem pro eadem poteſtate abſoluta remittere omnibus jusjurandum: & pro hac ipſa poteſtate rurſum juſſi ſumus reſpondere. at quibus judicibus? non modò indignis, ſed etiam, quod omnes norunt, præcipua quadam ratione ſuſpectis, nempe capitalibus inimicis, ut quotidianæ ipſorum conciones teſtantur. Rector autem ſeor-

ſum

ſim vocatus, & interrogari cœptus, cum in fide & religione muneris manere conſtituiſſet, non modò pro Rectore habitus non eſt, ſed ne pro bajulo quidem, ac diù protelatus divexatusq; ut reſponderet, cùm id ab eo obtineri non poſſet, non ſine contumelijs ac minis dimiſſus eſt; ſcilicet quia nolebat violare jusjurandum; quia jura Collegarum & univerſitatis ſuæ fidei concredita prodere nolebat. Cum pergeret inquiſitio in ceteros omnes, idque tanto noſtri ordinis contemtu, ut noſtri etiam in privatas domos ab iſtis inquiſitoribus pro imperio vocarentur; cumque de indignitate ne querendi quidem locus eſſet: feci, quod unum reliquum erat, ut, quoniam alia omnia denegarentur, in priore vocatione manerem, & ne eadem, quæ prius iterum audire aut pati cogerer, ſtatim me Rectoratu, vel verius Rectoratus titulo & umbra abdicarem, quod tribus diebus poſt illam inquiſitionem à me factum eſt, admittente & approbante Senatu Acad. Eodem tempore moti ſuperioris inquiſitionis indignitate & probro, renunciarunt locum ſuum Senatui Acad. D. Dobbinus, & D. Lanojus, & feciſſent idem ceteri, ſi per facultates, & commoditates rei familiaris facere licuiſſet. Si bene animum tuum accepi, non puto hîc quidquam à me factum eſſe, quod tibi ipſi non probetur. Hortaris enim me, ut maneam, ſed in Academia Heidelbergenſi. Hoc ego ſic accipio, ut ſi nulla ſit Academia, non ſuadeas eſſe manendum. Atqui ſuperiore actione ea omnia, quibus jus & dignitas Academiæ ſtabant, ita illi ſunt ademta, ut jam illi libertate vetere præſcriptione fori ante 200. annos uſurpatâ; præciſo jurejuran-

do,quo veluti nervo illa ſuſtinebatur,judicibus non tantum indignis, ſed etiam animo infenſiſſimis hoſtibus ſubjecta ſit? Academiam ſi mihi dari velim, liberam cupiam, in ſervâ nolo manere, ubi liceat contra leges, quidquid libet. Suades præterea, ut maneam; ſed quia Princeps ſuperiora illa, quæ dixi, promiſerit. Quid ergo, ſi illa non præſtantur? quid, ſi fiant diverſa omnia? Nempe hoc ſuadere te intelligo, ne ſequar, neve priorem conditionem, quæ integra eſt, deſeram. Et quæſo, hoc eſt liberùm religionis uſum dare, ubi contra etiam religionem jurisjurandi facere cogaris? & dabunt iſti perpetuò liberum exercitium religionis, qui religione uti volentibus, ne unum quidem diem ad deliberandum num rectè uterentur, necne, conceſſerunt? Quid? an nihil factum eſt adverſus collegas contra leges & ſtatuta Academiæ, cùm non dico manifeſtiſſ. privilegia his ademta ſunt, ſed ne ea quidem relicta, quæ omnibus legibus etiam maleficis tribuuntur; qualis eſt modici temporis ad excuſationes & cauſas juris ſui rectè proponendas dilatio? Ergo cùm certa ſint, propter quę me ad manendum hortaris, intelligo his non ſecutis tuo ipſius judicio fieri, ne manere debeam, verè tibi affirmo, ſi mihi in Academiâ liberâ, in timore Dei, & eâ religione, quam colo, hîc vivere licuiſſet, nihil mihi optatius fuiſſe, aut etiam nunc eſſe, quàm ut Illuſtriſſ. Principi gratum officium præſtare poſſem. Nunc cùm quidā Academiæ libertatē ſuam non concedant, religionis etiam noſtræ confeſſione & libertate offendantur, nihil reſtare video, niſi ut ſi etiam alia conditio propoſita non eſſet, tamen nihilominus de

diſceſ-

diſceſſu cogitem. Illud autem eò magis, quod non jam deliberatur, utrum eam ſuſcipere debeam, ſed cùm rectè ſuſceperim, neceſſitas fidei præſtandæ imponitur. Atq; ut de oblatâ, ſuſcipiendâ tantum ageretur, non video, cur ea, quæ poſuiſti, me ab eâ cogitatione deterrere debeant. Liber religionis uſus mihi hîc relinquitur. Quàm liberum exſpectare poſtea debeam, ſi priora examina manſerint, animadvertis. Quanquam illa libertas, quæcunq; hic eſſe poterit, non alia futura eſt, quàm ut propter longinquitatem locorum quater ad ſummum in anno audiam alibi conciones, & cœnam Domini participem. Illic, quo vocor, quotidiana verbi auditio erit, quotidianæ publicæ preces; ſi non mihi linguæ fortè uſitatæ imperito, at certè familiæ, cujus curam gerere debeo. Honorarium hîc non minus oſtenditur. Utinam de honorario ageretur tantùm. Iampridem ſublata fuiſſet omnis deliberatio. Pro magno honorario fuiſſet optima voluntas principis. Si ſatis perſpecti antea tibi fuerūt mei mores, confido me tibi ita innotuiſſe, ut animum ab avaritiâ & anxia quæſtus cupiditate alienum cognoſceres. Veni ex Gallia in Germaniam tanquam in portum. Et mihi Germania portus fuit; ſed quamdiu in eâ bonâ conſciētiâ Deo ſervire, & tranquillè vivere licuit. Nunc poſtquam falſis criminationibus, turbulentis concionibus omnia infeſtantur adverſus noſtros, & nullus eſt defenſioni, nullus honeſtæ deprecationi locus: quibus in locis id fit, ea mihi portus eſſe deſierunt: & ſi iſti imperium, quod affectant, amplius ſibi confirmaverint, haud ſcio, an apud iſtos, quàm apud Papiſtas futurum ſit

clementius. Recipio me in regionem diuturnis bellis & magnis incommodis agitatam. Sed illa in Hollandiâ & Zelandiâ jam pridem deſierunt, ut jam, uti nunc ſunt res & tempora, nullus propè ſit locus illis regionibus pacatior: Ubi inter ordines eorum locorum ſumma eſt concordia; ubi exterus procul ejectus hoſtis, nullus domeſticus apparet. Sed metus eſt ab externo hoſte Hiſpano, Etſi, ut audio, Hollandia & Zelandia, dum erunt concordes, & omnes civitates obtinebunt, ut nunc obtinent, non valde metuunt Hiſpanos, aut ullam facile externam vim: tamen cùm de hoſte quæritur, ſatius duco verſari in ijs locis, in quibus externum hoſtem habeas, quàm in quibus domeſticum quotidie non ſine periculi præſentis metu experiri cogaris. Atterentur commoditates illarum regionum bello, & commeatu rerum neceſſariarum ex vicinis civitatibus intercluſo, magnis difficultatibus & magna caritate annonæ illæ regiones prementur. Ut vilitas annonæ eò me non attrahit; ſic nec inde deterrebit caritas annonæ & victus nonnulla difficultas. Vino multo non egeo. Ad exiguum emendum ſemper ſatis futurum eſt. Cetera prope omnia audio illis viliora eſſe, quàm in his regionibus. Et Deo gratia, quod tantum eſt ſtipendij, ut difficultates annonæ tolerare poſſim. Sed periculum eſt, ne in hac earum regionum perturbatione non ſemper integrum ſim percepturus. Ut præſentia ſe oſtendunt, non eſt, quod ibi metuam. Si quid futurum ſit, quod ignoramus, Deo committendum eſt, non periculum antequam proſpiciatur, metuẽdum. Quòd ſi omnia non proviſa metuere volemus, non minus & hîc

& hic erit, quod metuamus, fortaſſe etiam magis, ut ſe factioſorum quorundam & turbulentorum hominum conſilia & progreſſus in Germania hactenus habuerunt. Aërem craſſum & humidiorem in illis locis metuerem, niſi de Leida, quod ad ſitum & elegantiam urbis attinet omnia ſalubria, ornata, & ad admirationem uſque etiam compoſita omnium ſermonibus nunciarentur. Tum autem tot annos ferre potui paludes Biturigum, fortaſſe & nonnullam craſſitiem illius aëris ferre potero. Mallem Heidelbergæ aëre frui, ſed ubi non licet, & me Deus aliò vocat, delicatum me in hac re eſſe non convenit. Quod ſcribis non tam multos auditores juris Leidæ futuros, quàm Heidelbergæ; niſi me fallit genius utriuſq; loci, ego contra eventum puto. Sed hoc incommodum (ſi quod tamen eſt docenti) non moror. Vellem mille auditores quotidie docere, ſi fieri poſſet, ut ad plures opera mea perveniret. At ſi non contingunt, aut ſi etiam pauci contingunt, dum fidem præſtem & diligentiam, didici eſſe ſecurus, ut qui ſciam hîc ſervire Deo, qui ſuperiora illa tantùm à nobis exigit: Vtrum autem multi ſint auditores, an pauci etiam apud præſtantiſſ. & fideliſſimos, in ejus eſſe poteſtate, Academiam Heidelbergenſem non tantùm amavi antea, ſed etiam propè ut parentem colui: & ſummum ſtudium fuit, ut excolerem, nec unquam niſi invitus ab ea diſcedam. Sed cum, ut dixi, res ipſæ, propter quas manere velim aut debeam, ſublatæ ſint, illuc redeo: manendi voluntas tollitur. Neceſſitate autem diſcedendi hoc amplius accedente, nihil relinquitur, niſi ut Deo paream. Hæc ſcripſi non à te diſſentiens, ſed,

ut arbitror, idem ſentiens maximè, ſi modò de conditione & præſenti ſtatu rerum perinde tibi conſtaret, ut mihi. Conſilium quidem tuum adeò mihi jucundum fuit, ut non potuerit quidquam accidere jucundius. Nam præterquam quod ſingularis doctrina, quæ verè tua eſt, in eo mirificè me delectavit, ut cui ad benè ſuadendum nihil defuit: animadverti etiam quàm eſſes prudens, quàmq; ea ſcripſeris, quæ fateor inprimis eſſe expendenda. Sed præcipuè in eo amicitiam perſpexi, qui tam in tempore amici memineris, & tam, ut agnoſco, ſalubriter monueris: ut ſi quæ ſcripſiſti, non ſentiam ab amiciſſimo animo profecta eſſe, nihil ſentiam, nec ſim is, quem iſta amicitia dignum judicaſti. A me verò, dum vivam, ejuſdem animi officia omnia Deo dante tibi conſtabunt. Bene vale, vir clariſſime. Heidelbergæ. Cal. Aug. 1579.

NIC. CISNERI CONFESSIO de Cœna Domini, exhibita petenti El. Pal. LUDOVICO, P. M.

SUMMA SENTENTIÆ MEÆ de ſacra Cœna Domini noſtri Jeſu Chriſti.

CREDO Euchariſtiam, juxta verba Irenæi, duabus rebus conſtare; Terrena & Cœleſti. Terrena: ſcil. pane & vino: Cœleſti, ſcil. corpore & ſanguine Domini: & cum pane & vino verè & ſubſtantialiter adeſſe, exhiberi & ſumi corpus Chriſti & ſanguinem; Et quidem in hoc myſterio divino

vino ac cœleſti, vero tamen & ſubſtantiali modo, non tranſubſtantiatione, non locali incluſione, nec durabili aliqua extra uſum Sacramenti conjunctione, ſed ſacramentali unione.

Credo verbis Domini, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, &c.* Credo juxta D. Paulum, panem, *qui frangitur in Eccleſia, eſſe communicationem corporis & ſanguinis Domini.* Ac propter hanc Sacramentalem unionem, quæ eſt inter panem & corpus Chriſti, ſancti Patres dixerunt, ſumi corpus Domini in os noſtrum, licet, ut & D. Lutherus ſcriptum reliquit, os noſtrum ad corpus Chriſti per ſe non poſſit pertingere. Sic ſacra Scriptura tradit, Johannem Baptiſtam vidiſſe Spiritum ſanctum aſcendentem tanquam columbam, & venientem ſuper Dominum Chriſtum; cùm per ſe Spiritus ſanctus oculis corporis videri nequeat. Et hujus Sacramenti inſtitutionem valere in Eccleſia, nec pendere ex dignitate Miniſtri aut ſumentis, ſentio. Ac indignè accipientes, reos fieri corporis & ſanguinis Domini, ſtatuo. Quòd ſi controvertatur, quomodo hoc D. Pauli dictum ſit intelligendum; communem primitivæ Eccleſiæ & ſanctorum Patrum interpretationem ſequor. Quod ſi fuſior à me declaratio petatur, ſubjicio ſanctorum Patrum ſententias, non ullo ſtudio partium conquiſitas, ſed ut ex ijs à Gratiano in farragine Decretorum ſunt collectæ, ita tamen ut, ſi quædam ab ipſo vel Pontificibus ſint interpolata, ut nonnullis in locis ab ipſis factum eſſe animadvertere licet, nullo ea modo approbem: ſed ad ipſorum Patrum ſcripta genuina &

integra, non depravata vel mutilata hac compilatione Decretorum, me referam.

Cùm verò & hoc ipſum Sacramentum, ut Auguſtinus tradit tractat. 26. ad c. 6. Joannis, ſignum ſit unitatis, & vinculum charitatis, DEUM oro, ut nos regat, qui in fundamento & pleriſq; articulis fidei ſecundum Auguſtanæ confeſſionis formulam, convenimus, ut concordiæ verbo Dei congruenti potiùs ſtudeamus: ut à primarijs noſtra patrumq; memoria reformatæ religionis Theologis factum videmus, quàm diſſidia alamus; ut depoſita animorum acerbitate caritati & conciliationi operam navemus, ut gloriam Dei, Eccleſiæ Chriſtianæ utilitatem noſtris ſive cupiditatibus ſive affectionibus anteponamus. Script. 1580.

NICOLAI CISNERI EPISTOLÆ AD DAVIDEM CHYTRAEUM, *in Academia Roſtochiana Theolog. Profeſſorem.*

S. Valdè me delectarunt literæ, quibus tuum & pacis in hac ſumma, & Eccleſiæ & Reipublicæ perturbatione ſtudium ac deſiderium, & de controverſia, quæ hodie eſt inter Auguſtanæ Confeſſionis ordines, de Cœna Domini ſententiam declaraſti. His igitur graviſſimis & humaniſſimis literis tuis, quod tardius reſpondeam; in cauſa eſt: quòd, quo tempore domum meam allatæ fuerunt, & tabellarius quoq; Roſtochianus, ut audivi, me quæſivit, eodem

eodem peregrè abfuerim. Id enim commodiſſimè hac vacatione Canicularium facere potui. Ac ad prius caput quod attinet, tametſi animus mihi ille tuus, moderationis & ſalutaris concordiæ percupidus, non ignotus: tamen eò optatior fuit, quò major hodie eſt animorum inter eos diſtractio, quos conjunctiſſimos in tuendo veræ de Religione doctrinæ conſenſu eſſe oportebat. Itaq; eadem omninò mea eſt mens, eademq; voluntas. Lætatus etiam vehementer ſum, tibi in poſteriori capite illam formulam conciliationis inter illa Eccleſiæ lumina, D. *Lutherum*, D. *Philippum*, D. *Bucerum*, & alios excellentes Theologos, ac Eccleſiæ Dei miniſtros Witebergæ, Anno 1536. & in Synodo Smalcaldica de Euchariſtia conſtitutam probari. Nam eandem & ego ſequor. Eam Anno 1542. vel 43. (certò enim non memini) D. *Bucerus* uberius in nundinis Argentoratenſibus explicavit, atque ita coram Dei tribunali ſe ſentire conteſtatus eſt. Quam an videris; & ſi vidiſti, quid de ea ſentias, ſi à te commodè fieri poteſt, oro ad me ſcribas: Mihi jam ſanè ad manus non eſt; ſed ſi non habes, curabo deſcribi, & ad te mittam. Equidem nec in unam, nec aliam partem eum in declaratione illa diſcedere, ſed formulam illam ſtrictim obſervare exiſtimo. Mihi placet formula illa à Luthero in articulis, quorum meminiſti, uſurpata: Panis & Vinum in cœna Domini ſunt verum corpus & ſanguis Ieſu Chriſti; ſed intelligo, unione Sacramentali, ut traditur in illa Concordia Anni 36. Et quia in neutram adhuc tranſivi partem, nec illas diſputationes & contentio-

tentiones, quæ utrinq; memoriæ proditæ ſunt, legi; hactenus quæſtionem illam, de communicatione Idiomatum, & unione perſonali non perpendi. Sum autem diſcendi ſtudioſus, & utram veriorem ſententiam eſſe cognovero, eam omninò amplectar. Libenter autem in Epiſtola tua legi Patrum hac de re placita, quæ putarem vobis præjudicio eſſe debere. Sed nec eos conveniſſe oſtendis: unde animum meum ſubijt hæc cogitatio, in re jam olim controverſa, non tantum inter noſtros animorum diſſidium eſſe oportere. Neminem enim eſſe puto, qui diſſidentes à ſua ſententia Patres idcirco protinus condemnet. Videntur longè nobis prudentiores Bohemi. Nam cum flagitantibus illis libertatem Religionis in regno, objecta à Cæſareanis ſumma illa inter noſtros diſſenſio fuiſſet, callido

Conſenſus Bohemorum; item Polonorum imitādus.

» illo prætextu Bohemi moti, Confeſſionem ſuam
» ſcripto comprehenſam Imperatori exhibuerunt,
» & in expoſitione articuli de Cœna Domini judi-
» carunt, quamvis cum Waldenſibus & alijs ejus gen-
» tis in hoc capite non conſentiant; nihilominus
» tamen ſe eos pro fratribus ſuis agnoſcere. Hunc conſenſum animorum ſi nos quoq; amplecteremur reipubl. multò conſultius foret. Sed hac de re plura aliâs. Vale. Spiræ 1575.

NIC.

NIC. CISNERO DAVID Chytræus S. D.

EGo verò, Clariſſ. Domine Ciſnere, etſi multos annos gemens ſenſi, quod pacificis, qui recolligi & conjungi partes diſſidentes potius, quàm divelli & diſtrahi atrocius optant, evenire Nazianzenus inquit: ὅσον εἰρηνικὸν καὶ μέσον, ὑπ' ἀμφοτέρων πάσχει κακῶς, ἢ καταφρονούμενον, ἢ καὶ πολεμούμενον: ὡς καὶ ἡμεῖς ὄντες σήμερον, θαυμαστὸν οὐδὲν, εἰ ὑπ' ἀμφοτέρων ἐκλελαπτείημεν: Nihilominus tamen, ſi qui alij piæ & ſalutaris concordiæ, in ijs ſcholis & Eccleſijs, in quibus vivunt, & inter ordines Auguſtanæ Confeſſionis in univerſum tuendæ & confirmandæ amantes & ſtudioſi ſunt, me quoque unum ex illis profiteor. Quantopere enim diſſenſiones & certamina noſtrorum Cadmæa Eccleſiæ noceant, & communes hoſtes adverſus nos arment & confirment: imò jam planè ludibrio illis nos exponant, & omnes moderatos & prudentes viros offendant, & curſum Evangelij in multis gentibus veræ doctrinæ cupidiſſimis impediant: ipſe etiam propius ſuperiore anno, in ijs regionibus, ubi inter pontificios & Ieſuitas, ſummi magiſtratus autoritate, dominantes, Eccleſiam ſibi filius Dei in medio inimicorum ſuorum colligit, expertus ſum: Inter quos vixiſſe aliquādiu familiariùs optarim eos, qui proximis annis inteſtina in noſtris Eccleſijs bella tātō ardore & impetu geſſerunt; ac ne nunc quidē poſt tot Cadmæos prælio-

Nimis verum adhuc.

Auſtria, & vicinis.

„ præliorum exitus tumultuari deſinunt: Qui, ut
„ Nazianzeni verbis utar, pietatem præ ſe ferunt,
„ hoc uno quòd alios impietatis condemnant, & venerabile nomen FIDEI omnibus rixis ſuis prætexunt: *Hinc odio habemur in gentibus, & quod gravius eſt, dicere non poſſumus, quòd injuſtè vituperamur, etiam à moderatioribus inter noſtros. Fabricant autem arma ſuper humeris noſtris peccatores; & quæ ſinguli in nos mutuò intendimus, & nobis mutuò objicimus; ipſi contra omnes uſurpant: & facti ſumus Theatrum novum, non angelis, & hominibus, ſed omnibus malis, & omni tempore & loco, in foro, in conviviis, &c.* Verè igitur miſeri & ſtolidi ſumus, qui tam alieno tempore, quo cervicibus noſtris communes hoſtes imminent, & Tridentinorum Areopagitarum decreta executioni dare moliuntur, labefactationem eius conjunctionis, quæ fuit inter ſocios ejuſdem Confeſſionis Auguſtanæ, luminibus illis noſtrorum temporum *D. Luthero, D. Philippo, D. Bucero* viventibus, maximo malo noſtro quæramus. Et quia *Buceri* & Synodi Smalcaldicæ mentionem facis, quorum ſententiam de Cœna Domini te ſequi oſtendis; ego quoq; ſimpliciter in formula Concordiæ à *D. Bucero* Vitebergæ Anno 1536. cum *Luthero* conſtituta, & articulo, Smalcaldiæ, ſequenti Anno 1537. eadere facto, & à *D. Philippo, D. Bucero*, & alijs præcipuis luminibus Eccleſiarum Germaniæ ſubſcripto, adquieſco: ac ut omnes omnium ἀκυρολογίας καὶ φλυαρίας proximis annis agitatas defendere nolim; ita viciſſim ab illa ſimplici & verâ ſententiâ, qua Dei veracis, & omnipotentis Verbo jniti ſcio, modeſtè juvante Deo,

Vtinam idem ſociis tuis perſuaſiſſes.

Formula Concordia VVitebergenſis 1536. placet.

Deo, profitenda diſcedere nequaquam velim. Inquiſivi etiam mediocri ſtudio de totâ hac diſputatione, & cæteris materijs, in quas jam controverſia περὶ μυςηρίων devoluta eſt: venerandæ antiquitatis doctrinam, quam utinam inter ſe conſentientem, *Cenſura* & non minus ferè, quàm Theologorum noſtræ æ- *fallax.* tatis diſſimilem, & in ijſdem etiam autoribus, Au- *Auguſtinus eſt ſi* guſtino præſertim, prorſus inter ſe diſcrepantem, *ſimilis in* invenire liceret. *hac doctrina.* Certè ſi de unione perſonali utriuſque in Chriſto naturæ, idem ſentire & loqui cum totâ primâ Eccleſiâ annis amplius 400. poſt Apoſtolos volumus; pleriq; omnes, qui ante Epheſinam, & Chalcedonenſem Synodos ſcripſerunt (nam de *Juſtini* ἐκθέσει πίστεως ſeu præceptorem noſtrum *Philippum* alicubi, an vetus ſcriptum ſit, dubitare) Mixtas eſſe duas in Chriſto naturas, & earum κρᾶσιν, μίξιν, σύγκρασιν, commixtionem factam eſſe, & naturam humanam in Chriſto deificatam eſſe, docuerunt: tametſi* diſertè ſimul in- *Imò ſatis* terdum teſtati ſunt, ſe non confuſionem natura- *apertè ſi* rum,* quæ ſit alterutrius abolitio, ſed unionem, qua- *declarant.* lis eſt ignis cum ferro candente, intelligere: Qua ſimilitudine totam vetuſtatem, myſterium unionis, & communicationis Idiomatum, quâ Divina natura ſuas dotes, quarum capax eſt natura humana, *De divinæ* verè & realiter naturæ aſſumtæ confert; ut ignis *naturæ* ferro vim lucendi & urendi verè & realiter impertit: *propriis eſſentialibus eſt quæſtio.* declaraſſe ſcimus; & tamen hæc & ſimilia patrum dicta, quæ non obſcurè divinam majeſtatem & gloriam aſſumtæ naturæ collatam eſſe affirmant, ab iis, qui tanto Zelo conſenſum in Confeſſione Lutheri labefactare, citatis orthodoxæ antiquitatis *Minimè.*

ſenten-

ſententijs, moliti ſunt, cautè ſanè prætereuntur. Et interea ex *Cyrillo* & *Auguſtino*, & *Theodoreto*, viro docto quidem & eloquente, ſed in hac ipsâ diſputatione à duabus ſynodis univerſalibus, Epheſinâ I. & Conſtantinopolit. II. ſub Juſtiniano Imperatore (ut de Epheſina II. taceam) nominatim damnato: de abſentiâ carnis Chriſti, & præſentiâ divinitatis, de quâ nulla controverſia eſt; teſtimonia coacervantur. Sed animadverto hæc non eſſe ἐπιστολικὰ, ut Ariſtoteles dicebat. Ego Filium Dei, Samaritanum, & cuſtodem Eccleſiæ ſuæ oro, ut hæc triſtia vulnera ſanet, & poſteritatis cauſa piè dijudicari has controverſias in Synodo aliquâ piorum curet. Collegi ipſe etiam mediocri diligentiâ Synodi Epheſinæ (cujus breviſſimam mentionem tantùm in tomis Conciliorum extare ſcis) & II. & Chalcedonenſis hiſtoriam integram ex diverſis ſcriptoribus: fruſtra ſperans, ex illius eruditæ *vetuſtatis* diſputationibus me noſtrorum temporum controverſias rectiùs intellecturum eſſe. Verùm à pleriſq; in conſeſſibus Synodorum haud doctis dictis certatum, ſed maledictis; & non minori quàm noſtrâ ætate fit, animorum & odiorum acerbitate, & inter pudendas factionum rixas & proſcriptiones mutuas, decreta illa de dogmatibus, quæ velut regulam & normam fidei tota poſteritas ſequeretur, facta eſſe, ſæpe gemens cogitavi. Cumq; magis perturbatum quàm confirmatum iri pios certaminum illorum lectione exiſtimem: conſultò acta illa Synodica ſupprimo, & Deum oro, ut nos doceat & gubernet. Utinam tuo conſpectu & colloquio vel paucos dies frui poſſem; non ſolùm quia ἐς ὄμμα

At Theodoretus abſolutus eſt à Chalcedonenſi Synodo: & Leone I. Magno.

Synodorũ ψόγος audax.

ἐλθεῖν

ἀνοῦ ἀνδρὸς εἰσβλέπειν γλυκύ; verùm ut de his tantis & alijs rebus conferre tecum, τὰ μὲν πείθων, τὰ δὲ πειθόμενος, ut in colloquio piorum decet, apertè & prolixè liceret. Nunc gratiam tibi reverenter habeo, quòd adeò amanter, & candidè animi tui ſenſa proximis literis mihi exponere dignatus es: teq;, non quòd de tua voluntate dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, oro, ut eandem erga me benevolentiam, & fidem perpetuò conſerves. Pergratæ etiam mihi fuerunt hiſtoricæ narrationes literis adjunctæ; nec dubito, quin jam de pace, aut bello in Gallia iterum gerendo iſthic conſtet, &c. Apud nos Dei beneficio in Republicâ, & Eccleſiâ, & ſcholâ omnia tranquilla ſunt. Benè & feliciter vale. Die congreſſus Mariæ & Eliſabeth, quæ prima Synodus Novi Teſtamenti fuit. Anno 1575.

DAVIDIS CHYTRÆI EPISTOLA.

MAGNIFICO ET CLARISSIMO Domino D. NICOLAO CISNERO, *J.U.D. & Judicij Cameræ Imperialis Aſſeſſori, Domino & patrono ſuo colendo.*

S. Magnifice & Clariſſime vir, amice colende. Reprehendi præterita poſſunt, mutari non poſſunt. Itaq; cum fato quodam meo etiam iſti de concordia tractationi, quam novæ & triſtioris diſcordiæ ſeminarium futuram eſſe multi prudentes verentur, adhibitus fuerim: Deo me commendo, & ardentibus votis oro, ut ad ſuam gloriam & Eccle- *Lib. Concordiæ.*

ſiæ ſalutem, conſilia eorum, qui hoc negotium gubernant, clementiſſimè dirigat & moderetur. Proteſtationem illam Nullitatis, cujus mentionem facis, & apologiam orthodoxo conſenſui pręmiſſam, legi; ac ſpecioſum illud & plauſibile πρόσχημα, quòd Eccleſiæ Gallicæ, Anglicæ, Helveticæ, non citatæ nec auditæ, cauſa non cognita, condemnentur: vafrum & ad invidiam & odia accendenda idoneum magis, quàm verum eſſe, quod venia tua dicere liceat, arbitror. Neq; enim eccleſiæ aut perſonæ ullæ nominatim in formula illa damnantur, ſed opiniones & dogmata confeſſioni eccleſiarum noſtrarum adverſantia ſeponuntur & improbantur. Cumq; jam totos quinquaginta annos in publicis ſcriptis & conventibus aliquot auditi ſint, ſicut ipſi Pontificios, Anabaptiſtas, Antitrinitarios hactenus, non citatos ad iſorum tribunal, ſed publicè ſcribentes & docentes, audiverunt, & dogmata eorum, ad normam verbi divini accommodata, judicarunt & damnarunt: quâ ratione proceſſum, quem ipſi hactenus ſervarunt & ſervant, & quem rectè in eccleſia ſervari ſciunt; tantoperè in alijs accuſant. Optarim ſanè in antitheſibus, pro verbo *Damnamus*, aliud lenius, ſive *improbamus*, ſive *rejicimus*, uſurpatum fuiſſe: Et in doctrina de libero arbitrio quædam horridiora mitigata eſſe: ſed alijs diverſum placuit. Et ſi inter tàm paucos numero, ſententiarum diſcordia publicè erupiſſet: majori etiam ludibrio hæ Eccleſię fuiſſent expoſitæ. Sed hæc in ſinum amici rurſum effundo liberius, quem non dubito, etiamſi quædam Iudicij diſſimilitudo eſſet, tamen pro eximia humanitate & erga me benevolētia ſua φιλικῶς hæc accepturum eſſe. Princeps meus ſemeſtre mihi ad profectionem in Aca-

Proteſtatio Palmerij edita Anno 1578.

Scilicet.

Magna eſt diſſimilitudo.

Concordia diſcors.

Google

demiam patriæ conceſſit: Verùm quid inchoari & peragi tàm brevi tempore poſſit, etiam à vegeto & rectè valente, in tanta volũtatum diſſimilitudine & acerbitate, & adverſatione eorum, à quibus juvari debebamus, non video. Habeo in hac Academia collegas aliquos de religione diſſentientes. Sed cùm in lectionibus & aliâs nihil turbent, aut palàm maledicant: & alioquin Academiæ uſui & ornamento ſint; facilius eos toleramus. Idem in patriæ Academia cõſilium fortaſſe daturus eſſem. Sed tanta quorundam vehementia & zelus rixandi eſt, ut tali ſilentio ſe obſtringi nequaquam paſſuri eſſent. Et qui olim mihi familiariſſimi & domeſtici mei in hoc littore Balthico fuerunt, nunc ſilentio ſuo & aliis indicijs ſe prorſus alienos eſſe oſtendunt. Sed hæc quoq; Deo commendo, quem oro, ut me doceat & gubernet. Quæ de Belgicis rebus ſcribis, magnũ mihi dolorem attulerunt, & certam victoriam Hiſpanis promittere videntur. Vix enim ſedari motus inter ipſos ordines inteſtini & trãquillitas reſtitui provincijs illis poterit, niſi rex aliquis potens eos in officio cõtineat, ſicut ante 32. annos toti Germaniæ utile fuit, *Carolum* ſuperiorem eſſe, cum illo oppreſſo perpetuæ inter ipſos confœderatos lanienæ, & triſtiores eccleſiarum vaſtationes fuiſſent ſequuturæ. Et tamẽ Deus lucem doctrinæ Evangelij à ſe ſub captivo Electore accenſam mirando modo ſervavit, defendit, ꝓpagavit, & paulò poſt Pacẽ publica Imperij autoritate Eccleſijs noſtris dedit, quã incolumes & florẽtes confœderati principes nunquã potuerunt obtinere. Verè autẽ accidit eccleſijs noſtris, quod Ezechias inquit, Ecce in pace amaritudo mea amariſſima; inflãmatis & ſubinde auctis & exacerbatis dogmatũ diſſidijs graviſ-

Heidelbergam.

Zelota.

Fortaſſe.

ſimis, quorum nec finem, nec modum nunc etiam cernimus. καὶ τὸ εἰρηνικὸν ϗ μέσον, ὑπ' ἀμφοτέρων πάσχει κακῶς, ut Thucydides inquit: τὰ ἐν μέσῳ ἀμφοτέρωθεν κλείνεται. Neſcio an videris Martini Kemnitij, de duabus in Chriſto naturis, & Idiomatum communicatione, libellum, Lipſiæ recens editum: Quem, ſi vacaret, optarim ſanè à te perlegi. Harum enim eccleſiarum confeſſionem, de graviſſimis illis controverſijs, diligenter, eruditè, graviter & modeſtè, ex ſacræ ſcripturæ & antiquitatis teſtimonijs explicat & illuſtrat: cui quæſo te, ut aliquid temporis tribuas; & meæ loquacitati ignoſcas.

Aliud aliorum doctorum eſt judicium.

Oratio de *Wolfgango Palatino* mea neſcio an in ſpongiam abitura ſit. Nihil enim mihi ex aula Neoburgenſi reſpondetur, quò eam, juxta notationes tuas correctam ſuperioribus menſibus remiſeram. Mitto narrationem de Flandricis motibus, tametſi tu fortè pleniorem & integriorem jamdudum habes. *Caroli Sueci* nuptiarum diem in ipſam ferè Eclipſin ſolis collocatam eſſe miror. Benè vale. Roſtochij. 12. Ianuarij. Anno 1579.

Q. S. A. QVIRINO REVTERO, Propinquo, & PAULO CISNERO, ex fratre nepoti, alteri Collegij Sapientiæ, alteri domus Dionyſianæ alumno, Opt. artium & literarum Studioſis.

NICOLAUS CISNERUS.

SUna epiſtola utriq; reſpondeo propter varias occupationes. Tuæ mihi literæ, Quirine Reutere,

tere, perquam gratæ fuerunt: inprimis epigramma, quo felicem reditum è thermis mihi gratulatus es: Tuæ autem, Paule, minimè: quia video te & ruſticum eſſe & ignavum, qui nullos progreſſus in literis facis. Scribis te nunc indigere Ethicâ. Cur non Ethicis? Ethica dicimus in numero plurali: ergo in ablativo Ethicis. Ethica Philoſophia etiam appellatur, ſed tunc ſumitur vice adjectivi, pro Morali. Ut primùm Heidelbergam venero, te ſubjiciam in domeſtica diſciplina viro alicui docto: ceteroquin te frater tuus Iodocus mox ſuperabit, qui ætate longè minor eſt. Ad te verò, Quirine, ut redeam, cum mutationem ſtatus tui metuas, velim huc venias, & Paulum ſimul adducas, quamprimùm vobis ſunt feriæ: ut de rebus omnibus vobiſcum rectius conferre poſſim: à te quoq;, Paule, tandem aliquando rationes repoſcam. Bene valete. Spiræ 24. Septembr. Anno 1577.

---

2. URSINI EPISTOLA.

CLARISSIMO VIRO, DOMINO NICOLAO CISNERO, *Iuriſconſulto excellentiſſimo, Spiræ Iudicij Imperialis Aſſeſſori, Domino & fautori ſuo obſervando.*

ZACHARIAS URSINUS.

S. Deum oro, ut per Filium ſuum Servatorem noſtrum, velit annum ſequentem eſſe fauſtum, tranquillum, ſalutarem, cum toti Eccleſiæ ſuæ, tum communi patriæ noſtræ, tum tibi ac tui ſimilibus,

hoc eſt, bonis prudentibus ac moderatis viris. Cum Quirinus noſter ad Te proficiſceretur, non potui non ipſi ſchedam aliquam, meæ in ipſum benevolentiæ, ergà Te verò tanquam veterem amicum, obſervantiæ teſtem, dare. Ac ſanè Quirinus iſte Reuterus propter ingenium, diligentiam, modeſtiam & probitatem omnibus, qui noverunt eum, cariſſimus eſt. Scis autem ipſum è Collegio ſapientiæ nuper unà cum alijs alumnis dimiſſum, ſed ab Academiæ Profeſſoribus in Dionyſianum receptum eſſe, in qua domo nihil præter victum & habitationem alumnis dari, & aliunde ſupplementa ſtipendij neceſſaria eſſe, tute noſti. Non dubitavi igitur te orare, ut aliquot aureos annuos ipſius uſibus adjicias, donec per ætatem ad προγυμνάσματα πράξεως fiat idoneus. Valdè dolerem, ſi præclarè incoata ſtudia ipſius hîc impediri, aut ab eo ſpe melioris alibi conditionis abrumpi viderem. Itaq; *niſi* obſtaret fortunarum mearum anguſtia, non eſſem apud Te audax in petendo, ſed ipſe facerem, quod à Te peto. Tibi autem id factu non difficile eſſe confido, opto, & gratulor. Iucundum etiam fore non dubito, ſiquidem hoc beneficio non tantum adoleſcentem optimum, & imprimis agnatum minimè degenerem plurimùm juveris, ejusq; gratam & honorificam apud ipſum & multos bonos memoriam tibi comparaveris; ſed etiam bonorum, quæ Deus olim Eccleſiæ & Reipublicæ per ipſum præſtiturus eſt, ut magna pars tibi accepta ferenda ſit, effeceris. Age ergò, fœnerare hic etiam beneficium Domino. Vale feliciter. Heidelbergæ, Die natali Servatoris, Anno 1577.

[Margin: πάντα τὸ μηδέν.]

ORNA-

ORNATISSIMO VIRO LEONHARDO ENGELHARDO PHILOſophiæ Magiſtro, ac Scholæ Studgardianæ moderatori, amico ſuo.

S Gretias tibi ago, quòd à prima adoleſcentia notitiam mei repetis. Sed falleris, cùm ſcribis, eodem tempore me famulum egiſſe apud Doct. Petrũ Alexandrum, quo tamen apud Ioan. Hartungum. Nam cùm jam primam Lauream conſequutus eſſem, à præceptorib. meis impetraverat, ut ad mẽſem unum ei operam meam locarem in ſcribendo, eoq; exacto redirem in collegiũ Dionyſianum: id quod protinus factum eſt. Teſtor L. Conradum Lætum ICtum, qui tùm mihi præceptor, &, ut dicitur, Regens fuit Noverunt idem & alii, qui nobis coætanei fuerunt: Ceteroquin mihi ſtipendium meum relinquendum fuiſſet, quo fretus ſum, quoad & Magiſterii inſignibus ornarer, quod ſequenti anno factum eſt. Profectus inde Heidelbergâ Argentoratum; & poſt diſceſſum doctiſſ. theologi *Martini Buceri*, qui mihi affinitate junctus fuit, revocatus fui ab amicis, veræ religionis fautorib. Heidelbergam; ubi Illuſtr. Principis liberalitate melius mihi ſtipendium conceſſum fuit. Et quia flagrabam literarum ſtudio, cùm impetraſſem ab illuſtriſſimo Principe, ut id etiam abſenti mihi relinqueretur; profectus ſum meis ſumptibus Witebergam, ubi ſumma me benevolentia complexus eſt omni laudis genere præſtantiſſimus vir *Philippus Melanchthon*. Inde fi-

nito tempore præſcripto Heidelbergam reverſus, creatus ſum extra ordinem, majori ſalario quàm alij Profeſſores Philoſophiæ, Illuſtriſſimi Principis *Friderici II.* illuſtris memoriæ, clementia, publicus Ethices primus Profeſſor: In quo munere interpretando Ariſtotelis ἠθικὰ Græca ad Nicomachum, & Ciceronem de Finibus bonorum & malorum, alternis vicibus, perſtiti, quoad peſtis anno 1553. ſævire inciperet. Inde enim catervâ diſcipulorum nobilium tantùm non oneratus primò in Galliam, deinde in Italiam ſum profectus: in quibus regionibus amplius quadriennium commoratus, Iuri civili operam navavi. Promotus ſum in Doctorem, Piſis in Italia Anno 1559. Eodemq; anno reverſus, factus ſum & Profeſſor Pandectarum, & Palatini Electoris conſiliarius. Inde abeunte Franciſco Balduino, qui tum primas tenebat, in ejus locum ſubſtitutus Heidelbergæ manſi uſq; ad annum 1567. Ac licet mihi tum ab Academia, tum à Principe opimum eſſet ſtipendium: tamen ut exercitationi Iuris in ſummo tribunali mederem, cooptatus ſum in ampliſſimum Aſſeſſorum Imperatorij judicij collegium, in quo nunc annum decimum tertium ago. Nunc iterum operam meam expetit Illuſtriſſ. Princeps Elector Ludovicus Palat. &c. Quid futurum ſit, temporis ſucceſſu cognoſces. Habes ſtudiorum & vitæ meæ curſum. Porrò ad petitionem tuam quod attinet, ſi qua in re tibi uſui eſſe potero, faciam libenter. Bene vale, & à me tibi omnia amici officia pollicere. Idem ego de te mihi perſuadeo. Spiræ, 8. Novemb. 1579.

T.

Nicolaus Ciſnerus.

CL. V. PETRO VICTORIO Nicolaus Ciſnerus commendat Ioh. Poſthium.

ETsi non nego, te juſtiſſimis de cauſſis, literarum officium à me requirere poſſe: tamen te oro, ne oblivione meritorum tuorũ, me ſuperioribus temporibus non ad te ſcripſiſſe putes. Nam quanti ſummam illam tuam doctrinam atque eloquentiam faciam, quantâ obſervantiâ memoriam tuorum beneficiorum teneam: cùm alij multi viri docti norunt, quibuscum mihi in Germaniâ notitia & uſus eſt: tum hic *Johannes Poſthius*, poëta non incultus, teſtificabitur. Eum ego tibi commendarem, niſi ſcirem, tibi antè, pro ſingulari illâ tuâ humanitate, ejuſmodi homines abunde commendatos eſſe. Et tamen, ſi ad illam inſignem benevolentiam, quâ eruditos homines, & tui obſervantes, tuâ ſponte complecteris, aliquam etiam acceſſionem meâ de causâ feceris: ad priſtina tua erga me merita major cumulus hoc beneficio accedet. Apud illũ verò, hoc ſtudium tam bene pones: ut ex eo te magnum aliquando fructum capturum eſſe omnino confidam. Reliquum eſt, ut cum ipſe jam pridem, multas ob cauſas, in ære tuo ſim: ita te colam & obſervem; ut quem diligentiſſimè. Bene vale, vir clariſſime. Heidelbergæ. 6. Idus Auguſti 1564.

NICOLAUS CISNERUS *Nicolao Rudingero. S.*

CUM pro eo ſtudio atque amore, quo multos jam annos me proſecutus eſt præſtans & medicus & poëta *Johannes Poſthius*, amicus idem tuus, atque idem meus, mihi ante menſes aliquot libros ſuorum Carminum miſiſſet : Ut primùm mihi ocij quid à judicialibus diſceptationibus fuit, & diligenter & libenter eos legi. Etſi enim tantum mihi judicij in poëſi non ſumo : ut quæ ſint excellentis Poëtæ partes, quæ virtutes, me exiſtimem intelligere : tamen magnam inter eos, qui hodie verſus ſcribunt, & typis divulgant, perſpicio differentiam : ac aliorum poemata mihi magis, aliorum minus probantur. Hi verò *Poſthij* noſtri libri ita me delectârunt, ut cum ſepoſitis difficilioribus illis *Juris* noſtri ſtudijs, gravioribusq; involutarum controverſiarum cognitionibus, eos in manus accepiſſem ; viderer mihi ex triſtibus & ſeveris illis bibliothecæ meæ, curiæq; cogitationibus, curis & moleſtijs, quaſi ex ergaſtulo in amœniſſimos veluti Heſperidum hortos divertiſſe. Quod igitur pro ſua modeſtia, & de me opinione, ſuorum poematum jus omne in meum conferret arbitrium ; illa ut ederet & hortatus ſum, & ut humaniſſimum eſſe noſti, ab eo facile impetravi. In ſpem autem venio, quemadmodum illa nobis voluptati fuerunt, ſic alijs quoque grata & jucunda fore. Nam in ijs & naturæ ad poeſin facilitatem, & ingenij acumen, & imitationis vim, & artis poeticæ uſum videre licet. Quod ſi qui nos

nos vel ob exiguam in hoc genere ſtudij facultatem inidoneos, vel ob propenſionẽ in Poſthium noſtrã ſuſpectos judices exiſtimaverint: idem ſane de *Georgio Fabricio* laudatiſſ. viro, doctiſſimo homine & optimo Poeta ſentire non poſſunt. At is excellentiſſimo & Poetæ & medico *Petro Lotichio* hunc noſtrum confert in diſticho, quod in ejus tetraſticha de reconditis & arcanis ſenſis fabularum ab Ovidio in Metamorphoſi tractatarũ in hunc modum ſcripſit,

Quadruplici celebrat mutatas carmine formas
Lotichio in medicis æmulus & melicis.

Rectè verò & probè Fabricius cum *Lotichio* egregio Poeta & medico, bonum quoq; Poetam & medicum *Poſthium* comparavit. Nam cum illum hic non modò in poeſi colenda, ſed & profeſſionis vitæq; genere amplectendo ſibi imitandum propoſuiſſet: tantum & naturæ bonitate & ſtudio & diligentia ſummaq; animi contentione perfecit; ut illius & virtutes & laudes magna ex parte ſit aſſecutus. Quin eidem etiam ſucceſſit in clientelam nobiliſſimi & omni laude cumulatiſſimi viri Domini *Eraſmi Neuſtetteri*, cui libros ſuos ob plurima in ſe merita dicavit. Sunt autem (ut quidem nobis ambobus videtur) ſicut *Lotichij* verſus culti, arguti, elegantes, docti, in quibus nihil impuritatis, nihil obſcœnitatis, nihil turpitudinis ineſt. Si quæ jocatus eſt & luſit in Blandinam; veteres imitatus eſt Poetas, qui ficto nomine ſæpe eas, quas amabant, verſibus ſuis prædicabant. At hic noſter amicam nullam habuit: ſed ſi quam aliquando duceret uxorem, eam Blandinæ nomine celebrandam putavit. Quocirca ut luſus hos excuſabunt poeticis ſtudijs deditiː

ita

ita opinor & illi & nobis gratiam habebunt, quod noſtro hortatu hæc eis carmina liberaliter communicârit, & in publicum protulerit. Vale, Spiræ Calendis Auguſti, Anno 1574.

VIRO CLARISSIMO D. IOHANni Poſthio, Medicinæ Doctori & Archiatro Wurtzenburgico, amico ſingulari.

NICOL. CISNERUS.

SEtſi nihil habebam, quod ad te ſcriberem: tamen cùm eſſet, qui ad vos proficiſceretur, eum ſine meis literis iſthuc redire nolui. Nam licet amicitia noſtra nulla indiget confirmatione, tamen ut ſermone inter præſentes, ſic literis inter abſentes conſuetudo alitur. Quid cum *Eginhardi* hiſtoria fiat, ignoro. Nondum enim in lucem prodijſſe audio. Quod ſi diutius premetur, aliud genus libri parabo, quo Dominum patronum noſtrum interpellem. Ioannem Cnodium Cancellarium Ambergenſem diem ſuum obijſſe, te accepiſſe exiſtimo? Qui cùm non modò ipſe tum in literis politioribus, tum in Iuris arte doctiſſimus fuerit: ſed & viros eruditos, quibus in rebus potuit, juverit & provexerit, dignus ſanè eſt, cujus memoria à viris doctis celebretur. Nam hæc ſive humanitas ſive virtus in aulicis perrara eſt, qui ſibi tantùm, non item alijs conſultum cupiunt. Quare te oro, ut epigramma aliquod in ejus obitum ſcribere velis. Idem ab alijs præ-

præſtanti dignitate viris impetravi. Sed in poëſi tibi palmam do. De me ut amiciſſimo homine, imò ut fratre, omnia velim tibi officia perſuadeas. Haberem alia, quæ tecum conferrem, ſed ſcribere non licet. Audio mihi ut ingrato obtrectari, quòd Heidelberga diſceſſerim: cùm tamen non ſolùm Illuſtriſſimi Principis El. permiſſu ſed & beneficio, quia me nominavit, huc venerim: ubi ea & didici, & obſervavi, quæ maximo redimere nolim. Neque quæſtus cauſa, ſed exercitationis, hunc appetivi locum, ut majori poſtea uſui patriæ eſſe queam. Sed obterendis calumnijs quaſi callum obduxi. Deum oro, ut ipſe mihi ſuâ clementiâ adſit. Ita enim maligni refutabuntur. Bene vale. Spiræ, 8. Octob. 1571.

AD EVNDEM.

S. Raphaël Seilerus abdicavit ſe officio Aſſeſſoris, ad quod nominatione Eccleſiaſticorum Principum Francici tractus, aditus eſt ei patefactus. Et quia ordo præſentādi in illius locū alterius nunc ad eoſdem redijt: non potui non tibi commendare eum, quem eo munere digniſſimum eſſe ſcio, ut illum cum aliis, tum vel maximè Domino patrono noſtro commendares: ipſorum ut ope inter alios etiam ipſe à veſtro Principe præſentetur ampliſſimo noſtro Collegio. Eſt autem Iohannes Meichsnerus, patria Auguſtanus, qui ad 10. annos Conſiliarium egit Naſſaviorum Comitum, Aurangij Principis fratrum, à quibus ſe huc contulit, ut à negotijs ad quietem animum revocaret. Iuriſconſultus

ſultus eſt doctus, exercitatus & eloquens: homo induſtrius & diligens, ac vir bonus probatisq; moribus. Quid multa? ſi in Collegium noſtrum cooptaretur, non modò magno illi uſui ſed & laudi foret. At verò tales maximè ad hoc tribunal promovendi, ſi res nobis publica curæ cordiq; eſſet. Quocirca cum Dominum patronum noſtrum communis utilitatis ſtudioſum eſſe cognoverim, commendaſſem de meliori nota ei Meichsnerum: Nec illi tantùm ſed & D. Alberto Baroni Limburgico. Sed quo minus ad ipſos ſcripſerim: in cauſa eſt, quòd religionis ſit Auguſtanæ. Itaq; cum dubitarem, an propterea meæ litteræ apud ipſos ponderis quid habituræ eſſent, malui rem totam tibi committere, ut pro tua prudentia perſpiceres, an quid impetrare poſſimus. Si ſperas, oro, ut hoc negotium cùm apud alios, quos putas idoneos, tum apud Dominum Patronum agas. Sin minus, tui erit conſilij, hac re tota ſuperſedere. Ineptum enim eſſet, id ſuſcipere, ex quo nullum conſequeremur fructum. Ergo ad tuum refero arbitrium hanc rem. Id tibi confirmo, Reipublicæ te multùm profuturum, ſi effeceris, ut inter alios denominetur. Me verò non minori afficies beneficio, atque ſi mea ipſius res ageretur: idq; non ob ullum meum commodum, ſed communem utilitatem. Vale. Spiræ, 7. Maij. 1572.

EIDEM.

EIDEM.

S. Et literas & votum tuum elegantib. verſibus deſcriptum accepi. Societati veſtræ me adjungam, atque à poculis mihi cavebo. Quod ad negotium noſtrum attinet, miror inſolentiam Papiſticam. Neque enim hactenus obſervatum ab ijs fuit, ut denominarent ſuæ religionis homines, ſed viros bonos & doctos & ad hoc munus idoneos. Nunc verò haud ſcio, quomodo indies inflatiores fiant. Fortaſſe aliquando crepabunt: aut ſi nobis quoque pereundum ſit, unà interibunt. Bellum in Belgio difficile & periculoſum geritur: cujus calamitas utinam ad nos ne redundet. Spiræ 11. Auguſti 1572.

AD EVNDEM.

S. Ut tu propter negotia rarius ad me ſcribis: ſic ego impeditus occupationibus forenſibus, non crebris te compello literis. Ita autem noſtra amicitia eſt confirmata, ut epiſtolarum adminiculo non indigeat. Nunc Reipublicæ potius quàm mea de cauſa ad te ſcribo. Eccleſiaſtici veſtri Principes nobis præſentarunt quatuor: quorum nullus eſt in noſtrum collegium cooptatus. Itaque licet præſtitutum ex lege Imperij tempus ad 5. Novembris diem elapſum ſit: tamen Collegio placuit ulterius tempus ijs præfigere, intra quod alios magis idoneos, ſi velint, denominent. Et ſanè majorem rationem meritò ſui officij habere debe-

debebant. Aequè ex lege Imperij obſtricti ſunt nobis aptos ad Aſſeſſoris munus homines præſentare, atque eadem nos tenemur ex ijs maximè idoneum deligere. Sed dum tuus ſenecio, dum item alij vicini Principes Eccleſiaſtici nolunt alios, quàm ſuæ religionis aſſeclas nobis obtrudere, non modò apertè delinquunt in conſtitutionem Imperij, quæ jubet, ut, non habita ratione religionis, idonei & deſignentur & eligantur: ſed & de hoc ſummo Imperij tribunali malè merentur. Iam verò quæ putas Collegij hujus ampliſſimi judicia, quos λογισμὺς fuiſſe? cum qui à politicis Principibus Franconici tractus præſentati fueruut, (erant autem quinq;) omnes hoc loco digni habiti fuerunt: nullus autem ex ijs, qui ab Eccleſiaſticis? Quocirca ſi Reipub. utilitatem & ſummi tribunalis dignitatem ſpectare veſtri homines nolunt: at ſaltem ſuam exiſtimationem non debebant negligere. Et quia mea opera, quoad ejus fieri poteſt, Reipublicæ me prodeſſe oportet: tametſi ſuperiori mea commendatione nihil apud vos profeci: tamen nunc ſuperſedere non potui, quin iterum tibi alium commendarem, quem Collegio noſtro uſui & ornamento fore exiſtimo. Ac me ante tibi hoc loco dignum commendaſſe, id argumento ſit, quòd is ceteris omnibus (quamvis omnes idonei eſſent) à politicis Ordinibus præſentatis, à noſtro Collegio ſit prælatus & nobis aſſociatus. Sed & D. Ionas Weidenkopff gener N. Patrij Cauſidici quondam celebris, aptus ad hoc munus propter juris cognitionem, eiuſdemq; apud nos exercitationem reliquasq; ingenij dotes & animi virtutes, non mea tantùm opinione, ſed multo-

multorum ſententijs cenſetur. Qui an D. Albadæ notus ſit, ignoro. Equidem confirmare poſſum, cum laude eum hoc officio functurum. Neque id temerè aſſero: nam eum probè novi. Et ſuccurrit mihi Horatij præceptum, etiam atque etiam videndum eſſe, quem, cui commendes, ne tibi aliena peccata pudorem incutiant. Scio enim nobis, qui eum commendamus, laudi id potiùs, quàm vitio datum iri, ſi modò commendatio hæc aliquid ponderis ſit habitura. Nam eundem quoq; Collega meus Conradus Pfeilſticker ejuſdem cum veſtris religionis, vir doctus commendavit D. Alberto Baroni Limburgico. Quare cùm te etiam Reipublicæ ſtudioſum cognoverim, oro ejuſdem nomine, ut à me tibi commendatum D. Ionam Domino Patrono noſtro & alijs, de noſtræ religionis hominibus non peſſimè ſentientibus, quorum conſilio hac in re veſter Epiſcopus utitur, ſignifices: & ſi tibi videatur, admoneas etiam, quantum ſcilicet laudis ex ſuperiori ſua præſentatione reportarint, & ut oſtendant, quoquo modo, aliquam ſe curam Reipubl. ſuæq; exiſtimationis gerere. Poteris & cum D. Albada eadem de re conferre, qui non ignorat, ſi nemo à veſtris intra præſtitutum tempus denominabitur, electioni ex officio locum eſſe: Sed de his ſatis. De rebus Gallicis & Belgicis me ad te ſcribere piget puderq;. Utinam Germania in nullo ſit diſcrimine. D. Patrono, oro, me de meliori nota commendes. A me ſi omnia veri amici officia expectaveris, non falſam opinionem tuam. Bene cum uxore & familia vale. Spiræ pridie Cal. Novemb. 1572.

ALIA.

S. Gratias tibi pro opera, quam in commendando D. Iona præſtitiſti Reipub. maximas ago. Nam pro tua prudentia intelligis intereſſe, ut in hoc ampliſſimum Collegium noſtrum viri boni & docti cooptentur. Cujus inprimis rationem nos habere oportet. De præſtantiſſimi viri Domini Alberti Baronis Limpurgenſis erga me benevolentia, quæ ſcribis, valde mihi grata fuerunt. Nam illum non ſolùm ob inſignem vetuſti generis nobilitatem ſed etiam tum præclaras ingenij dotes, tum excellentes animi virtutes jam pridem plurimi feci. Quare te oro, ut & mea illi officia & obſequia defe[illegible], & erga eundem obſervantiam declares, ope[illegible]q; des, ut inter ſuos clientes me ſibi commen[illegible]tum habeat. Pro Meliſſi elegia mitto tibi Epita[illegible]hia Caſp. Colignij Amiralij, Roſtochij excuſa, [illegible]rimorum carminum autor eſt *Theodorus Beza.* [illegible]ſtremi *Nathan Chytræus Mentzingenſis.* Equi[illegible] in deteſtationem ebrietatis libenter quid ſcri[illegible]m: ſed ea me facultas deficit. Adſcripſi autem [illegible]gramma Conradi Celtis, quamvis id ante tibi [illegible]m putem:

[illegible]aurus habet certas potandi tempore leges,
Sic equus, & liquidus quam vehit aër avis.
[illegible]os, divina qui cum ratione vigemus,
[illegible]ur Venus & Bacchus nocte dieq; tenent?

[illegible]æ tuum erga ſe prædicavi ſtudium, qui eo [illegible] multum ſe tibi debere profitetur. V. Spi[illegible] 4. Novembris, an. 1572.

ALIA.

ALIA.

SQuid de Cometa illo, qui tres amplius menſes conſpectus eſt, cum Plinius longiſſimum ſpatium, quo cernatur, 80. dierum annotârit, judices, ſcire cupio. Hæſit is hactenus in ſexta parte ſive gradu Tauri ferè immobilis, quem licet multi exiſtimarint non eſſe Cometam ſive μετέωρον, ego tamen in eam ſententiam nunquam adduci potui. Et ubiq; ferè obſervatum eſt, multo nunc minorem, quàm ab initio apparere. Ex quo liquet, non eum exiſtere in ætherea mundi parte, in qua ſunt ſtellæ fixæ & errantes, ſed in ea, quæ commutationibus, incrementis, diminutionibus obnoxia eſt. Et cum nullus unquam viſus ſit Cometa, quin magni aliquid mali portenderit: equidem non dubito, quin hic quoq; cum omnibus nobis, tum vel maximè ijs, qui Tauri ſigno ſubſunt, graviſſimas calamitates, præcipuè verò peſtem, tumultus & ſeditiones prænunciet. Nam admodum rari & tali forma conſpecti ſunt & tamdiu durarunt. Ad formam quod attinet, Claudianus in ſua panegyride in quartum Honorij Auguſti conſulatum refert ſtellam medio die viſam, ut & hæc noſtra Norinbergæ, & magnam cum Arcturo ſimilitudinem ei fuiſſe, Noſter quoq; Cometa ita orbiculatus eſt, ita radios emittit, ac ſi fixa eſſet ſtella. At Cometa ille anteceſſit Gothorum in Imperiũ Romanum irruptionem, & vaſtationem. Iam verò quò diuturniores ſint, eò vehementiora

non tam eorum, quàm earum ſtellarum præſertim errantium, à quibus conflantur, ſunt effecta, quod ex Ioſephi & Egeſippi hiſtorijs videre licet, qui referunt, Cometas excidia præſignificantes tum per annum, tum per ſex menſes integros eſſe conſpectos. Sed de his à te certiora. Equidem converſionem Imperij pertimeſco non ex hoc tantùm prodigio, ſed & ex multis aliis cauſis. Orandus igitur Deus eſt, & ut nos ad pœnitentiam commoveat, & ut commeritas pœnas levet. Bene vale. Spiræ, 14. Februarij. 1573.

EIDEM.

QUod de Epiſcopi tui animo ſcribis, non miror. Novi enim talium hominum ſenſa. Vehementer autem probo, quòd ex æterna *Dei* providentia te conſolaris. Cùm enim is unus omnis bonitatis & ſapientiæ atque prudentiæ fons ſit & origo, quæ nobis utilia & ſalutaria ſint, optimè novit: & pro ſua in nos clementia efficit, ut quæ nobis moleſta & incommoda eſſe videntur, ea ipſa quoque nobis bono cedant. Ex ijs, qui ab Eccleſiaſticis ordinibus ampliſſimo Collegio noſtro nominati ſunt, ad munus aſſeſſoris obeundum, cooptatus eſt in ordinem noſtrum D. Jonas Weidenkopf. Quod quanto Reipublicæ uſui ſit, ex me coràm intelliges. Quare magno beneficio affeciſtis hoc Collegium, qui ei operam ſtudiumq; veſtrum naviſtis. 3. Kal. April. 1573.

EIDEM.

EIDEM.

S Quæ de Epiſcopo nuper apud vos electo ſcribis, eum & eruditum eſſe & doctorum virorum amantem, & linguarum peritum, & erga te benignum, grata mihi fuerunt. Libentius autem ex ijsdem literis accepiſſem, eum virum valde bonum, Reipublicæ ſtudioſum, in veræ religionis cultores propenſum, vel non ab ijs alienum eſſe. Quæ prudentia, quis uſus rerum in tali ætate eſſe poſſit, non eſt difficilis conjectura. Et cum in eodem ordine fuerint, quos non his modò rebus præſtare, ætateq; antecedere, ſed & pluribus & majoribus tum animi virtutibus, tum ingenij dotibus præditos novi, & in his & D. Patronum noſtrum & Baronem Limpurgicum, miror tam excellentium virorum in electione præcipuam rationem habitam non eſſe. Sed moleſtia cogitationis longius prolapſus ſum atque inſtitueram. Rex Poloniæ cum præcipua nobilitate Gallica & Italica 10. hujus Heidelbergam ad Electorem Fridericum iturus hîc pernoctavit. At reliquus ejus Comitatus Landavio Didesheimium, atq; inde Borbetomagum profectus eſt. Rex inter Chriſtophorum Palatinum & Epiſcopum noſtrum medius inceſſit. Heidelbergæ duas noctes commoratus eſt. Ajunt per diem integrum ferè cum Electore, pauciſſimis præſentibus, in ejuſdem conclavi eſſe collocutum. Cives noſtri Ieſuitas ejicere cogitant. Eoſdem ajunt Fulda expulſos: qua de re vos certiora. Epigrammata tua doctiſſima ſunt: utinam ijs ille dignus ſit, in cujus gratiam ſcripſiſti. Vale. 17. Decembr. 1573. Spira.

EIDEM S.

HEri tranſivit hâc Mareſchallus Galliæ Comes Rezenſis cum 200. equitibus. In Gallia maximi ſunt motus. Condeus fugit in Germaniam. Navarrus, Alenzonius frater regis minor, Momorantius maximus natu ex filijs Conneſtabilis capti ſunt. Minimus cum Condeo eſt, quamvis non ejuſdem ſit religionis. Huc allatum eſt, Antuerpiam ab Hiſpanis, qui poſt pugnam ad Neomagum commiſſam circiter 4000. à ſignis ſeditione facta diſceſſerunt, occupatam. Ac cum pleraq; pro ſua libidine agerent: tandem convenisse, ut acceptis ſtipendijs Bomelum ad ſigna redirent. Sed licet & ſtipendia illis ſuo nomine ſint ſoluta, & ut hæredib. ab alijs in teſtamentis ſuis inſtitutis quid datum, & de reliqui ſolutione ſpes facta, & Gubernator in templo publicè jurejurando ijs de impunitate caverit: tamen adhuc Antuerpiæ dominantur. Interea Genſij 23. naves ab omni munitione & apparatu inſtructas in portu urbis in ſuam poteſtatem redegiſſe, & in Selandiam abduxiſſe dicuntur. A rege miſſa ſunt 80. ſigna peditum in Hollandiam, qui Hagam recuperarunt. Impedituri Hollandos feruntur, quò minus fœnum in horrea importare poſſint. Nam facultates eorum magna ex parte in pecude poſitas noſti. Ordines Belgici conventum agunt Bruxellis. Ajunt eò miſiſſe regem literas gratiæ optima forma: quibus Belgis, quicquid contra ſe commiſerunt, ignoſcit, & in gratiam eos recipit.

Ericus

Ericus Brunſuicenſis, & Otho Schaumburgius cum 4000. equitum in finibus Geldriæ, Holandiæ & Friſiæ ſubſiſtunt. Ioannes Auſtriacus magnas equitum & peditum copias colligere dicitur in ducatu Mediolanenſi. Duæ quoq; legiones Helvetiorum conſcriptæ ſunt à rege Hiſpaniæ. Convenit quoq; equitatus in ducatu Lucemburgico. Ex Saxonia quoq; aliquot turmas equitum ad Rhenum proficiſci, & jam quaſdam prope Moguntiam eum trajeciſſe ajunt. Quid ſibi velint, ignoro. Deus miſereatur cariſſimæ patriæ noſtræ Germaniæ, eiq; non pro meritis noſtris, ſed pro immenſa ſua clementia adeſſe dignetur. Peditatus, cujus delectus ad S. Vitum fieri debebat, à Carpenſibus diſſipatus fertur. Eum conſcripſerat Hannibal Comes ab Embs, qui graviter à Gaſconibus Alſatiam tranſeuntibus vulneratus decumbit in Tabernis Alſaticis. In Gallia nunquam major fuit regni perturbatio. Rumor hîc eſt, regem veneno ſublatum. Sunt qui putent, equites Saxones in Galliam militatum regi iter facere. Certum eſt à Gallis Germanorum cogi militem. Hæc hactenus. 10. Iunij, Anno 74.

AD EUNDEM, SPIrâ, 1574. 24. Iunij.

NOva hæc accepimus. In Normandia Mongomerium à regijs captum; pòſt iterum pugnam comiſſam eſſe, & cæſum Ducē Mompenſeriū ex par-

te reginæ,& ab Hugonotis aliquot ſigna capta. Rex ipſo die Pentecoſtes obijt. Medici & Chirurgi cùm corpus exenterarunt, invenerunt pulmones ex nimia agitatione & commotione planè corruptas, veneni nullum indicium deprehenderunt. Promulgatus eſt Lutetiæ Franciæ Rex Heinricus Rex Poloniæ,& donec in Galliam redeat, regina gubernatrix declarata. Alenzonius & Navarrus ſunt in liberiori cuſtodia. Audiendis legationibus, legendis litteris magni momenti, & tractandis gravioribus regni negotijs intereſt Alenzonius. In Belgio aiunt Gæſios conflixiſſe cum regiis & ſuperiores fuiſſe; ſeditioſos Hiſpanos, confirmata iis in templo maximo Antuerpiæ à Gubernatore per iuſiurandum impunitate, rediiſſe ſub eiuſdem imperium. In Hollandiam novos adveniſſe Hiſpanos, qui caſtella aliquot munita receperint; cæteros in oppugnatione quorundam oppidorum magnum paſſos eſſe detrimentum; nonnullos etiam, promulgata venia regis, in eius tranſiiſſe poteſtatem. Uranium nuper recenſuiſſe 80. ſigna, & claſſe dominari in mari; acceſſiſſe ei aliquot Anglos, &c. Equites, quos Petrus Erneſtus Mansfeldius conſcripſit, morantur in ducatu Lutzelburgenſi, nec ante volunt militare, quàm promiſſam acceperint pecuniam. Ex Italia nunciatur, Turcam maximam comparaſſe claſſem, & ex inſidijs inopinatò voluiſſe invadere Melitam inſulam, & magnis copijs appuliſſe ad portus; ut eos occuparent; ſed equites Turcæ diffidentes ante & præſidio & rebus neceſſarijs eos ita inſtruxiſſe, ut re infecta Turcæ indeſe receperint. Metuunt, ne diviſa claſſe ſimul & in Afri-

Africam & in Italiam atque Inſulas finitimas impetum faciant. Sed de his vos certiora. &c.

EIDEM.

S. Gratæ mihi fuerunt litteræ tuæ, ex quibus cauſam tam diuturni ſilentij cognovi. Nam cum menſe Octobri patrono noſtro Domino *Neuſtettero* miſerim opus hiſtoricum in 4. tomos à D. *Schardio*, piæ memoriæ, licet negligenter & inordinatè digeſtum, cum meis præfationibus, catalogis & appendice duorum annorum, & epiſtola ſub nomine Sinceri Calonij, tranſpoſitione literarum ex proprio meo & cognomine confecto, ad ipſum ſcripta, nomine ꝓprio ejus Græco in Latinũ, & cognomine Germanico in Græcum Amandi Neapolitani converſis per Andream Frobeniũ Eberſteinij apud nos Comitis Præfectũ miſerim, literasq; addiderim, quibus inſtituti mei rationẽ & cauſas expoſui; quid eſſet, quamobrẽ nihil mihi vel ab ipſo reſpõſum, vel à te interea ſcriptum fuerit, apud me conſtituere non potui. Notationem autem illam annalium meorum ex ijs literis, quæ ad nos ex Italia, Gallia, Belgio, alijsq; locis huc perſcriptæ fuerunt, collegi, & ex epitome 74. annorum, initio facto ab anno Domini 1500. à me de ijs, quæ in illis acciderunt, confecta, ad finem huius operis, id me ſummopere typographo rogante, conjeci. Ante mortem Schardij opus fuit impreſſum, quod cùm nec cohærere argumentis (quid enim deſcriptionibus Germaniæ tum generalibus tum ſpecialibus, quæ in primo to-

mo confuſè collocatæ ſunt, cum rebus à Carolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. Cæſaribus geſtis commune? de quibus in tribus poſterioribus tomis) nec via atq; ratione diſpoſitum, nec plenè collectum: ſed malè coagmentatum, confuſum, mutilum atq; imperfectum eſſe vidi: ſuaſi typographo, ut quæ deeſſent (deſunt autem plurima) prius complere vellet, quàm exemplaria in nundinis distrahere. Cùm is autem me obſecraret, ut, quod à Schardio nondum præſtitum erat, præfationes, catalogos, & indices ſcriberem, monui publicationem differret: At id fieri non poſſe mihi reſpondit. Neq; enim ſine maxima ſua jactura moram hanc, donec addantur, quæ deſunt, interpoſitum iri; cùm in id amplius 2500. fl. [illegible]norum ſumtus fecerit. Itaque & in his ipſis rebus voluntati ejus morem gero, & in adjiciendo Chronico duorum reliquorum annorum, exemplo D. Hieronymi, Euſebij, *Proſperi*, Aquitanici, Joannis Tilij & aliorum *quorundam*, qui ſumma rerum capita eodem modo annotarunt, ejuſdem ſtudio obſequor. Et cum opus perlegendum eſſet, ſimul quæ in verbis invidioſa & probroſa erant, & à re ipſa aliena, plus quàm ducentis locis præſertim in epitoma, ejuſdem typographi viri boni & amici mei precibus adductus, expunxi; quæ ei alijs folijs ſubſtitutis iterum excudenda fuerunt. Cùm verò me urgeret de appendice ad ſe mittendo, quem dubitabam adjungere Schardij epitomæ; & nundinarum Francofurtenſium autumnalium tempus inſtaret; frequentibus ejus interpellationibus victus tandem mea manu ſcriptum appen-

appendicem miſi. Verùm quòd multa, qui corrigendis libris præeſt, aſſequi legendo non poſſet, & alioquin negligens ſit, inde factum eſt, ut cum in toto opere tum præſertim in appendice plurima ſint errata & mendæ. Solebat Scrimgerius dicere, duos eſſe *Henricos*, quorum alter eſſet bonus vir, malus typographus, *Henricum Petri* notans; alterum bonum typographum, at non itidem bonum virum, *Henricum Stephanum* innuens, qui tamen cur ei poſterius epitheton tribuerit, ignoro. Sed id fortaſſe ei à bibliopolis aſperſum eſt, quòd eos non tam humaniter tractet. Itaque cum mihi unum tantùm miſiſſet exemplar, & appendicem perlegiſſem, ante à mendis eum purgare viſum fuit, quàm ad Dominum Patronum mittere. Verùm cùm ita maculaverim, ut vix, quæ adſcripſi, ab eo legi poſſe putem, & alterum mihi exemplar Argentina allatum ſit, rogo, Patrono ſignifices, ut appendicem ſeorſim mihi remittat. Nam à meo librario, quæ emendavi, deſcribi curabo melius, rurſusque vel ad eum ipſum, vel ad te quàmprimum referri. Quòd autem quoſdam verſus deleverim, inde accidit, quòd cùm ſecundas meas notas typographus, quas cum epiſtola ad Dominum Patronum ſub nomine Amandi Neapolitani ei miſeram, tardius acciperet; nec notas potuerit ſuis locis interponere, ut quidem ſe mihi excúſat; nec tantum ferè temporis fuerit, ut epiſtolam prælo ſubjiceret, quam addimus. Porrò hoc opere ab ipſo diſtracto, longè & congruentius

& per-

& perfectius poſtea prodibit. Nam in duos libros ſeparatos ſive diverſa duo opera dividetur: quorum prior tomos duos continebit, alterum de generalibus, alterum de ſpecialibus Germaniæ deſcriptionibus: poſterior quatuor partes complectetur: Primam de ijs, quæ ſub *Maximiliano I.* ſecundam, quæ ſub *Carolo V.* tertiam, quæ ſub *Ferdinando*: quartam, quæ ſub *Maximiliano II.* in varijs orbis partibus geſta ſunt. Te oro, explores, an D. Patronus opus illud à me acceperit; cur hactenus nihil reſcripſerit (metuo enim, ne vel appendix, vel immutatio nominum ei diſpliceat) & ut appendicem mea manu deformatum remittat, ut alium commodius & elegantius ſcriptum in ejus locum reponam; ſiquidem nondum compingi curavit: & me ei de meliori nota commendes, & quid deſideret, liberè ſcribas. Porrò, ut ad litteras tuas redeam, valde tibi gratulor de novis amicis comparatis. Eſt enim ut ille ait, in hac vita optimum poſſeſſionis genus. Ad nova quod attinet, ex Italia multa accepi, quæ ad Iudicem Cameræ miſſa nondum recepi. Venetijs eſt Nicolaus Dromeſius totus in novis & ad Hiſpaniæ regem & ad alios Principes lingua Italica perſcribendis occupatus; nec in ijs ſolùm, quæ in Italia eveniunt, ſed & quæ ex Turcia, Polonia, aula Cæſaris, Gallia, Belgio & alijs partibus Venetias adferuntur. Huic Dominus Iudex noſter ſtipendium annuum conſtituit. Rogavit me, ut alios adhuc proceres ei conciliarem. Reſcripſi, me pro eo apud te interceſſurum, ut ea de re vel cum ipſo Epiſcopo vel alijs Dominis Canonicis agas. Quod ſi igitur illi rebus novis delectantur, conſtituant ei aliquod hono-

nora-

norarium annuum, & decimo quarto quoque die per veredarios ab illo nova vel per me vel per amicum Auguſta vel Norinberga, quocunq; illum literas mittere voluerint, accipient. Ceterùm quæ mihi jam in mentem veniunt, hæc ſunt.

Solymus Turca menſe Decembri mortuus eſt, cui ſucceſſit filius Amurathes, qui, ut renunciatus eſt Imperator, quatuor fratres ſuos interfici juſſit. Claſſem dicitur maximam adornare. Itali valde ſibi metuunt. Itaq; quomodo occurrendum ſit Turcæ, & Italia ab ejus impetu tuenda, deliberant. Rex Hiſpaniæ graviter ægrotare dicitur; & ad eum Iohannes Auſtriacus ex Italia navigaſſe. Neapolitani ſeditione factâ, in Hiſpanos concitati, quotquot invenerunt, trucidaſſe feruntur. Inquiſitores fidei à rege Portugaliæ in ditiones ſibi in Oriente ac India ſubjectas miſſi, à monachis ibidem degentibus, conſpiratione facta ut primùm in provincias, civitates, & cœnobia diſtributi fuerunt, ad unum omnes occiſi dicuntur. Rex Galliæ apud Venetos ſolennibus literis nihil aliud quàm victorias ſuas & & triumphos, & inſignes belli apparatus adverſus Hugonotos cantat, cùm interim huc nunciatum ſit, multum ducibus ſuis ab iis detrimenti illatum, & aliquos in oppugnationibus non modò ſtrenuè repulſos, ſed & interfectos eſſe; & ſingulare pacis ſtudium apud noſtros Principes ſimulet. Nam per legatos petijt ab *Electore Palatino Friderico* filio eius *Johanne Caſimiro*, ut ſuo nomine de pace apud Hugonotos intercedant. Baſileæ quoq; ante ſeptimanas aliquot & regij & Hugonotorum legati convénerunt, ut de pacis conditionibus tractarent. *Carolus Le-*

lus Lotharingus Cardinalis Avenioni interijt. Incredibilia ferè ſunt, quæ feruntur de ijs, quæ & tempore mortis acciderunt, & etiamnum audiantur. Sed conſtans fama tamen eſt, cum animam efflavit, maximam vim ventorum, & ſævas horribileſque tempeſtates in tota illi vicinia excitatas fuiſſe: In feſto natalitio ter tonitrua extitiſſe. Circiter menſem legati *Cæſaris Heidelbergæ* fuerunt. Ajunt Electores conſenſiſſe in comitia Imperatoria proxima æſtate celebranda, Inſtare enim Cæſarem, ut *Rodolphus* maximus natu filius Rex Romanorum creetur Comes *Schwartzenburgicus* cum conjuge ſua, Uranij filia, pacificationis nomine ad *Uranium* eſt profectus. Sed Holandi & Zelandi inprimis de religionis libertate ſibi cautum volunt. Comitem re infecta Coloniam reverſum, hodie audivi. Hæc de alijs. Vis etiam accipere, quæ de vobis ſpargantur. Principem tuum & abbatem Fuldenſem totos (ut ea ſignificatione Julius Cæſar utitur) ejicere miniſtros Evangelicos, & in eorum locum ſurrogare Ieſuitas, repugnantibus eorum locorum dominis equeſtris ordinis, in quibus multos jam annos Evangelij doctrina culta & recepta fuerit. Videant, videant, ne in ſe ſuosq; & vicinos concitent, & periculoſiſſimo ac cariſſimæ patriæ noſtræ exitioſo bello ſe implicent. Scio hæc vobis grata non fore: ſed quin colophonis inſtar adjicerem, pro meo in patriam ſtudio & pacis amore intermittere non potui. Bene vale. Spiræ, 21. Febru: 1575.

EIDEM.

EIDEM.

S. De ſtatu rerum mearum Domino Patrono ſignificavi me ad te ſcripturum: quanquam nihil adhuc certi habeam. Heilbronnenſes valde me ſolicitarunt, ut ad ipſos irem. Itaque rurſus ad eos profectus, Syndicatus munus, quia multum negotij habet, repudiavi, & ad id.L.Kislerum Procuratorem Heidelbergenſem promovi, & advocati officium ſuſcepi: quod planè quietum eſt & tranquillum. Sed quando iſthuc profecturus ſum, non conſtitui, ſed meæ facultati reliqui. Palatini Electoris bona gratia mihi Heilbronnæ agere licet: qui in octo graviſſimis cauſis tractandis opera mea in advocando & conſulendo vult uti, eoque nomine, ut in curia illa, honeſtum mihi decrevit honorarium. Actum mecum quoque eſt de ſuſcipiendo patrocinio Comitatus Wertheimenſis, & pro eo oblati 300. taleri. Verùm contenditur, ut Wertheimij habitem. Defertur habitatio commodiſſima, cum alijs quibuſdam ad victum pertinentibus. Iam etiam indicatum mihi eſt, Marchionem Brandeburgicum, Wirtebergicum, & Carolum Badenſem Marchionem mecum acturos, meam ut ijs operam in quibuſdam cauſis navem. Petierunt quoque à me Philippus Comes Eberſteinius, Ludovicus Comes Leonſteinius, ut in controverſijs, quæ in hoc tribunali diſceptantur, ijs ad-

ijs adſim. Sed nullus eorum mecum egit adhuc de certo ſalario. Itaq; nondum loco meo renunciavi: nec ante finem feriarum Canicularium renunciare cogito. Porrò ſex menſes poſt renunciationem hîc me commorari ex conſtitutione Imperij oportet. Quare hoc anno hinc diſcedere non potero: idq; propterea, ut interea mihi theſaurum omnis generis actionum & proceſſuum colligam. Hæc de meo inſtituto.

Quod me hortaris, ut hiſtoriarum telam gnaviter pertexam, in id ſtudij quicquid temporis reliquum fuerit, conferre conſtitui. Verùm ante magnopère cuperem, quicquid in Franconia eſt antiquitatum, colligere. Nuper oblitus ſum, te rogare, ut pro hac invitatione Principis tui, ſi modò ex animo profecta eſt, gratias ei maximas meo nomine ageres, meamq; operam & ſtudium, quâ par eſt, reverentiâ deferres. An quid ei de hoc *inſtituto* meo ſit ſignificandum, Domini Patroni & tuo judicio permitto. Nam ſine veſtro conſilio nihil hac in re agam. Fieri poteſt, ut in ſequentibus ferijs Canicularibus evocer, Wertheimium. Quod ſi contigerit, faciam te certiorem, ut, ſi volueritis, tum Bibliothecas veſtras viſam. De hiſtoriæ ſacræ Rabani parte ad me miſſa gratiam Domino Patrono habeo. Is indies ſua erga me beneficia cumulat, ut reddendæ gratiæ omnis mihi eripiatur facultas, & non niſi grati animi teſtificandi poteſtas reliqua ſit. Ipſi rogo me de meliori nota commendare ne deſinas: non quòd de ejus in me benevolentia dubitem, qua me nihil tale merentem ſuâ ſponte & & complexus & proſecutus eſt, ſed quòd profectò maximi

maximi eam faciam. De meo erga te animo quid multa ſcribam? Noſti nos ſincerè & apertè nuper intima ſenſa inter nos conjunctiſſimè communicaſſe, cujus recordatio quoque mihi & grata & jucunda eſt. Bene cum uxore vale. D. Hornſteinum, D. Alabadam & alios amicos ſalvere jubeo. Spiræ 3. Iunij, anno 1575.

EIDEM.

S. De novis remiſſis ago tibi gratias. Wertheimium ut eam, nec Illuſtriſſimo Principi meo El. Pal. placet, nec ullus amicorum, quibus res meæ ſunt exploratæ, ſuadet. Itaq; juxta conventionem noſtram Heilbronnæ habitare conſtitueram, & cum Senatu conveneram. Verùm Comites, qui me ſtatim pòſt ad ſe Breuburgum vocarunt, nolunt poſteriorem conventionis partem ratam habere; ſed opus ſibi eſſe ajunt conſiliario, qui ſecum habitet. Quare illam conditionem cogor repudiare. Sed ſi opera mea Heilbronnæ uti voluiſſent, omnino addixiſſem. Et ſanè rationibus meis & utilius & honorificentius in civitate Imperij domicilium fuiſſet. Ac licet meo Principi obligatus non ſim; tamen nolim in ejus offenſionem incurrere. Quocirca rem omnem differo. Neque enim temerè hoc meum munus deſeram. Hæc meo nomine renuncies Domino Neuſtettero, cui, ſi Heilbronnæ agerem, Comburgi degenti ſæpe adeſſe potuiſſem. Eidem me officioſè commendes. Reverendiſſimo Principi tuo pro ſua clementia

gratias maximas, qua poſſum obſervantia, ago: cui qua decet, reverentia, oro, obſequia mea inprimis deferas: deinde generoſo Domino Comiti Schwartzenburgico Præſidi meo colendo, tum Domino Hornſteinio: & quidem pro ſua cuiq; dignitate. Nunc mihi occaſio datur aditum tibi ad *Nathanis Chytræi* amicitiam patefaciendi, quã non negligam. Noſti Philippum à Gemmingen. Is ante quatuor annos, unico filio & hærede relicto Weiricho à Gemmingen, obiit, qui ſuperiori Auguſto Stutgardiæ cum ſummo matris, & totius propinquitatis mœrore in aula Wirtenbergici obiit adoleſcens circiter viginti & amplius annorum, optimè à parentibus educatus. Pater ejus adhibitus fuit ad graviſſimarum rerum deliberationem ab *Othone Henrico* Electore, Wolfgango Bipontino, Chriſtophoro & Ludovico Wirtenbergicis. Mater ipſa quoque ex gente Gemmingia nata eſt, filia Wirichi, ſoror Sebaſtiani & Leonhardi à Gemmingen. Aviæ quoque ipſius tam paterna quàm materna ortæ ſunt ex una eademque familia Nippenbergenſium. Rogavit me Leonhardus, qui mecum fuit in Gallia, ut curarem illi Epitaphium. Nam extruunt ei ſplendidiſſimum monumentum. Reſpondi, me à te impetraturum, ut tu ei ſcribas. Oro igitur, in honorem Weirichi unici hæredis Philippi, & amplarum opum, (reliquit enim ad 250000.) epitaphium ſex aut adſummum octo verſibus conficias. Promiſerunt honorarium; credo præſtituros. Mihi quoque gratum feceris. Bene vale. Spiræ, 18. Auguſti, anno 1575.

EIDEM

Eidem.

S. Exiſtimo te ejus Colloquij, quod Comburgi apud Dominum patronum poſtremo die de fine ſtudiorum noſtrorum habuimus, recordari. Quare non dubito, quin, quoad poteris, Poëſi operam ſis daturus. Nam immortalis gloriæ fructum inde percipies. Valde me delectavit ingenioſum & eruditum *Nicolai Rudingeri* noſtri Epigramma: quem ipſum quoq; hortor, ut quod ab occupationibus ſuis tempus reliquum habet, id omne ad ſtudium Poëtices conferat. Si quid mihi eſt judicij: præclaram operam in eo genere ambo navaſtis; nec natura vobis nec ars deeſt. Quare in id incumbetis: ne quid intermiſſione ſcriptionis vobis de ea facultate, quam inſignem comparaſtis, decedat: ſed ad eam potiùs exercitatione diligenti indies quid accedat. Mihi lectione barbarorum Iuris interpretum multum detrahitur de ſtilo, qui Ciceronis, Iulij Cæſaris & præſtantiſſimorum in lingua Latina autorum exacuendus erat. Sed nondum conſtitui privatam vitam degere, quamvis eæ mihi ſint facultates, ut commodè poſſim. Interea aliæ mihi ſunt oblatæ conditiones prioribus ampliores. Unam recuſavi propter longinquum admodum iter; de altera adhuc delibero. Si quid erit certi, faciam, ut ſcias. Nullam verò ejuſmodi ſuſcipiam, qua à ſtudijs penitus abſtrahar. Certum eſt *Aſſenſteinium* cæſum, quo cum ducenti ad ſummum ceciderunt. Thoræus filius Coneſtabili Momorantij ferè cum omnibus ſuis Gallis & 100. Germanis equitibus

evaſit ad Alanzonium regis fratrem. Pedes etiam Gallus ſe magna ex parte impedimentorum ope ſervavit. Tria tantùm vexilla equitûm pugnarunt: reliqua manum non conſerentes ſe ſtatim Schonbergio magiſtro equitum regiorum dediderunt. Rumor eſt quoſdam ab ipſo ſubornatos, reliquos ad defectionem incitaſſe. Walbrunnum, qui præfuit 800. equitum turmis ajunt operam ſuam rurſus detuliſſe Pr. Palat. *Joanni Caſimiro*. Sed cùm uti eorum operâ recuſaret, illum ſignificaſſe; ergo ſe cum ſuis ſub rege Franciæ ſtipendia meriturum. Hîc mihi in mentem venit celebris verſus:

Nulla fides, pietasq́; viris, qui caſtra ſequuntur.

Caſimirus cum duobus Haſſiæ Landgravijs Ludovico & Georgio ad nuptias Wirtenbergici Stutgardiam profectus eſt. Exercitus ejus magno numero adventare dicitur, cui ſe adjungent multa Helvetiorum ſigna. Hæc de noſtris. Ex Italia nunciatum eſt, regem Hiſpaniæ magnas copias ſubſidii miſiſſe Genuatibus antiquæ gentis, eosq́; præter Savonam omnem ferè Genuatum ditionem ſub ſuam poteſtatem ſubjunxiſſe; ipſos Genuates opem Pontificis Procerumq́; & civitatum Italiæ imploraſſe, qua ſi deſtituantur, non obſcurè ſignificaſſe, ſe Turcam maximo totius Italiæ detrimento ſibi ſubſidio advocaturos. Tranſylvaniæ quoque civitates ſe Turcæ dedituras fuiſſe, niſi ab eo inſtituto eas Imperator revocaſſet, accepimus. Ejuſdem Turcæ inſtinctu Tartari impetu in Poloniam minorem facto magnam inde prædam retulerunt. Reliqua nova ſingulatim deſcribi curavi, quæ Do-

mi-

mino Patrono mitto. Bene vale. Tuæ uxori, amicis omnibus, præſertim N. Rudingero ſalutem plurimam dico. Spiræ, 9. Novembris, 1575.

AMPLISSIMO VIRO, DOMINO ERASMO NEUSTETER, *cognomento Sturmer, Eccleſiarum cathedralium Pabenbergenſis, & Würtzeburgicæ Canonico, ac Decano Comburgenſi, Domino & patrono ſuo obſervando.*

SIam aliquot ſunt menſes, obſervande Domine Patrone, cùm nihil vel de te, vel de tuis rebus, à Poſthio noſtro literarum accepi. In causâ eſſe exiſtimo, quod cum Domino ſuo Coloniam profectus ſit, & ibidem commoretur. Intereà Syndicus tuus, affinis meus, mihi, tuo nomine, ſpem fecit, de *Joachimi Camerarij* annotationibus in Plinium, quas cum ijs, quæ adſcriptæ ſunt exemplari Plinij, à te mihi miſſo, ſive à Rodolfo Agricolâ, ſive ab Aventino id factum ſit; alijsque nonnullis, ut Hermolai Barbari, ut Philippi Beroaldi, ut Guilielmi Budæi; ut Beati Rhenani, ut Sigiſmundi Gelenij, &c. ſe impreſſuros typographi Baſileenſes receperunt. At nihil de alijs tuis negotijs ad me ſcripſit. Cùm verò mihi poſtremâ tuâ epiſtolâ, ſignificâris, te Iulio menſe, propter moleſtias & controverſias, quas tibi familia quædam ordinis equeſtris Francica faceſſit, huc proficiſci conſtituiſſe, majorem in modum te rogo, me ut quamprimùm commodè potes, certiorem facere velis, eódemne adhuc

ſis animo, an non. Nam *Thomas Eraſtus* medicus mihi ſuaſit, ut valetudinis causâ, acidulâ Kiſſingenſi utar. Itaque tamdiu hîc ſubſiſtam, quoàd de tuâ voluntate cognovero. Vocarunt me Wertheimenſes Comites, ad conventum excellentium quorundam Iuriſconſultorum, quondam meorum in hoc Ampliſſimo tribunali collegarum, deliberationum quarundam causâ. Sed quia iis intereſſe religione ſacramenti impedior, quo adhuc collegio ſum obſtrictus, aut ne impediar vereor, recuſavi, quamvis Werthemium non longè abſit Kiſſingâ. *Palatinus quoq; Elector*, honorificis conditionibus propoſitis me urget, ut ſibi & patriæ meam navem operam, & haud ſcio, an denegare amplius mihi liceat: Hactenus enim, quoad potui, diſtuli. Quare metuo, ne poſthac mihi viſendi Bibliothecas Franconicas facultas ſuppeditet. His de cauſis ante vel tuas, vel tuorum literas exſpectare viſum eſt, quàm *hinc abeam*. Nova, & ex Belgio, & ex *Italiâ*, jam certiora, quàm nos, habetis, illa Coloniâ, hæc Norinbergâ, quare eorum ſcriptione ſuperſedeo. Ex Galliâ allatum eſt, Regem neſcio quibus & hominibus & rebus oblectari. Varia & nonnulla ridicula feruntur. Mitto tibi carmina quædam in nuptias *Caroli Sueci, & Mariæ Electoris Palatini* filiæ. Is rediturus eſt cum conjuge ſuâ, quarto Nonas Iulij in patriam; comitabuntur eum Caſſellas uſque ſocer & ſocrus. Te rogo, ut me tibi de meliori notâ commendatum habeas; ego amici hominis & obſervantis clientis officio non deero.

Benè vale. Spiræ: 1579.

ERV-

ERUDITIONE ET VIRTUTE præſtanti viro, D. RICHARDO HEMELIO, *ſcholæ Mosbachianæ Rectori, vigilantiſſimo, ſuo affini cariſſimo.*

S. De matrimonio cum cognata mea contracto tibi gratulor, mihiq; gaudeo, talem nos adeptos affinem. Quod verò ea mihi defertis, quæ veſtrarum ſunt partium, agnoſco humanitatem erga me veſtram. Equidem niſi uxor mea vitam cum morte commutaverit, quæ tamen videtur meliuſculè habere, aut ego morbo ſontico impeditus fuero, omnino vobis adero. Et quia optionem mihi offertis, probo 6. Septembris. Poſthius noſter ſignificavit mihi, ſe adventurum. Grati etiam mihi erunt Nicolaus Rüdingerus, & Lauterbachius. Trigelium quoq; ſuadeo, ut & Dominum Patronum virum ampliſſimum Dominum Eraſmum Neuſteterum, vel mea de cauſa voces; qua in re Poſthij conſilio utaris velim. Promiſeram nuper me Wirtzeburgi ei 6. Auguſti affuturum: verùm graviſſimus morbus uxoris me remoratus eſt, quo etiamnunc iter meum differtur. Quare me his literis apud eum excuſavi, quas oro quamprimùm tibi occaſio dabitur, ut Wirzeburgum proferri cures. Nam quia tibi conjunctos & amicos ad nuptias es invitaturus, non dubito, quin commodam habeas facultatem mittendi ad ipſum literas. Intereſt autem mea ſcire, utrum adhuc Wirzeburgi commoretur, an aliò ſit profectus. Quæ de te nobis promittis, eadem nos

quoq; de te pollicemur. Ego verò operam dabo ut ad majorem dignioremq; conditionem proveharis. Bene vale, & ſocerum ſocrumq; ac ſponſam tuam meo nomine ſalvere jube. Neoburgi, XIII. Auguſti, 1580.

T. affinis

Nicolaus Ciſnerus Curiæ Palatinæ projudex & ejuſdem Conſiliarius.

IDEM EIDEM.

SI Puer meus literas meas eo ipſo die, quo ſcriptæ ſunt, tulit in hoſpitium ſcribæ præfecturæ Moſbacenſis; qua de cauſa ante Andreas librarius meus eum allocutus eſt. Ac tunc quidem uſq; ad diem ſabbathi nonnihil ægrotavi, ſed ita ut non idcirco intermiſſurus eſſem hoc iter, præſertim cùm & Wertheimum mihi eundum eſſet. At die Sabbatho me etiam colica invaſit, quæ me planè languidum reddidit, ita ut vix ſtare vel incedere queam. Iam & uxori meæ de equo & vectura proſpexeram, & Andreæ ſimiliter de equo, ita ut planè ad iter inſtructi eſſemus, dimiſſionem etiam ulterius proficiſcendi impetraveram ab Illuſtriſſ. Principe. Verùm aliter viſum eſt domino, & cum equo inſidere deſideraſſem, nunc lecto incumbo. Quæ mihi res moleſtiſſima eſt. Uxor etiam mea deſiderabat ad

Andreas Hangius.

vos

vos venire, ſed nunc me deſerere non poteſt. Hæc ad te bona fide ſcribo. Quare ut me neceſſaria de cauſa, mihique acerba, me excuſatum habeas, majorem in modum te rogo. Excuſes me etiam apud ſocerum tuum, ſocrum, & ſponſam, alioſq; meos agnatos & cognatos. Si meliuſculè fuerit, vel craſtina die vel perendie, ad vos proficiſcar. Vobis de miſſis equis & rheda maximas gratias ago, & doleo inanem redire. Munuſculum ſponſæ tuæ mitto, quod oro boni conſulat. Præſtabo tibi, ſi Deus me ſuperſtitem eſſe voluerit, majora officia; Omnibus convivis tuis meo nomine dicas. Bene valete. Neoburgi. 5. Septemb. 1580.

EIDEM.

S. Literæ tuæ omni ex parte tuum in me amorem atque animi inductionem oſtendunt, non illum quidem ignotum, ſed indies tamen magis magiſque optatum. Quocirca in hac propinquitate noſtra ſi tibi ſtudio, opera atque ope mea adeſſe potero, non deero amiciſſimi hominis officio. Ego adhuc adverſa ſum valetudine. Itaq; te non ita excipere poſſum, ut debeo. Alioquin non abs re eſſet, ſi ad me proficiſcereris, ut de tuis rebus & de te promovendo contuliſſemus. &c. Vale. 17. Oct. 1580.

EIDEM.

SQuo tempore tabellarius mihi binas gallinagines, ut Theodorus Gaza, ſive σκολόπακας ſive ἀσκαλώπακας, ut Ariſtoteles, quibus tu nominibus rectè uſus es, vocant, nos Schnepffen dicimus, Neuburgum attulit, librarius meus abſuit. Non tàm autem delectatus ſum ipſis avibus, quàm quod tu ſuis nominibus tàm latino, in quo vulgus vehementer errat, quàm græco eas appellâris. Sunt enim qui monedulam perperam vocent; cum monedula, Plinio teſte, ſit genus avis graculis admodum ſimile, imò quod & graculus dicitur & frugilega, Græci σπερμολόγον & κολοιὸν vocant. Ac σπερμολόγου nomen etiam Latini retinuerunt, licet etiam λύκον Gaza monedulam vertit, Eraſmus graculum. Sed & hæc ſpecies eſt τοῦ κολοιοῦ, cujus tria ſunt genera. Qualis ea avis ſit, ex Ovidio Metamorphoſ. 7. intelligi poteſt:

Mutata eſt in avem, quæ nunc quoq; diligit aurum,
Nigra pedes nigris velata monedula pennis,

Atque ſoli huic avi furacitatem auri argentiq; miram eſſe Plinius tradit, lib. 10. cap. 19. Hinc ſunt qui monetulam pro monedula vocant, q. furem monetæ. Tu cogites, quomodo noſtra lingua vocetur. Ego exiſtimo ex genere monedularum eſſe aves illas, quas Dolen appellamus. Nam & eæ gregatim volant & nigræ ſunt. Porrò optimi ſunt illæ ſaporis, præſertim ſi coquantur, ut in Gallia parantur.

tur. Neque enim eximuntur inteſtina, ſed inde unà cum excrementis optimum paratur ſalſamentum, ſi addatur vinum præſtans.

Morbi mei indies recurrunt, cum quibus tàm diu mihi luctandum erit, quàm diu domino viſum fuerit, cujus clementiæ me committo, & ut me rectè committam, rogo unà cum reliquis Chriſtianis ores. Ac quia de recuperatione priſtinæ valetudinis nihil mihi certò promittere poſſum, velim ut in principio menſis Novembris, quo tibi die maximè commodum fuerit, me viſas, ut ante & tecum de tuis rebus communicem, & te amicis meis præcipuis & Conſiliarijs & Profeſſoribus commendem, quàm ſi humanitus quid mihi accidat. Bene vale, & ſocerum atque propinquos plurimum ſalvere jube. Craſtina die conſtitui Heidelbergam migrare, & ibi me Medicorum curæ tradere. Permiſit autem mihi Senatus Academiæ ædes à D. Eraſto inhabitatas pro ijs, quibus Donellus uſus eſt. Sunt enim illæ à ſtrepitu remotiores, atq; ideò nunc mihi commodiores. Quare illæ accedendæ erunt. Iterum vale. Neoburgi 25. Octob. 1580.

CLA-

CLARISSIMO VIRO CONRADO BREULINO MOSBACHIO, *ærarij in Palatinatu præfecto, Domino & amico ſuo Nicolaus Ciſnerus S. D.*

POſteaquàm huc de obitu filij, quem frater tuus Mauritius vir clariſſimus unicum habuit, eſt allatum: magna ſanè affectus ſum moleſtia. Nam & Remp. noſtram bonæ ſpei adoleſcente privatam, & fratrem tuum in hac jam ingraveſcente ætate hoc unico filio amiſſo præcipuo quodam vitæ ſuæ ſolatio orbatum eſſe vehementer doleo. Itaq; tum pro Mosbachi municipij patriæq; communis neceſſitudine, tum pro veteri illa conjunctione quæ & olim patri meo tecum, & jamdudum etiam mihi cum utroq; veſtrûm eſt, intermittere non potui: quin in hoc veſtro luctu meum quoq; vobis & dolorem declararem, & amorem teſtificarer. Atq; utinam, ut quam ego vobis operam Elegia quadam, tum adoleſcentem mortuum laudando, tum vos mœrentes conſolando navare cupiebam, & vos fortaſſe à me deſiderabatis, eam ut vobis ſatis dignè præſtare potuiſſem. Sed cum ea me in poëſi propter diuturnam intermiſſionem naturæ vis defecerit, quam in me ante annos decem doctiſſimi viri non improbarunt: & cum quam diligentiam & operam in hoc ſcribendi genere excolendo, præſtantiſſimorum poëtarum imitatione ponere debebam, ea jam pridem & gravioribus ſtudijs & majoribus occupationibus intercepta

cepta ſit: conſultius eſſe putavi has partes ijs committere, qui melius eas quàm ego & obire & ſuſtinere queant. Quare cum Spiræ quædam in optimi illius adoleſcentis obitum verſibus ſcripta eſſe intelligerem: amicis quibuſdam partim author, partim hortator fui, ut & ipſi eodem in genere aliquid elaborarent. Quorum ſtudium tametſi vos gratiſſimo animo accepturos eſſe non dubitem: tamen ut ad propenſam illam veſtram erga eos voluntatem aliqua etiam mea de cauſa acceſſio fiat, majorem in modum vos oro. Ad te autem quicquid id eſt, quàm ad fratrem tuum mittere malui: non quòd mihi eadem cum illo amicitia non ſit, quæ tecum eſt: ſed quod in revocatione mœroris, minus te atq; illum moleſtiæ percepturum putem: ſiquidem majori acerbitate filium pater, quàm patruus luget: & levius ſui deſiderium apud patruum, quàm patrem filius relinquit. Quò etiam accedit, ut ſi tu quoq; ita fortaſſe ex luctu animo commotus ſis ut conſolatione indigeas: non modò tu facilius, quàm ille conſolationem admiſſurus, ſed & commodius eundem pòſt conſolaturus: & citius ab hac animi ægritudine moleſtiiſq; abducturus eſſe videaris. Etſi enim nec prudentiam, nec fortitudinem, nec pietatem erga Deum fratri tuo deeſſe ſcio: tamen quia in his vitioſi corporis compagibus humanæ naturæ ſenſum exuere non poſſumus: mirum non eſt, ſi in hoc graviſſimo caſu ille vehementius, quàm ſapientia animiq; magnitudo poſtulat, dolori indulgeat. Fit enim aliquando, ut in ejuſmodi laborioſo certamine vis divina rationis à perturbationum impetu affligatur. Quòd ſi igitur ita affecto & perculſo animo

animo frater tuus eſt, paulatim & exemplo & oratione tua eum à mœrore & luctu revocare poteris. neq; enim ſi quibus rationibus te mœſticiam tuam levaſſe cognoverit, ijſdem ipſe quo minus ſuo dolori modum conſtituat, non movebitur: neq; ſi tu eum ad fortitudinem & pietatem cohortatus fueris, in id ut incumbat, quod tibi placere intellexerit, recuſabit. In multis autem & varijs conſolandi generibus, quæ potiſſima ſint cum antè noveris, non eſt neceſſe tibi multis exponere. Hæc quidem in vulgari & communi ferè omnium intelligentia ſunt poſita: homines nos eſſe ea conditione natos, omninò nobis ut ſit moriendum. eamq; communem humani generis eſſe ſortem: nec graviter ferendum, id cum accidit, quod nec novum nec inuſitatum eſt: & quod aliquando accidere neceſſe erat: neq; temporis, cujus diuturnitas, vel maximos luctus minuit, medicinam expectandam eſſe, quam conſilio rationeque repræſentare *poſſimus*. Quæ conſolationes licet jam olim à *multis* memoriæ & literis proditæ ſint: tamen non multum eas ad dolorem ſanandum proficere exiſtimo. Majoris illæ ſunt momenti, quæ à ſapientibus philoſophis vera Dei doctrina deſtitutis uſurpatæ fuerunt: illis qui hinc deceſſerunt, nihil mali accidiſſe: imò verò quia hujus vitæ miſerias effugerint, plurimum boni contigiſſe, neq; noſtro incommodo, quod frui ijs amplius non liceat, ab eorum malo ſejuncto: ita dolendum eſſe, ut noſmetipſos potius, quàm illos amare videamur. Sed tamen quia ex ijs viris ſapientibus, qui Chriſti cognitione caruerunt, illi etiam ipſi, qui animorum immortalitatem ævumq; poſt

mortem

mortem ſempiternum ſtatuerunt: qua ratione ad ſummam illam æternamque felicitatem perveniretur: & quibus in rebus poſita eſſet, ignoraverunt, haud equidem ſcio: an in eo ſolatio acquieſcere, animumq; ab omni perturbatione liberare potuerint. Quod verò certiſſimum & veriſſimum genus eſt conſolationis, id nimirum non ab exquiſita quadam humanæ ſapientiæ ratione proficiſcitur, ſed ex ſacroſanctis doctrinæ cœleſtis myſterijs petitur. Nam primo ex illis diſcimus: eos qui ſibi unum illum ſalutis ſuæ portum Jeſum Chriſtum proponunt, ejusq; in fiducia animam efflant, mortem in vitam, non vitam in mortem commutare: quippe ex hac mortali & calamitoſa in immortalem illam & beatam migrant: ubi cum in concilio cœtuque ſanctorum ij perfruantur bonis, ut præ illis omnes mundi hujus delicias, quas nos aut admiramur, aut optamus, aut expetimus, deſpiciant. minimè ſanè nos decet eorum vicem dolere. Deinde ex iiſdem divinis literis cognoſcimus omnis boni authorem Deum velle: ita in omnem partem inſtructi munitiq; ut ſimus, ut ſive ea, quæ nobis chara ſunt amittamus: ſive alijs miſerijs & calamitatibus objiciamur, non modò quicquid adverſi acciderit, placatè moderateq; feramus: ſed & in noſtram utilitatem id accidiſſe interpretemur: ut tametſi acerbum videatur: ſalutare tamen eſſe ſtatuamus. Ad ejus igitur voluntatem, ut nos conformemus oportet: ſi modo quales haberi, tales eſſe velimus. Hæc certè ægris animis non mediocrem conſolationem adferunt, quorum ſumma capita paucis notare potius, quàm pluribus explicare

viſum

viſum eſt, ut ſive dolore impeditus, minus jam eorum recordaris, in memoriam tibi revocem, ſive ante ea in animo tuo fixa tenes, amiciſſimi tamen hominis officium præſtem: quod pro meo in vos amore, nunquam vobis eſt defuturum. Bene vale.

CL. V. D. NICOLAO CISNERO PASCHASIUS BRISMANNUS JC. *conſolatur illum de obitu uxoris.*

ACcepimus, vir Clariſſ. rumore nuncio fatum triſte: è vivis ſcilicet migraſſe uxorem tuam, matronam ornatiſſimam. Ex eo ſane pij omnes turbatis animis parem tuo dolori dolorem ſuſtinent. Quanquam autem tu pro divinis animi tui dotibus, pietate & doctrina, contra vulnus hoc inflictum, Spiritus S. virtute animum erigere *valeas*; nec conſolandus à me quidem ſis (tu enim ſitire fontes dixeris, ſi à me, tanquam ex ſolo arido, id quod in te ipſo uberrimum eſſe conſtat, proficiſci poſſe exiſtimaverim) attamen cum in rebus afflictis, commiſerantis animi conteſtatio, ſpecies quaſi medelæ ſit; eaq; ob paternum in me amorem tuũ, tuis æque ac meis rebus afficiar; non committendum duxi, ut & ſilentio meo hac vice remiſſius in te colendo ſtudium noſtrum forte quis arguat. Hæc itaq; cùm naſcentibus nobis dicta lex ſit, ut huic mundo non dati, ſed commodati eſſemus; quis jure indignabitur Deo commodatori commodatum ſuum repoſcenti? qui tibi vitæ & laborum ſociam

eam

eam addixit; is vitæ munere & laboribus ſatis jam perfunctam ex hac rerum humanarum deterrima caligine, pro arbitrio ſuo, ad ſe reduxit, & in ſempiterna luce collocatam cum illo bonis omnibus circumfluente cœleſtium animorum cœtu conjunxit. Ecquis ipſi beatitudinem hanc, quâ mentes mortalium, eum ſeſe ab hac terreſtri labe ſejunxerint, & cum puriſſimo illo cœleſtium cœtu conſociaverint, perpetuò fruuntur, invidebit? Nos ſanè quotquot ſuperſtites ſumus, faciem Mundi triſtiſſimam videmus: tot undique in capita noſtra redundantium malorum impetum ægrè ſuſtinemus; ut præclarè cum ijs ipſis actum videatur, qui his miſerijs exemti ſunt. Tu Uxoris ſuaviſſimæ mortem jure quidem doles; ſed dolere nimis, neq; communis conditionis neceſſitas concedit; & vitæ commutatio brevisſimæ cum æterna, miſerrimæ cum beatiſſimâ valde vetat. Sit itaque modus & meta doloris; quam ſapientes Ethnici juxta & Chriſtiani, quam oracula in ſcriptis ſacris nobis prodita ſtatuerunt. Cogitandum non amitti, ſed præmitti mortuos. ideoq; non ut recedentes, ſed ut præcedentes, ac navigantes deſiderari, non plangi debere. Metam vitæ ſtatuere, non qui accipit, ſed qui dat illam, DEUS poteſt. Is virtute Spiritus ſancti tibi adſit; is pectus infirmum firmitate ſuâ corroboret, is longitudine dierum repleat te; & oſtendat nobis ſalutare ſuum. Vale & ama me, Patrone colendiſſime. Scrib. Spiræ Nemetum. 16. Octob. Anno 1582.

IDEM NICOLAO CISNERO.

S. VIx credas, CL. D. D. Patrone obſervandiſſ. quam ſæpe in magnis occupationibus tangar deſiderio tui. nullæ ad me ab amicis iſtinc literæ deferuntur, quibus conſpectis non exoptem ut valentem te & planè confirmatum nuncient: quod idem ab ſalutis & vitæ fonte immortali Deo aſſiduis ego votis & precib. contendo. Et ſanè habeo quod merito doleam; cum in adverſâ valetudine tuâ haud exiguam ego fortunarum jacturam ſentiam. Tu enim is eras, qui honorificâ comendatione tuâ apud Comites, Barones, Nobiles maximè ornatum me voluiſti; te decumbente jacent res noſtræ, & perpauci aut nulli ferè ſunt, qui ita affectos ſe eſſe erga meoſtendant. Orationem tuam recognoſcendam mihi transmittis. Utinam ingenij mei tenuitas id ferret, ut ſatisfacere votis tuis poſſem. Conabor tamen pro virili; nec voluntati me tuæ unquam defuiſſe agnoſces. Tu, ſi quid potes unà cũ *D. J. Reübero* apud Nobiles aut Comites in Advocaturis, vel clientulis curandis, fac honorificâ tuâ commendatione fruar, utq; te mei adhuc memorem eſſe intelligam. Vale.

IDEM EIDEM.

S. P. Aguntur dies ſolſtitij hyberni; quos lætis auſpicijs tibi primùm illuxiſſe gaudeo, lætioribus ut tranſigantur, exopto, & lætiſſima omnia tibi precor. Mitto tibi, Reverende Pater (ſic enim compellare te jam libet, ut qui te paterno amore me complecti graviſſima voce tuâ teſtatus es) in venerandam

randam iſtam effigiem tuam, artificis manu elegantiſſimè expreſſam Epigramma, incultum quidem & exile, ęternum tamen mei in te amoris pignus: quod & Muſis meis & poſteritati reſervo, ut quoties inter pagellas meas in oculos mihi incurrit, ego quãtumvis longiſſimè abſens, in eo te alterum quaſi patrem exoſculer, te amplexer, te venerer, & nominis tui nobiliſſimi memoriam à nullo unquã ſatis celebratam, intimis hiſce viſceribus meis repoſtam, quâ nihil mihi jucundius, magna tui cum veneratione, in æternum recolam. Et quanquam tu quidem præclaris ſcriptis, & divini ingenij monumentis tuis jam p idem immortalitatem conſecutus es, ita ut ope alterius nihil huic acceſſionis fieri poſſit: hoc tamen pro meâ in te ſingulari obſervantiâ ſanctiſſimè polliceor, ſi quid gratiæ apud poſteros merebitur Muſa noſtra, te divinasq; virtutes iſtas tuas dignis elogiis per me quoq; poſteritati conſecratum iri, ne pijs votis & voluntati tuæ, quam nuper me præſente explicabas, defuiſſe videar. Vale vir clariſſ. tuq́; parens me natum paterno amore proſequere. Spiræ, Idib. Decemb. Anno 82.

IN EFFIGIEM D. D. NICOLAI CISNERI, &c.

Magnum illum, magnum quem extollit fama per orbem,
CISNERVM, haud totum, hic aſpice dimidium.
Dimidium manus iſta dedit. ſed plus tamen iſtud
Dimidium toto eſt, mens ubi diva ſedet.
Talis hic ore, decem poſt luſtra peracta, redibat
Cùm ter natalis, talis hic ore ſenex.
Si qua animum, ſi qua ingenium manus addere poſſet,
Gratior in terris nulla tabella foret.

P. Briſmannus fac.

ALIUD.

EN magnum meritis & arte magnum
Tantùm dimidiatum ad umbilicum.
CISNERUM exigua hac refert tabella
Talis corpore, vultu & ore viſus
Poſt bis quinque peracta luſtra cùm bis
Natales ierant: pari venuſtam
Tantùm dimidiatam ad umbilicum
Depinxit Venerem arte & olim Apelles.

P. B.

AD CLARISS. VIRUM, D. NICOLAUM CISNERUM, J. V. D. & Imperialis Cameræ Aſſeſſorem,

ELEGIA NICOLAI RUDINGERI Piſovernatis aut Schefalentij.

CISNERE, Interpres ſacrarum candide Legum,
 Jura fovent bifido quem veneranda ſinu:
Et Themis ad ſedes Nemetum, imperijq; tribunal,
 Inter honoratos ſuſpicis alma viros:
Sive fori dubias ſatagis cognoſcere cauſas,
 Sive tuo gaudes cum Cicerone loqui:
Seu proceres inter magnos legumq; peritos
 Tincta Pericleo verba lepore facis:

Seu

Digitized by Google

Seu longa repetens Francorum ab origine gentem
  Eruis è priſcis geſta vetuſta libris:
Ocia pauca tuo facilis concede labori,
  Et lege diſparibus verba notata modis:
Verba *Rudingerus* rudis & ſine nomine Vates,
  A Mœni liquidis quæ tibi mittit aquis:
Quà generoſa roſis tribus & Iovis alite ſedes
  Ardua ſublimes tollit ad aſtra lares.
Felix, cui mitis placido ſors obtigit ævo,
  Dura ego continuis tempora duco malis.
Sæpè mihi renum coaleſcit arena latebris,
  Et lento rigidus naſcitur igne lapis.
Viſcidus infirmos humor diffuſus in artus
  Sæpè meos urit diſcruciátq; pedes.
Sæpè dies tacitis mihi ducitur anxia curis,
  Conjugis amiſſæ funera ſæpè queror.
Me tamen interdum ſacras Heliconis ad umbras
  Avocat argutis Calliopea modis.
Et ſua jucundo deducit ad antra receſſu,
  Pocula vocalis fons ubi præbet aquæ.
Et meus ex hederâ viridi lauroq; recente
  Serta legit capiti Poſthius apta ſuo.
Poſthius, ad dominam Francorum vitifer urbem
  Mœnus honoratis quem veneratur aquis.
Ille, levat medicas dum languida membra per artes,
  Ociaq; ingenio quærit amica ſuo.
Talia ſæpè levi deducit carmina venâ,
  Qualia Theſpiadum cum grege Phœbus amat.
Hæc ego ſive lego, ſeu lecta recondo ſub aures,
  Suſpicor Aonij vertice nata jugi.
Et dulcem egregiâ miratus in arte lepôrem,
  Pectus ab impoſitis erigo triſte malis.

O utinam videam prodire in luminis auras
Illa, nec æterno preſſa latêre ſitu!
Quàm mihi delicias facerent, quàm dulce levamen
Eſſe meis poſſent illa ſubinde malis!
Ipſe mihi colles habitare viderer & umbras,
Quas ſacer Aonio perluit amne liquor.
Ipſe novam muſam Phœbi gratarer alumnis,
Et clari lætus Vatis honore forem.
At nunc illa domi, ceu ferri indigna per orbem
Clauſa tenet domini muſa modeſta ſui.
Doctorumq; vetat volitare per ora virorum,
Nobileq; à patriâ quærere nomen humo.
Hoc prohibe Ciſnere: tui cor flectere vatis,
Chalcographa in lucem mittat ut arte potes.
Quæ prodeſſe foris poſſunt ſi publica fiant
Illa domi minimè ſola latêre decet.
Nil prodeſt fulvum terrâ quod conditur aurum,
Indica nil vaſto gemma ſepulta mari.
Nil fontana latens ſub opacis lympha cavernis,
Quælibet eſt uſu res precioſa ſuo.
Sic, quæ privatis ſe muſa penatibus abdit,
Uberiore ſui fertilitate caret.
Ne lateant igitur, ſeros vé premantur in annos,
Quæ tener arguto Poſthius ore canit:
Iam Venus & Charites & amicæ temporis horæ
Illa ſatis limâ perpoliêre ſuâ,
Iam per amœna ſatis deducta vireta lepôrum
Conſona ſunt numeris facta, Tibulle, tuis.
Et quis adhuc vetet hæc peregrinas ire per oras,
Lucis & uſurâ liberiore frui?
Ne tantum Ciſnere malum patiare; ſit illis
Fas ire admonitu docta per ora tuo.

Exter-

Digitized by Google

Externisq; ſitim reſtinguere Vatibus amne,
Theſpias è Clarijs quem parit unda jugis.
Sic Themis & Themidis germana Aſtræa ſenatus
Dent tibi Cæſarei conciliare decus,
Et famæ niveis vectum ſuper æthera pennis
Calliope memori te canat ore, Vale.

Werthemia, An. 1574.

POSTHIUS AD NICOLAUM CISNERUM, J. C. EXCELlentiſs. elegia.

Tertia præterijt maturis frugibus annis,
Tertiaq; Autumni terga fatigat hyems.
Ex quo fœlicem genium, medicosq; ſecutus
Auſoniæ, liqui te, patriosq; lares,
Heu mihi quot ſubij, Ciſnere, *pericula vitæ*
Interea, cœlum quàm mihi triſte fuit?
Eridani teſtor Nymphas, magnumq; Faletum,
Littoraq; illa mei conſcia naufragij.
Teſtes alta tui mihi ſunt Florentia *colles,*
Per quos præcipiti ſum revolutus equo.
Teſtis Sena *potens, ubi de tribus una ſororum*
Bis voluit vitæ rumpere fila meæ.
Teſtis Roma, *mihi multorum cauſa malorum,*
Quæ nocuêre quidem: ſed meminiſſe juvat.
Teſtes æquor et fluctus, ubi puppe citatâ
Vix rapidos fugi corde tremente Getas.
Denique Mompelium *ſævis mea pectora flammis*
Torreri nuper vidit & ingemuit.

Per tamen hos ignes, per tanta pericula ſalvus
Auxilio evaſi, Maxime Chriſte, *tuo.*
Optatâq; ſedens Lauri viridantis in umbra,
Diſco ſalutifera quicquid in arte boni eſt.
Namque jubar Phœbi Laurum ſic irrigat iſtam,
Proferat ut fructus vel medio imbre novos.
E quibus hos raptim lectos tibi mitto, reverſus
Ipſe domum plures, Numine dante, feram.
Tu decus æternum Lauro, æternumque vigorem
Exopta hoc cujus munere munus habes.
Et pro me Rhenumq; patrem, Nymphasq; ſaluta.
Meq; tibi ſolito dilige more. VALE.

Mompelij ex ædib. Laur. Joubert. Anno 1566.

CNODIUS, CISNERO.

Quod tumulus, Ciſnere, meus tātæ eſt tibi curæ,
Funeraque exornas carmine noſtra tuo:
Et reliquos, ut idem faciant, hortaris amicos,
Grata mihi pietas, officiumque tuum eſt.
Scilicet hæc virtus hoc eſt rariſſima ſeclo:
Namq; fidem & vitam terminat una dies.
Candor, amorque tuus vivo eſt mihi cognitus, idem
Nunc ſequitur cineres candor amorque meos.
Pone tamen lachrymisq; modum, longoq; dolori.
Nil etenim patior poſt mea fata mali.
In lucem è tenebris, in portum ex æquore vaſto,
Munere perveni, Chriſte benigne, tuo.

Aligeroſq; inter felix ſine fine miniſtros
  Tergemini laudes Numinis uſque cano.
Ergò meum lachrymis ceſſate onerare ſepulcrum,
  Et potius veſtras quiſque dolete vices.

I. POSTH.

DE OBITU

D. NICOLAI CISNERI JCTI PRÆSTANTISSIMI, &c. AD AMPLISSImum virum D. Eraſmum Neuſtetterum, cognomento Sturmerum, Eq. Fr. &c.

EREpti fatis caſum an doleamus, amici,
  An potius ipſi gratulemur; liberè
Me fateor dubitare, Patrone ampliſſime: cauſam
  Dubitationis hujus habeo non levem.
Jure quidem tali amiſſo triſtamur amico
  Qui, dum ſinebant fata, rebus in arduis
Conſilio patriam juſtus prudensq; juvabat,
  Summisq; carus erat ob hoc & infimis.
Teſtis Spira forum Imperij laudabile; teſtis
  Flos urbium, magnuq; ſedes Principis
Heidelberga, domusq; eadem gratiſſima Phœbo;
  Regna alia; & urbes præteribo ampliſſimas.
At poſtquam lateris reſo uti perdidit uſum,
  Animiq; vim ſagacioris; ut ſibi
Viveret ipſe gravis jam; porro & inutilis eſſet
  Rebus gerendis; optimè quis non putet

Ttt v.

Cum Ciſnero actum, miſero hoc, longoq; ſolutus
Quod carcere, polo nunc feratur, ac Dei
Conſpectu? ceſſent igitur lachrymæq; dolorq;
Et potius ipſi hac gratulemur gaudia.

Iohan. Poſthius M. D.

NICOLAI CISNERI TUMULUS.

Nicoleos iſtâ condor Ciſnerus in urnâ,
Ingenio quondam judicioq; potens.
Sive opus ambiguas eſſet diſcernere lites:
Seu jura in magnis explicuiſſe ſcholis.
Tranſierat vitæ mihi quinquageſima meſſis,
Corporis ut perijt pars reſoluta mei:
Utq; ſimul docto privatus acumine mentis,
Penè inter vivos mortuus ipſe fui.
Tandem poſt multos divina potentia menſes,
Ex atro veluti carcere me eripuit.
Et cœlum dedit indigno, vitæq; beatæ
Gaudia perpetuos firma futura dies.
Qui mea fata gemis, ſimili te ſorte creatum
Noveris, & ſimili poſſe perire modo.

Idem Poſthius f.

EJUSDEM DE NICOLAO CISNERO, JC.

M*aximus ingenio* Ciſnerus, *corpore parvus,*
Aonidum vixit gloria, Juris honos.

Spira.

Spira forum Imperij, Themidiſq; ſacraria norunt
Auguſta, ac celebris littora culta Nicri:
Quæ doctam toties vocem ſtupuêre loquentis;
Jam pia defuncti corporis oſſa tegunt.
Magna Palatini quem Principis aula requirit,
Et clara antiqui pulpita gymnaſij.

EJUSDEM.

Litterulas totidem planè & *Ciſnerus* eaſdem
Quas *Sincerus* habet: collige certus eris.
Et bene: cui ſincera fides, mens, vitaq; tota eſt,
Sinceri nomen convenienter habet.

JOANNIS LAUTERBACHII.

Nil juris eſt in arbitros juris, neci.

Ciſta quod eſt auro, nitidis quod ſcrinia gemmis,
Dolia quod vino, laxa quod arca libris:
Hoc Ciſnere ſacris es noſtro legibus ævo;
Omnia ſollerti pectore jura tenes.
Ingenio Ciſnere tuo, ceu divite cornu,
Eloquij puro flumine jura fluunt.
Dum Ciſnere ſacri durabit gloria Iuris,
Durabit florens nomen in orbe tuum.
Non moritur juris, non ſervantiſſimus æqui;
Mors nihil in juris lumina juris habet.
Aeternum Iuris diffundunt lumina lumen;
Splendidius lunâ quod jacit orbe jubar.

Ejus-

EJUSDEM

IN TUMULUM CISNERI.

Perire dignum laude Muſa non ſinit.

MUſarum, hiſtoriæ, juris, pietatis aſylum,
Ciſnerus famâ notus in orbe ſuâ:
Poſt exantlatos Muſarum mille labores
Iuris, & hiſtoriæ quos cumulavit amor:
Muſis, hiſtoriæ, juri valedixit, & orbi:
Aſtraq; confeſsâ cum pietate ſubit.
Quos immaturo correptus funere luctus
Moverit, & lacrymas, Muſa referre nequit.
Hoc deſiderium teſtatur Principis ingens,
Clara Palatinæ quem fovet aula domus.
Teſtantur Muſæ, jus, hiſtoriæq;: Patroni
Mœſtæ quæ digno nomen honore colent.
Dum Muſæ terris, jus, hiſtoriæq; manebunt,
Ciſneri multa laude manebit honos.
Haud moritur, famâ terrarum vivit in orbe,
Quem jus, hiſtoriæ, Muſaq; laude vehunt.

NIC. REUSNERI.

QUem flent diva Themis, quem Peithô, quemque Thaleia
Et Clio, Charitum quem flet & ipſe chorus:
Quis fuerit, quæris fortaſſis, amice viator?
Ingenio magnus, magnus & arte fuit:

Ciſne-

Ciſnerus, cui dat victoria nomen & omen:
Ingenio multos vicit, & arte viros.
Magnus erat juris conſultus, magnus & idem
Orator, vates magnus, & hiſtoricus.
Hinc flet diva Themis, flet Peithô, fletq; Thaleia,
Flet Clio, Charitum flet ſimul ipſe chorus.
Flet ſchola, Caſareum pariter flet triſte tribunal:
Atq; Palatini curia celſa ducis.
Mortuus at gaudet ſe cœli ſede receptum,
Cum ſuperis tandem vivere, cumq; Deo.
Quiſquis es, ut cœlo vivas, terrena relinque:
Et caſus benè ſic præmeditare tuos.

NICOLAUS CISNERUS

ἀναγραμματιζόμενος

ALCINOUS SINCERUS.

M*Ente vales, Ciſnere, dolo ſine, fraudeq; teſte*
Nomine, Sincerus *ſemper es* Alcinous.

Nic. Reuſner. D.

ALIUD.

CERNIS IUS USU LACON.

M*Ente ſimul, calamoq;* Lacon Ius cernis & uſu
Quod ſcribis, loqueris, quod catus atque doces.

Laudo

Laudo Laconiſmum, Ciſnere, *perenne ſit opto*
Mentis & ingenij ſemper in orbe decus.

IN TUMULUM NICOLAI Ciſneri, JCti.

CIſnerus jacet hîc. Sat dictũ hoc. Cetera norunt
Munda, Oenus, Rhenus, Viſtula, Tybris, Arar.

Paſchaſius Briſmannus Poëta L. & V. J. D.

EIUSDEM AD JUSTUM REUBERUM JCtum, Palatini Electoris Conſiliarium.

DVm legis ad tumulum Ciſneri epigramma, Rebere,
Quod modo Briſmanni Muſa dat, ecquid ais?
Qui deflent vates Ciſneri fata, Poëtas
Sc magnos magnis verſibus eſſe docent?
At noſti, immodicas lacrymas, acresq́; dolentum
Singultus medio abrumpere verba ſono.
Magna omnes magni laudant, mirantur, adorant:
Eſto, illa ut laudent, fors tamen iſta legant.

AD EUNDEM, EIUSDEM.

NOmen te dignum hoc, & eras tu hoc nomine
dignus
IUSTITIÆ invictum pectore Robur habes.

AD HARTMANNUM HARTMANNUM, Ejusdem.

CIſnerũ magnũ cur parvo epigrãmate plorẽ,
Cauſa eſt, ſingultus dicere multa vetat.
Diſtichon & claudit quodcunque Epigramma venuſtum: (dedi.
Quod volui in tumulum ſolum Epigramma

EPITAPHIUM ANNÆ CONjugis NIC. CISNERI.

ARma ego præclari patris, clariq; mariti,
Et clari fratris, filia, nupta, ſoror. (ſum eſt
Cœlum abitura, ſolum hoc elegi; huic credere vi-
Depoſitas animæ cælitis induvias.
Dimidium, ô Ciſnere, animæ, quia mors tibi vita eſt,
Ibo præ, (anguſta eſt, quà via) tu ſequere.

P Briſmannus.

INDEX.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A

ABſentes indictâ cauſa non damnandi. 161.
Academia Pariſienſis & Oxonienſis Papæ adverſatur. 245.
Accurſius 604.
Adrianus II. quomodo Pontificatum adeptus 300.
Æneas Sylvius, Pius II. dictus, inconſtans 250.
Alberti Reginoburgenſit Epiſcopi ſcelus 161.
Albertus Bohemus in Fridericum II. inſurgit. 129.
Albertus Pighius ſatelles Pontificius. 183.
Albertus Leander JCtus 227.
Albericus Roſſatus JCtus 227. à Ceſare ſtat 243. 254.
Alciatus de jure optimè meritus. 539. novum jus interpretandi modum introduxit. 552.
Alexander IV. Pontifex. 190.
Allobroges 33.
Alphonſus Rex. 221.
Amaſis flumen. 450.
Ambitio muliebris. 192.
Amicitiæ vulgi quales. 627.
Amicos veteres amittere quam grave. 628.

INDEX.

Anagnini comites. 91
Anathema, tyrannidis Pontificiæ firmamentum. 92
Angli. 440. *Origo. nomen* 440. *Sedes. An cum Saxonibus ijdem* 444. *ad* 461.
Andreas Siculus ICtus 228
Ancheranus ICtus 228
Ἀνδρεία, ἀνδρότης. 220
Angrivarii qui. 452
Animarum immortalitas. 636
Annales Bojorum. 408
Anteceſſores in iure qui. 663
AntiChriſtus 132. *Papa olim ſic dictus.* 167
Ἀνθρωποφάγοι. 510
Arena Parmenſis ICtus. 227
Archiepiſcoporum Electorum à Cæſare defectio. 267
Ariſtoteles ob ſententiam de ſummo bono laudatur. 708
Arnolphus Caroli Magni nepos. 289
Arnolphus Palatinus 143. *Occiditur* 144. *Rex.* 142. *à Conrado ex Bavaria pellitur.* 142
Aſculum capitur 145
Aſtura oppidum 202
Aventini error. 50. *Laudatur* 112. 407. *Pro Cæſare contra Papam ſtat.* 252. *præcipuus Germanorum hiſtoricus* 407. *Libri eius ſuppreſſi eduntur* 409. *Nomina omnia Germanica Latina facere voluit, malè* 411. *Argumentum ſuper hiſtorias eius.* 415
Autoritas nihil rationi præjudicat. 528
Autocheires 508
Autumni cum vere comparatio. 764
Azo. 136. 605

Per tamen hos ignes, per tanta pericula ſalvus
Auxilio evaſi, Maxime Chriſte, *tuo.*
Optatâq; ſedens Lauri viridantis in umbra,
Diſco ſalutifera quicquid in arte boni eſt.
Namque jubar Phœbi Laurum ſic irrigat iſtam,
Proferat ut fructus vel medio imbre novos.
E quibus hos raptim lectos tibi mitto, reverſus
Ipſe domum plures, Numine dante, feram.
Tu decus æternum Lauro, æternumque vigorem.
Exopta hoc cujus munere munus habes.
Et pro me Rhenumq; patrem, Nymphasq; ſaluta.
Meq; tibi ſolito dilige more. VALE.

Mompelij ex ædib. Laur. Jouberti. Anno 1566.

CNODIUS, CISNERO.

Quod tumulus, Ciſnere, meus tãtæ eſt tibi curæ,
Funeraque exornas carmine noſtra tuo:
Et reliquos, ut idem faciant, hortaris amicos,
Grata mihi pietas, officiumque tuum eſt.
Scilicet hæc virtus hoc eſt rariſſima ſeclo:
Namq; fidem & vitam terminat una dies.
Candor, amorque tuus vivo eſt mihi cognitus, idem
Nunc ſequitur cineres candor amorque meos.
Pone tamen lachrymisq; modum, longoq; dolori.
Nil etenim patior poſt mea fata mali.
In lucem è tenebris, in portum ex æquore vaſto,
Munere perveni, Chriſte benigne, tuo.

Aligeroſq; inter felix ſine fine miniſtros
  Tergemini laudes Numinis uſque cano.
Ergò meum lachrymis ceſſate onerare ſepulcrum,
  Et potius veſtras quiſque dolete vices.

I. POSTH.

DE OBITU

D. NICOLAI CISNERI JCTI

PRÆSTANTISSIMI, &c. AD AMPLISSImum virum D. Eraſmum Neuſtetterum, cognomento Sturmerum, Eq. Fr. &c.

EREpti fatis caſum an doleamus, amici,
An potius ipſi gratulemur; liberè
Me fateor dubitare, Patrone ampliſſime: cauſam
Dubitationis hujus habeo non levem.
Jure quidem tali amiſſo triſtamur amico
Qui, dum ſinebant fata, rebus in arduis
Conſilio patriam juſtus prudenſq; juvabat,
Summiſq; carus erat ob hoc & infimis.
Teſtis Spira forum Imperij laudabile; teſtis
Flos urbium, magniq; ſedes Principis
Heidelberga, domuſq; eadem gratiſſima Phœbo;
Regna alta, & urbes præteribo ampliſſimas.
At poſtquam lateris reſoluti perdidit uſum,
Animiq; vim ſagacioris; ut ſibi
Viveret ipſe gravis jam; porro & inutilis eſſet
Rebus gerendis; optimè quis non putet

Cum Ciſnero actum, miſero hoc, longoq; ſolutus
Quod carcere, polo nunc feratur, ac Dei
Conſpectu? ceſſent igitur lachrymæq; dolorq;.
Et potius ipſi hac gratulemur gaudia.

Iohan. Poſthius M. D.

NICOLAI CISNERI TUMULUS.

NIcoleos iſtâ condor Ciſnerus in urnâ,
Ingenio quondam judicioq; potens.
Sive opus ambiguas eſſet diſcernere lites:
Seu jura in magnis explicuiſſe ſcholis.
Tranſierat vitæ mihi quinquageſima meſſis,
Corporis ut perijt pars reſoluta mei:
Utq; ſimul docto privatus acumine mentis,
Penè inter vivòs mortuus ipſe fui.
Tandem poſt multos divina potentia menſes,
Ex atro veluti carcere me eripuit.
Et cœlum dedit indigno, vitæq; beatæ
Gaudia perpetuos firma futura dies.
Qui mea fata gemis, ſimili te ſorte creatum
Noveris, & ſimili poſſe perire modo.

Idem Poſthius f.

EJUSDEM DE NICOLAO CISNERO, JC.

M*Aximus ingenio* Ciſnerus, *corpore parvus,*
Aonidum vixit gloria, Juris honos.

Spiræ.

Spira forum Imperij, Themidiſq; ſacraria norunt,
Auguſta, ac celebris littora culta Nicri:
Quæ doctam toties vocem ſtupuêre loquentis;
Jam pia defuncti corporis oſſa tegunt.
Magna Palatini quem Principis aula requirit,
Et clara antiqui pulpita gymnaſij.

EJUSDEM.

Litterulas totidem planè & *Ciſnerus* eaſdem
Quas *Sincerus* habet: collige certus eris.
Et bene: cui ſincera fides, mens, vitaq; tota eſt,
Sinceri nomen conveniènter habet.

JOANNIS LAUTERBACHII.

Nil juris eſt in arbitros juris, neci.

Ciſta quod eſt auro, nitidis quod ſcrinia gemmis,
Dolia quod vino, laxa quod arca libris:
Hoc Ciſnere ſacris es noſtro legibus ævo;
Omnia ſollerti pectore jura tenes.
Ingenio Ciſnere tuo, ceu divite cornu,
Eloquij puro flumine jura fluunt.
Dum Ciſnere ſacri durabit gloria Iuris,
Durabit florens nomen in orbe tuum.
Non moritur juris, non ſervantiſſimus æqui;
Mors nihil in juris lumina juris habet.
Aeternum Iuris diffundunt lumina lumen:
Splendidius lunâ quod jacit orbe jubar.

Ejus-

EJUSDEM

IN TUMULUM CISNERI.

Perire dignum laude Muſa non ſinit.

MUſarum, hiſtoriæ, juris, pietatis aſylum,
Ciſnerus famâ notus in orbe ſuâ:
Poſt exantlatos Muſarum mille labores
Iuris, & hiſtoriæ quos cumulavit amor:
Muſis, hiſtoriæ, juri valedixit, & orbi:
Aſtraq; confeſsâ cum pietate ſubit.
Quos immaturo correptus funere luctus
Moverit, & lacrymas, Muſa referre nequit.
Hoc deſiderium teſtatur Principis ingens,
Clara Palatinæ quem fovet aula domus.
Teſtantur Muſæ, jus, hiſtoriæq;: Patroni
Mœſtæ quæ digno nomen honore colent.
Dum Muſæ terris, jus, hiſtoriæq; manebunt,
Ciſneri multa laude manebit honos.
Haud moritur, famâ terrarum vivit in orbe,
Quem jus, hiſtoriæ, Muſaq; laude vehunt.

NIC. REÜSNERI.

QVem flent diva Themis, quem Peithô, quemque Thaleia
Et Clio, Charitum quem flet & ipſe chorus:
Quis fuerit, quæris fortaſſis, amice viator?
Ingenio magnus, magnus & arte fuit:

Ciſne-

Ciſnerus, cui dat victoria nomen & omen:
Ingenio multos vicit, & arte viros.
Magnus erat juris conſultus, magnus & idem
Orator, vates magnus, & hiſtoricus.
Hinc flet diva Themis, flet Peithô, fletq; Thaleia,
Flet Clio, Charitum flet ſimul ipſe chorus.
Flet ſchola, Cæſareum pariter flet triſte tribunal:
Atq; Palatini curia celſa ducis.
Mortuus at gaudet ſe cœli ſede receptum,
Cum ſuperis tandem vivere, cumq; Deo.
Quiſquis es, ut cœlo vivas, terrena relinque:
Et caſus benè ſic præmeditare tuos.

NICOLAUS CISNERUS

ἀναγραμματιζόμενος

ALCINOUS SINCERUS.

M*Ente vales, Ciſnere, dolo ſine, fraudeq;: teſte*
Nomine, Sincerus *ſemper es* Alcinous.

Nic. Reuſner. D.

ALIUD.

CERNIS IUS USU LACON.

M*Ente ſimul, calamoq;* Lacon Ius cernis & uſu
Quod ſcribis, loqueris, quod catus atque doces.

Laudo

Laudo Laconiſmum, Ciſnere, *perenne ſit opto*
Mentis & ingenij ſemper in orbe decus.

IN TUMULUM NICOLAI Ciſneri, JCti.

CIſnerus jacet hîc. Sat dictũ hoc. Cetera norunt
Munda, Oenus, Rhenus, Viſtula, Tybris, Arar.

Paſchaſius Briſmannus Poëta L. & V. J. D.

EIUSDEM AD JUSTUM REUBERUM JCtum, Palatini Electoris Conſiliarium.

DVm legis ad tumulum Ciſneri epigramma, Rebere,
Quod modo Briſmanni Muſa dat, ecquid ais?
Qui deflent vates Ciſneri fata, Poëtas
Sc magnos magnis verſibus eſſe docent?
At noſti, immodicas lacrymas, acresq́; dolentum
Singultus medio abrumpere verba ſono.
Magna omnes magni laudant, mirantur, adorant:
Eſto, illa ut laudent, fors tamen iſta legant.

AD

AD EUNDEM, EIUSDEM.

NOmen te dignum hoc, & eras tu hoc nomine dignus
IUSTITIÆ invictum pectore Robur habes.

AD HARTMANNUM HARTMANNUM, Ejusdem.

CIſnerū magnū cur parvo epigrāmate plorē,
Cauſa eſt, ſingultus dicere multa vetat.
Diſtichon & claudit quodcunque Epigramma venuſtum:
Quod volui in tumulum ſolum Epigramma (dedi.

EPITAPHIUM ANNÆ CONjugis NIC. CISNERI.

ARma ego præclari patris, clariq; mariti,
Et clari fratris, filia, nupta, ſoror.
Cœlum abitura, ſolum hoc elegi; huic credere vi- (ſum eſt
Depoſitas animæ cælitis induvias.
Dimidium, ô Ciſnere, animæ, quia mors tibi vita eſt,
Ibo præ, (anguſta eſt, quà via) tu ſequere.

P. Briſmannus.

INDEX.

INDEX.

Anagnini comites. 91
Anathema, tyrannidis Pontificiæ firmamentum. 92
Angli. 440. *Origo. nomen* 440. *Sedes. An cum Saxonibus ijdem* 444. *ad* 461.
Andreas Siculus JCtus 228
Ancheranus JCtus 228
Ἀνδρεῖα, ἀνδρότης. 220
Angrivarii qui. 452
Animarum immortalitas. 636
Annales Bojorum. 408
Anteceſſores in iure qui. 663
AntiChriſtus 132. *Papa olim ſic dictus.* 167
Ἀνθρωποφάγοι. 510
Arena Parmenſis JCtus. 227
Archiepiſcoporum Electorum à Cæſare defectio. 267
Ariſtoteles ob ſententiam de ſummo bono laudatur. 708
Arnolphus Caroli Magni nepos. 289
Arnolphus Palatinus 143. *Occiditur* 144. *Rex.* 142. *à Conrado ex Bavaria pellitur.* 142
Aſculum capitur 145
Aſtura oppidum 202
Aventini error. 50. *Laudatur* 112. 407. *Pro Cæſare contra Papam ſtat.* 252. *præcipuus Germanorum hiſtoricus* 407. *Libri eius ſuppreſſi eduntur* 409. *Nomina omnia Germanica Latina facere voluit, malè* 411. *Argumentum ſuper hiſtorias eius.* 415
Autoritas nihil rationi præjudicat. 528
Autocheires 508
Autumni cum vere comparatio. 764
Azo. 136. 605

B

Baccalaurei unde dicti. 683
Balduinus Imperat: Conſtantinop. 156
Baldus inconſtans 247. Refutatur 249. Calumniatorem agit 270. Cyno iniquus. 271. 272
Bartholus JCtus 227. à Cyno habet, quod habet. 230 Pro Caſare 241. 607
Baro JCtus. 552
Bavariæ domus vices 141. duces 142. ad priſtinos dominos redit. 144
Bavari quomodo literas pronuncient. 933
Bellum ſacrum. 107. Redintegratur. 111
Bella quomodo gerenda. 215
Belus Ungarorum Rex 131
Benedictus V. Pontifix in exilium agitur. 76
Benedictus XII. maleficus in Ludovicum Bavarum. 260
Berengarij Italia dominantur, ejiciuntur per Othonem M. 15
Bernhardus Politianus monachus veneno in hoſtiâ Henricum Lucemburgicum enecat. 241
Beroſus omnium primus de Germanis ſcripſit. 477
Bezæ epigrammata. 310. 319. 334
Blondus aſſentator potius quàm hiſtoricus 110. Vanus 117. gnatho. 120. notatur. 122. 183. 211.
Bohemiæ Rex Septemvir quando conſtitutus. 30. Bohemia à Tartaris vaſtata. 130. Bohemi domiti. 31
Bojaria bello impetitur à Friderico Auſtrio. 123. prædaſit Pontificiis. 135. 136
Boleslaus Poloniæ dux Rex conſtituitur ab Othone 66
Boni ſummi doctor & autor Chriſtus. 711
Bononia à Friderico II. capitur. 115

Bona

INDEX.

Bonagratia ICtus Cæſarem contra Papam defendit 242
Brandeburgicus quando Septemvir factus. 31
Brennus 83
Britannis quondam inceſtus frequens. 504
Bructeri. 449
Budæus. 553

C

Cæſar eligatur à Septemviris, etſi à Papâ non inauguretur 63. *Cæſares liberalitate erga Papam, libertatem ſuam perdiderunt* 89
Calamitatum ipſi nos fabri. 244. *Ode de cauſis calamitatum.* 882
Calendis Ianuarij ode 818. 835
Caſimiri memoria carmina 315. *ad* 319
Caſpar Peucerus 52. 74
Carolus M. imperium à Papa non accepit. 57
Caroli V. avus maternus. 221
Caroli Molinæi de decretalibus judicium. 153
Caſtrutius Gibellinorum dux. 256
Catti 432. 437
Cato. 564
Cenſores in noſtris ſimus rigidi non in aliorum. 410
Celtarum mos. 506
Chriſtophorus Probus Cancellarius Palatinus. 845. 858
Chriſtianorum in Ægypto clades. 104
Chriſtophori Palatini epitaphium. 307. *ejus oratio.* 324. *epigrammata diverſorum ad eundem.* 332
Cicero emendatus. 561. *de hiſtoria ſententia* 402
Clemens III. PP. 99

INDEX.

Clemens IV. Papa non clemens. 192. 213. *perit.* 22
Clementis V. molitiones in imperium 236. *in Henricum Lucemburgicum.* 240
Clemens VI. 260
Clementia nimia, noxia. 127. *Clementia erga ſupplices.* 146
Cœleſtinus IV. Papa. 153
Colonienſis epiſcopi defectio. 145
Collonicius hiſtoricus laudatur. 104
Comites in Scheirn. 144
Comitum Palatinorum dignitas ſumma. 65
Comitia Ratiſpona 124. *Ægræ.* 183. & 140. *Libiſſa.* 141. *Francofurti.* 262
Commentariorum copia obruit 612. *Delectus habendus.* 615
Communio agrorum etiam apud Germanos uſitata. 507.
Concilium Lugduni. 159. *Papiæ.* 161
Concordia fraterna commendatur. 369
Concordia liber. 966. 969. 970
Conradus I. dux Franciæ Cæſar. 14
Conradus Andium dux Siciliæ & Neapolis regnum dono à Papa accipit. 192
Conradus Cæſar filius Friderici II. 141. *Inſidiæ ei ſtruuntur* 168. *rex Neapolis & Siciliæ.* 188. *Uxor.* 189. *Patrio regno, quo per Papæ fraudem exciderat iterum potitur.* 189. *filium accipit.* 189. *Veneno perit.* 189
Conradus III. Imperator. 71
Conradinus naſcitur 189. *patre & patrimonio ſpoliatur.* 189. *Mater ejus.* 18
Regnũ Siciliæ recuperare jubetur. 195. *Italiam petit* qu

qui comites. 197. Vincens vincitur 201. fugit 201. Capitur 202. Capite plectitur 204. & 206 Nobilitas 207. Deploratur. 208
Conſolationes adverſus mortem. 616. 912
Conſtitutiones Pontificiæ quales. 235
Conſuetudo tyrannus. 552
Conſtantinus IV. 96
Conſtantia Arragonica. 197
Conſtantia mater Friderici II. Regnum feliciter gerit. 82
Coriacea moneta Frid. 146
Cornetum Apuliæ oppidum. 203
Cruciata. 138. 191
Craſſus Mutianus. 369
Craſſus dives. 563
de Creatione ode. 820
Creſcentius conſul Romanus ſeditioſus 24. auribus naſoq; truncatus ſuſpenditur. 25
Cuſani Pontificij de Frid. II. judicium 183 Inconſtans. 250
Cuſpiniani error 50 laudatur 89. ſententia de Papa. 120.
Cymbri qui. 34
Cyni JC. genus, præceptores 226. Æquales 228. Amicitia cum Dyno 228. Juris methodus in docendo 229 233. Scripta, 230. Pontificum decreta inſectatur. 231. Immeritò à Panormitano reprehenditur. 232. Quando vixerit. 235
Carolus Andegavenſis rex fit Siciliæ 193. Victoria ejus 193. Crudelitas in victos. 194 Immanitas. 201. 202. 203. tyrannis 207. 209. 210 211. Captus à Saracenis incolumis dimittitur. 211. Phalaris,

Nero 217. Siculi ab eo deficiunt. 218. Filius ejus Carolus capitur 219. liberatur. 220

D

DAni ab Othone M. victi, ad fidem convertuntur. 15
Dantes Imperatori contra Papam aſtat. 243
Decretum de electione Cæſarum 26. Decreta Papæ contra Imperium Germanicum 258. ſpreta à Ludovico IV. 258. Decretales Papæ quales. 153
Deliberationes prolixæ rerum gerendarum occaſionem perdunt. 166
Diodori Siculi de hiſtoria judicium. 389
Diſſenſio Principum Germaniæ de Friderico II. & Philippo. 43. de Ludovico IV. & Friderico Auſtriaco. 257
Diſſenſiones Germanorum maximarum cladium cauſa. 166
Doctores qui. 664. Doctoralia inſignia cur inventa. 665
Duarenus de jure optimè meritus. 539. opuſcula. 539 540. Odioſus fit ob novum interpretandi modum. 552.
Dulcinus Navarrenſis Cæſari favet. 243
Durandus Cæſaris partes tuetur contra Papam. 246
Dynus Jureconſultus. 226

E

EBerhardi Saltzburgenſis de Papa judicium. 152

Eccle-

Eccleſiaſtici pareant magiſtratibus. 69
Edictales qui. 662
Eduardi Angliæ Regis litera ad Pontificem. 263
Electorum inſtitutorum cauſa. 25. 26. *an ab Othone* 28. 49
Elector Palatinus vicarius Imperij. 265
Eleonora Petri Tarraconenſis uxor, mater Ferdinandi Catholici. 221
Eliſabetha Palatina mater Conradini. 189
Epiſcopus Colonienſis deficit, capitur. 143
Epiſcopi Reginoburgenſis parricidale ſcelus. 168
Epiſcopi Germaniæ 50. *olim ab Imperatoribus conſtituti* 95. *pacem procurent* 133. *contra Papam* 134. *Epiſcoporum levitas.* 167
Epicureorum de ſummo bono ſententia 797
Epitaphia Honorij 196. *Friderici tertij Palatini.* 299. *Mariæ conjugis Friderici.* 301. *Hermanni Ludovici Palatini.* 304. *Chriſtophori Palatini.* 304. 341. 343. *Ioh. Caſimiri.* 315
Epithalamia Philippi ab Hanaw & Leiningen, 343. *aliorum.* 848. 854. 864. 872
Eſſedonum mos horrendus. 510
Ethices uſus, dignitas 703. *Collatio cum aliis ſcientiis.* 706
Eudo dux Burgundiæ pro Cæſare. 254
Excommunicationis abuſus. 89. *Unicum Pontificiæ tyrannidis firmamentum.* 92
Exempla movent. 400

F

Faventia à Friderico II. capta. 145
Ferraria perfidè capta à Pontifice. 163

Ferdinandus Catholicus. 221
Feudorum uſus. 177
Florentia à Friderico II. capitur. 63. 171
Fridericus I. 101. 75
Friderici II. *Imp. genus* 75. *Laus* 80. *Linguarum peritus, virtutes* 87. *Coronatur Aquiſgrani* 88. *Liberalis in Honorium Papam* 88. *Conſtitutiones edit, Italiam, Siciliam pacat, rebelles punit,* 91 *à Papa excommunicatur* 92. 108. 160. *Purgatio.* 92. 93. *Querela de Pontificibus* 93. *pacem cum Saracenis facit* 113. *Papa ſupplex, Rex Hieroſolymitanus fit.* 113. *Papa in eum perfidia; ejus hoſtes* 114. *regna recuperat* 118. *parcit Papa.* 119. *etiam hoſtem defendit.* 121. *Germaniam repetit.* 124. *Auſtriam ſubigit.* 125. *excommunicatur.* 128. *Mediolanum vaſtat.* 163. *Inſidiis petitur.* 164. *Liberalitas in Eccleſias.* 177. *Navi.* 178. *Paci ſtudet.* 149. 157. *Italia potitur.* 155. *Res in Italia geſta.* 136. 169. 170. 171. 172. *Mors, elogia.* 173. *Cauſa mortis* 174. *Sepultura* 174. *proles* 174. *bona* 175. 176
Fridericus Palatinus Academiam Heidelb. inſtaurat. 644
Fridericus victorioſus. 58. 59
Fridericus II. Palatinus. 290. 291
Fridericus III. Palatinus. 299. 301. 302. 303
Fridericus Auſtriacus. 131. 133. 135. 141
Fridericus Auſtrius in Italiam cum Conradino it 197. *fugit.* 201. *capitur* 202. *decollatur.* 206. *laudatur.* 207
Franci. 53. 453
Franciſcus Petrarcha. 236. 243

Francofordenſia comitia. 262
Funebris ritus. 514. 515
Furta apud quos licita. 505

G

GAlli divinitus puniti & caſi. 218. 280
Galli humanas hoſtias mactabant. 512
Gallia quare Francia dicta. 54
Gandunus pro Caſare. 243
Gaza & Gazara oppidum. 112
Genealogia Palatina. 413
Genuenſes contra Fridericum à Papâ incitantur. 129 *Claſſem contra Fridericum inſtaurant, capiuntur.* 147
Gerandus comes Piſanorum decollatur. 204. 205.
Germaniæ epiſcopi. 50
Genethliacon. 843
Germanorum imperium non à Papâ 51. *Germani contra Fridericum II. à Papa incitantur.* 129. *Germanos Papa impugnat.* 258. *Germania ſeditionibus exagitatur.* 122. *clades eius ex diſſidiis* 166 *Germani ſtolidi ex judicio Papæ.* 261. *Germani Principes contra Papam decernunt.* 261. *Germanorum hiſtoricorum Catalogus.* 471. ad 477. *Germani fœminas impudicas puniunt.* 505. *Germani hiſtorici.* 307. *Germaniæ querela.* 814
Gerſon partes Caſaris defendit. 246
Gibellini qui. 73. *nominis ratio.* 137. 237. *cum Guelphis præliantur.* 256
Goropius laudatur. 426. 429
Græci Impp. Epiſcopos ordinarunt. 96

de Græca lingua pronunciatione 928. 932
Gratiani impudentia 95. *fraus detegitur.* 100
Gregorius V. Pontifex. 23. *mors.* 66
Gregorius IX. 106
Guelphi unde dicti. 137. 337. *cum Gibellinis pugnant.* 256
Guntheri Ligurinus. 52

H

HAmburgum unde dictum, incrementum, &c. 458.
Heidelberga Muſarum Helicon. 139. 140. 141
Henricus Boiariæ dux Othonem III. Romæ liberat. 67
Henricus auceps proavus Othonis III. ejus proſapia. 13. *Cæſar creatur.* 14. *Res geſtæ.* 143
Henricus Claudus Cæſar. 66
Henricus Hiſpanus. 156
Henricus Friderici II. filius contra patrem inſurgit. 118. *Tutorem occidit.* 122. *Othonem ducem Bojariæ vexat.* 123 *Relegatur.* 124
Henricus Leo 35. *damnatur læſæ majeſtatis* 341
Henricus Lutzemburgicus Rex Romanorum eligitur. 236. *Italiam pacat.* 237. *oppugnatur à Guelphis* 238. *Renuit Papæ jurare.* 238. *Venenata hoſtiâ necatur.* 340
Henricus Thuringus hoſtis Friderici II. perit. 165
Henricus IV. 41
Henricus V. 100
Henricus VI. pater Friderici II. 76. *expeditio ejus in Palæſtinam.* 81 *Meſſanæ moritur.* 81.

Her-

Hercinia ſylva. 435
Hermanni Ludovici Palatini genus. 288. *Indoles* 289
Epitaphium. 304
Hermannus Palatinus 143. *capitur.* 144
Herodes Idumaus. 704
Hieroſolymitani Reges 105
Hiſtoria dignitas, Vtilitas 396. *commendatio* 400. 403. 404. *hiſtoricorum differentia.* 418. *hiſtoriam patriam ignorare turpe.* 419. *de hiſtoria lectione epiſtola.* 436
Hiſtoricus qua attendere debeat. 420
Hominis finis. 492. 706
Honorius III. Pontifex. 88. *Ingratus erga Fridecum II.* 92. *perſidorum receptator* 92
Honeſtum. 521
Hugo Capetus regnum Galliæ occupat. 19. *eius proſapia.* 19
Hugo Donellus. 947. 951
Hugotion Fagiolanus dux Gibellinorum 256
Humana victima. 512
Humana vita fragilitas. 290

I

IAcobus Columna legatus Pontificius à Friderico II. capitur. 147
Ignorantia humanæ unde. 709
Imperatorum in Eccleſias & Eccleſiaſtica munia, jus 94. 95. *Imperatores olim epiſcopos conſtituerunt.* 95. *Imperium non habent à Papa.* 51 *Illorum majeſtas à Iuriſconſultis defenſa* 234.
Imperium in Cæſares quibus argumentis Papa ſibi

ſibi vendicat. 242. *Imperium olim pii viri tutati.* 242
Inceſtus ubi in uſu. 502
Indulgentia noxia. 169
Innocentij III. *in Othonem perfidia.* 86
Innocentius IV. *fallit Fridericum* II. 156. *Simulator* 157
Ioachimus abbas. 80
Joannes XII. *pontifex ſceleſtus, pontificatu deijcitur.* 16. 97. 101
Joannes XV. *Pontifex.* 21
Joannes XVIII. *Pontifex.* 98
Joannes XXII. *Pontifex eſſe vetatur,* 252
Joannes Placentinus de ſaxo præcipitatur. 25. 98
Joannes Villanus JCtus. 227
Ioannes I. *Bipontinus.* 414
Iole uxor Friderici II. 109
Ioppe munitur à Frider. II. 112
Irnerius ICtus. 604
Iſabella Ioannis Angliæ Regis filia Friderico II. *nubit.* 125
Iſraëlitarum felicitas. 546
Iteratio tædioſa. 683
Judiciorum proceſſus mutatus. 67. *quomodo emendandus.* 68
Judiciorum norma 548. *quomodo veteres judicia exercuerint.* 549. *Ius vetus interpretandi ratio.* 556. *Iuriſconſultorum quorundam ſophiſma* 215. *ICti veteres methodici fuere.* 557. *Iuriſconſultus etiam aliis diſciplinis ſit imbutus.* 559. *Juriſconſulti aliquot celebres.* 578. *Logici ſint.* 585. *Ethici.* 587 *à Philoſophis differunt.* 591. *qui optimi.* 594.

Juris

Juriſconſultorum officium 529. dignitas 537. diſſenſiones 546. Juris doctorum ætates quinque 225 æquum ab iniquo diſcernant. 587. JCtorum præſtantiſſimorum libri periere. 600. diſſidia. 601. celebres 600 ad 610. & 496. ICti 704
Ius imperatorium in Eccleſias 94. In Papam 99. quamdiu durârit amiſſum & per quē 100. Ius regum in Eccleſias 103. Iuſtinianeū jus antiquatū reſtituitur 604. Iuris ortus à Deo. 492. & 522. ſumma. 414. diverſitas unde. 495. an opinione conſtet. 495. Ius ſemper diſputatur, nunquam rectè judicatur. 497. Mutatum 506. ejus vis 524. diviſio 522. Ius Civile juri naturæ conſonat 524. Ius civile non conſtat opinione 525. 526. Iuriſprudentia definita 588. Iuſtitia nomen per omnes virtutes diffuſum. 589. Interpretandi jus præcepta 596. Ius Iuſtiniani. 597
Italis nullum ſuffragij jus in Germanorum comitiis 51
Juvavenſis, id eſt, Saltzburgenſis Epiſcopus. 134
Jus Canonicum Papæ putida lacuna 268. 269
Iuſtinianei. 662
Jutti, Iutlandi. 443

L

Labeo ICtus 576
Lambertus Ramponius JCtus 227
Lazij error. 430
Leges 500. Lex injuſta non eſt. 530. paucæ & planæ ſint. 598. à Deo. 673. 693. humanarum legum vis 674. Utilitas legum 973. Cuſtodia legum neceſſaria. 676. Leges non obſervatæ ne leges quidem 683.

Digitized by Google

683. *Definitio.* 685. *Legum finis juſtitiæ conſervatio.* 697
Legislatores. 520
Leo IV. læſæ majeſtatis reus. 97
Leo VI. 17
Licentiati qui. 664
Literati maximè legibus obediant 681
Livij de hiſtoriâ judicium 400
Logica. 703
Lotharius. 97
Lotichij epigramma. 760
Ludovicus Bojus 101. 105. *Tutor Henrici curiâ amovetur* 118. *occiditur.* 122
Ludovicus comes à Konigſtein 355
Ludovicus Francorum Rex à Saracenis capitur, liberatur per Rogerium. 78. *in Ægyptum expeditionem facit.* 211
Ludovici Palatini Friderici III. filij memoriæ carmina. 313. 314
Ludovicus Palatinus Germaniam diſſidentem pacat. 166
Ludovicus Pius Caroli M. filius. 96
Ludovicus II. Imperator. 97
Ludovicus IV. Bavarus 62. 259. *cum Friderico Auſtrico certat, vincit.* 257. *Papæ bullam ridet, excommunicatur* 258. *Laudatur* 268
Lupoldus Bojariæ praeſes. 142
Lupoldus Auſtriacus. 237

M

Machiavellus Frid. II. defendit. 138. *ejus judi-*

cium de Pontificibus. 180
Magi orientales ad Christum venientes exemplar miſericordiæ Dei. 754
Maij & Veris cum Autumno comparatio. 764
Malumbra JCtus. 227
Manfredus tutor Conradini infidus, veneficus, 189 *Occiditur à Carolo Andeg.* 194. *ſepultura, epitaphium.* 195
Manatii laus. 401
Maria Tarraconenſis uxor Othonis III. libidinoſa crematur. 68
Marocia ſcortum Sergium ad Pontificatum evexit. 29
Martin. Bucerus. 921. 922
Marſilius Patavinus Imperatoris partes agit. 243
Matrimonio bella pacata. 143
Mazuſii fœminarum oſores. 505
Medici. 704
Mediolanenſes à Frider. II. victi. 148. 163
Melanthon laudatur 429. 925. 926
Meliſſi epigrammata 317. 334
Migrationes gentium. 428
Militis Friderici II. ſtrenuitas 145
Iohannes Monachus pro Imperatore 246
Moneta coriacea. 146
Monfortius legatus Caroli And. crudelis 218
Monitio ad ſtudia excolenda. 325
Mortes principum pœna. 290
Mosbacum. 923
Muliebris error. 192
Munſteri error. 451
Mylæi virtutes. 628. *vita.* 634. *mors.* 636. *pietas.* 64

Naza-

N

Nazareth à Friderico reparatur. 114
Neapolitanum regnum. 77
Neccarus, Neccarini unde dicti. 923
Nemeſis divina in Gallos. 218. 222. quare finxerint eam gentes. 681
Eraſmus Neuſtetterus Aventini ſoter. 409
Nicolaus IV. Pontifex fit. 257
Nicri proſopopœia. 355
Nomina omnia Germanica ad Latinitatem revocari nequeunt. 411
Nomocanon 17
Nomophylacia magis ferè quàm nomotheſia neceſſaria. 684
Notitia recti à Deo impreſſa. 494

O

Occam contra Papam. 233. 242. 252. dialogi de poteſtate Eccleſiaſtica & civili. 253. 267
Occaſionis pictura. 830
Odofredus Beneventanus ICtus. 177
Oldradus Pontanus ICtus 228. Cæſarem defendit. 203
Onuphrij error 50. Confutatur. 51. Germanis iniquus 51. aſſentatio. 60. Nugivendulus 60
Opinionis vis 495. incerta 497. Cauſa religionis corrupta 518. Unde nata 519. diſcrepantia opinionum. 546
Oraculum Sylveſtro II. Papæ ambiguè reſpondet 66.

Ora-

Oratori hiſtoria cognitio neceſſaria. 40
Arnoldus Obſopœus 645
Oſcula pedum Papæ 106
Othocarus Bohemiæ Rex 50. *Crudelitas* 204
Otho Wittelſpachius 141
Otho Henricus comes Palatinus 292
Otho I. Joannem XIII. Pontificatu dejicit 97. *Cæſar eligitur* 14. 15. 16
Otho II. M. filius, imperio præficitur, res geſta. 16 17.
Otho IV. à Papâ vexatur 86. *Italiam depopulatur* 86. *Impugnatur à Friderico II.* 87
Otho Palatinus Cæſari reconciliatur 154 *Papæ fraudes ſentit* 155. *diraſq; ſpernit.* 167
Othonis III. proſapia 13. *Cæſar creatur* 18. *Geſta in Italia* 24. *In Papam gladium ſtringit* 55. *Boleſlaum Regem Poloniæ facit* 66. *Romam venit* 67. *Inſidiæ ei ſtructæ* 67. *Veneno perit* 68. *Sepultura* 68
Oxonienſis Academia Papæ reſiſtit. 245

P

Palatium 357
Palmerius aſſentator Pontificius 110
Pandectæ 556
Panormitanus inconſtans 250
Papinianiſtæ 662
Pariſienſis Academia contra Papam 244. 245
Parma à Friderico II. obſidetur 170. *Victoria contra Fridericum* 171
Paſchalis Pontifex 99

Patavium 359
Pax cum Saracenis facta 13
Perſarum inceſtus 502. *furta permittebant* 505
Petri de Vineis apologia pro Friderico 131. *capitur.* 172.
Petrus Tarraconenſis Siciliæ Rex fit 218. *Carolum ejicit* 219. *à Papâ impugnatur* 221
Petrus JCtus primatum Papæ impugnat 242
Philippus patruus Friderici II. fidus tutor 84
Philippus Palatinus Viennam ab obſidione Turcæ liberat. 291
Philoſophorum de ſummo bono ſententiæ 707. *Differunt, & quomodo à Jureconſultis* 591. *Philoſophi pauci legislatores* 593. *Philoſophiæ contemptores* 704
Phyſica 703
Pietas ſumma virtus 709
Fabian Pictor 565
Piſas Fridericus II. occupat 136
Pithopœi epigramma 311
Platina aſſentator 110. *de Pontificibus judicium* 251 *querela de Pontificum avaritia* 29
Pœna & præmia duæ res maximæ rerum publicarum 680. *cur interdum pœna aſpernanda* 690
Polonia vaſtata 150
Polybij judicium de hiſtoria. 399
Pontificum ſcelera & contentiones de Pontificatu 16. 19. *Simoniæ* 21. 119. 58. 89. *Malitioſi, invidi* 116. 132. *Ingrati* 182. 89. 121. 160. *pacis turbatores, ſeditionum tubæ.* 115. 85. 86. 278 125. 130. 133. 165. *Immites, implacabiles, crudeles*

deles 84. 146. 213. de alieno liberales 195. 192 Tyrannis 58. Quo fuco eam ſtabilire conentur 92. Calumniatores 84. 129. 180. Pradones, vultures rapaces 278. 135. Simulatores 158. Conſpirant cum hoſtibus 121. 152. Perfidi 114. 120. 115. Poteſtas & dominium 53. Primatus 242. 264. 233. 153. Rebelles 129. 115. Excommunicatio Papa 92. Pacis hoſtes 157. Regna tranſferunt 192. 193. Viva Papatus deſcriptio 132. 139. Principibus Chriſtianis obſtant 245. 152. Pernicies orbis Chriſtiani 151. Imperatores non dictâ causâ damnant. 160. ipſi actores, ipſi etiam judices. 160. 161. Furor & iniquitas 221. 134. 203. Sanguinarij 214 Impudentes canes 161. AntiChriſti nomen jam olim tenuere. 167. Jus nullum in Germanicis comitiis. 51. Per Imperatores debent eligi. 95. 96. doloſi 158. Non ſunt vicarii Imperij 265. nec Chriſti, 213. ſuperbia 266. Reprehenduntur 266. Filium contra Patrem incitant. 118. Papa jus in Siciliam 78. Siciliam ſibi tributariam facit 193. Papæ conſecratio nihil valet. 62. Papa tutelam orphani committere eſt, ovem lupo. 81. 82. 83. Machiavelli de Papis judicium. 180

Papa Pius II. 58. judicium de Papis. 180

Papa Innocentij IV. infauſta mors 162

Papa Leo IV. coram Ludovico II. cauſam dicit. 97

Pontificibus qui reſtiterint 245

Practicorum officium 616. Sophiſtica practica 619

Procopij de hiſtoria judicium. 400

Prolyta in jure. 662

Prodigia & portenta calamitatum nuncij 233
Principes Caſareani, non Papani. 264
Pſalmi cxx. explanatio 831

Q

Querela Platinæ de ſimonia & nequitia Pontificum 29. Friderici II. de Papis 180. Germaniæ querela. 814
Quintus Ælius Tubero JCtus 537
Quirini Reuteri epigrammata. 312. 313. 315
Commendatio. 972. 974

R

Rabulæ forenſes. 619
Radewicus laudatur 52
Ratiſpona ab Othone M. obſeſſa capitur. 15
Ravenna à Friderico II. capitur 145
Reinerius JCtus. 228
Reinhardus Comes à Solms. 355
Religionis corruptæ cauſa. 519
Rerumpublicarum fulcimina viri docti, boni 632
Reinerus Reineccius laudatur 429
Ripuarij qui. 33
Ritus doctorales explicati. 668
Robertus Flander, clemens. 204
Robertus Siciliæ Rex 237. contra Henricum Lutzelburgicum 238. reus læſæ majeſtatis 340
Rogerius I. Siciliæ Rex 76. Africam petit 77. Tunetum tributarium facit 77. Bellum Immanuelis Imp. Conſtant. facit 77. à PPbus impugnatur. 78

Romani Francorum opem implorant 56
Rudolphus Palatinus 337
Rupertus Palatinus 289
Rutilius Rufus ICtus 572

S

Sabellici errores 27. 28. 53. *aſſentator Pontificius* 183
Sacæ ubi habitarint, qui, 425
Sacaſſena 425
Sagapeni 426
Saraceni vincuntur 91. *auxilio ſunt Friderico II. à quo Nuceriam accipiunt* 138. *Saracenorum clementia in Carolum Andegavenſem.* 211
Sauromatæ filias vendunt 505
Saxo Grammaticus fabuloſus 460
Saxones 423. *ad fidem convertuntur* 454. *Galliam quomodo obtinuerint* 19
Schardij in hiſtoria propoſitum 476
Scaligeri epigramma de Heidelberga 340
Scævola 537
Scotorum origo, nomen 445 446
Schirenſes Palatini 37
Schleicheri ſtudia, cædes. 650
Scipio Naſica 562
Seniores ſapientiores 397
Septemviri inſtituti, 26. *à quo* 28. *quando* 49
Sepulchrum Sylveſtri II. 67
Sergius III. Papa ſceleſtus 28
Servius Sulpitius ICtus 575
Siculæ veſpera 77

Sicilia unde dicta. 77. occupatur à Carolo Andegavenſi 193. Papæ fit tributaria. 139
Andreas Siculus Papæ contrarius 246
Sigonij laus 401
Sileſia à Tartaris vaſtatur 150
Simonia Pontificum 21
Simon Schardius 165
Spoliis non inhiare tutum ante victoriam omnino partum. 201
Statutorum diverſitas 508
Stella Papicola. 110
Stephanus IV. Pontifex illegitimus. 96
Stephanus Parmenſis contra Papam. 246
Stoici. 712
Stolo 644
Stymphali ſcorta honorant. 505
Synodus Lateranenſis. 96. Moguntinenſis 98

T

Taciti de hiſtoriâ judicium 400
Tancredus 76. filij ipſius 76
Tartaricum bellum 149. Tartarorum eruptio. 150. 154
Templarij milites. 114. Contra Fridericum II. ſeditioſi. 114
Teupoldus Venetorum dux. 128
Theodori Bezæ epigramma. 310
Thadæus Sueſſanus JCtus 177
Theodoricus Niemus 245
Triumphus Chriſti die palmarum. 808
Tunetanum regnum tributarium fit Rogerio Siculo 77

Tuta-

INDEX.

Tutores Friderici II. infidi 81. 82. 199
Tutori fido mala gratia reddita 122
Tyberinorum ridiculus mos, 505
Tyrannis Pontificum. 101

V.

VAlla defenſor epicuri. 712
Varro laudatur 580
Veneti contra Frider. II. 128. *claſſem Friderici capiunt.* 137
Veris cum Autumno comparatio. 704
Verborum ſignificationes 579
Veſpera Siciliana 218
Victoria urbs à Friderico II. conditur 178
Vita humana fragilitas 290. *miſeria* 639
Victor vincitur. 201
Vienna obſeſſa liberatur. 359
Wittikindus I. Saxonum Rex. 454
Ungari repreſſi. 15. 14. *à Tartaris vaſtantur.* 150.
Votum pro ſalute ducis Megalopolitani. 810
Urbanus IV. Papa. 191
Urſpergenſis abbatis de Papa querela 85
Walpurgenſes Truchſeſſii 206
Wenceslaus Bohemus Rex 131. 140. 154
Wilhelmus Hollandus hoſtis Friderici II. perit. 165.
Wilhelmus Landgravius Haſſiæ laudatur. 273
Uxorum apud Maſſagetas communio 504

X

XYlander 941

Z

ZAbarella pro Caſareſtat. 245. 254
Zach. Urſini epiſtola. 973
Zelota. 971

Corrigenda.

Pag. 7. lin. 4. exquiſitio, lege, exquiſito. p. 14. l. 1. Condraus l. Conradus. p. 46. l. 29. Coionienſis. l. Colonienſis. p. 51. l. 21. l. principibus. p. 62. l. 20. vereris. l. verteris. p. 63. l. 3. l. interveniret. p. 95. l. 29. Ae. l. Ac. p. 97. l. 18. Imperalia l. imperialia. p. 124. l. 31. Retiſpona l. Ratisbona. p. 132. l. 22. falſa. l. falsò. p. 155. l. 20. FRID. I. talia. l. FRID. Italia. ibid. l. 30. Patarum l. Patavium. p. 159. l. 3. Concilo l. concilio. p. 252. l. 4. regrediendi, l. regredienti. p. 304. l. 6. Quid ab, o l. quid ab, quid ô. p. 305. l. 6. flagitiis l. faſtigiis. l. 12. Imanius l. immanius. p. 312. l. 18. Fridericus l. Fridricus, & Simercius l. Simereëius. p. 313. l. 14 Eecoſtichon l. Eteoſtichon. p. 319. l. 23 denſenſa l. defenſa. p. 320. l. 22. ha. l. Hac. p. 330. l. 25. pramittam. l. pratermittam. p. 336. l. 10. Arduas l. Arduus. p. 338. l. 4. quidus l. quibus. p. 364. l. 364. pro 357. & pag. 365. lin. 1. l. 365. p. 366. l. 9. Extendatur. l. extendantur. p. 375. l. 23. inclita l. inclyte. lin. ult. ſtultitia l. Sulticia. p. 400. l. 8. Kivius l. Livius. p. 423. l. ult. Gembtacenſis l. Gemblacenſis. p. 424. l. 3. fentviis l. ſententiis. l. penult. ſacrarum l. Sacarum. p. 545. l. 19. hae. l. hac. p. 558. l. antepenult. explicandis l. explicanda. p. 564. l. 18. collige l. colligo. p. 572. l. 19. Panatii l. Panatÿ. p. 577. l. 26. & mimus ille l. θειſκός ille. p. 596. l. 3. ex-

l. 3. *explari l. exemplari. p.* 597 *l* 6. *l. quaq. p.* 673. *l.* 24. *legi eſt l. id eſt. p.* 686. *l.* 32. *velati l. veluti. p.* 697. *l.* 17. *Fhuriorum l. Thuriorum. p.* 700. *l.* 24. *adverſnetur l. adverſentur. p.* 767. *l.* 29. *ferani l. feraci. p.* 771. *l.* 24. *Nec evectus. l. non. l.* 29. *plaudet l plaudit. p.* 794. *l.* 12. *tanta eſt copia? dele? p.* 795. *l.* 20. *Perſaſarum l. Perſarum. l.* 211. *ex animo. l. ex anno. p.* 896. *l.* 3. *Adduceremus l. adducemus. p.* 800. *l.* 27. *quo l. quod. p.* 810. *l.* 2. *dele qua. p.* 811. *l.* 14. *lege Hinc & Dei cultus, ſacra hinc Muſa jacent. p.* 815. *l.* 8. *Humorumq. l. Hunnorumq. p.* 823. *l. antepen. meſſibus. l. mentibus. & ſeq. Chriſtiana. l. Chriſtiano. p.* 831. *l.* 24. *erat. l. arat. p.* 835. *l.* 12, *Aegore rata. l. Aegocerota. p.* 844. *l.* 1. *Vanus. l. Venus. ibid. l.* 29. *motus l. metus. p.* 845. *l.* 8. *ali. l. alii. & lin.* 25. *fluannt, lege fluant. p.* 846. *l.* 5. *lacertus. l. lacertos. & lin.* 12. *Nepos, l. Pronepos. p.* 847. *l. & ceptum deſtitit Nicer iter. lege & curſum deſtitit ire* Nicer. *p.* 858. *l.* 8. *Perneſſe l. Parnaſſe. p.* 859. *l.* 22. *hadera l. hedera redimita. p.* 861. *l.* 14. *quoque li quaque. p.* 863. *l.* 12. *tenere lege tenete. ibid. l.* 21. *detege l. deterge. ibid. l. ult. ſemito l. ſemita. p.* 864. *l.* 16. *fremiusq. l. fremitusq. p.* 865. *l.* 10. *Torymone l. Eurymone. p.* 866. *l.* 9. *redimite l. redimita. p.* 878. *in margine* 15490 *dele* 0. *p.* 885. *l.* 12. *poteus l. potens. p.* 913. *l.* 7. *qraſens l. praſens. p.* 917. *l.* 28. *Ac l. ut. p.* 927. *l.* 11. *Moronum, p.* 930, *l. ult judicio l. judico. p.* 967. *l.* 15. *ſeu l. ſcio. p* 973. *l.* 20 *pro* 2 *repone* Z. *p.* 998. *l.* 13, *l Creetur Comes. p.* 1031. *l.* 15. *pro Arma l.* ANNA.

Cetera typegraphicarum operarum eventa lector ipſe norit emendare.

PAULI MELISSI SCHEDII,

MELOS

AD NICOLAUM CISNERUM Juriſc. Cameræ Spirenſis aſſeſſorem:

In Idus Octobres Virgilio & Poſthio natales.

Suavidicum reſono dum nos melos integramus ore,
Seros in annos poſteris canendum;
Huc ades ô Ciſnere, *lyram cape, floridosq́; mecum*
Crines virenti pampino revinctus
Natalem celebra. ter & ô quater invocemus altum
Muſas novenas, Gratiasq́; trinas,
Sobria libando Rhenenſia, Franculæve preſſos
Vitis liquores, Neccharive dona.
Cantemus pariter. viden' ut bona ſigna dent hianti
Lauri colono, proximæq́; myrti:
Idibus Octobris Muſa, mea cura, Mantuanum
Videre natum primitus Maronem.
Poſthius has Germershemius quoq;, Gratiarũ alumnus,
Ortu beato conſecravit idus.
Hunc, medicum & vatem finxit catus artium magiſter,
Illum, poëtam nemini ſecundum.
Ille vagum Tyberim tenuit fide Minciumq́; docta:
Hic (ecce) Rhenum ſiſtit atque Mœnum.
Alter curam habuit culti gregis atque ruris: alter
Curat dynaſta ſanitatem & hortos.
Condidit æternas chartas Maro: Poſthio futuris
Æterna libris inchoata fama eſt.

Virgi-

Virgiliusne illibatam ſibi gloriam paravit?
Intacta laus & Poſthium ſequetur.
Suggere quod reliquum eſt, Phœbi decus ô, poëticaq;
Ciſnere turbæ fautor & patronus.
Ingrediens priſcis rem laudibus, inclitam recenti
Virtute præco gloriam meretur.

AD NICOLAUM CISNERUM Juriſc. P. MELISSUS.

TAnta tui bonitas vini eſt CISNERE, bibenti
Ut malus haud ulli verſus ab ore fluat:
Sed qui tale bibunt, fieri juvat hoîce diſertos.
Ipſum namque merum proditur eſſe loquax.
Piſcem me fingas mutum. tua pocula guſtem,
Audiar ex muto piſce ſonorus olor.
Divinus liquor hic terra ſi naſcitur, unde
Ætherei nectar juge vigoris habet?
Imbue mi venam liquor optime, ut optima fundens
Carmina CISNERO garrulus hoſpes agam.
O gratum linguæ meritum! mihi guttura reddit
Plena canore liquor, plena liquore canor.

IDEM NICOLAO CISNERO IURISC. Imp. tribunalis aſſeſſori.

SÆpius audaces expertus ad omnia fures,
Non querar ablatos carminis eſſe pedes?
Profuerat nullos in lucem emittere verſus,
Talia quàm Muſas furta videre meas.

Alveo-

Alveolos apium fuci rimantur inertes,
Diſtenti ventrem melle favisq́ meis.
Si ſpoliant vivum CISNERE, *quid heu ſore credam*
Mortuus? illicitas jura vetanto manus:
Tuq́ tui aſſerito Schediaſmata vatis, amicum
Ut decet. at fucos pœna maneto gravis.
Par erit, ut juſto manifeſtè furta fatentem
Judicio peragat crux manifeſta reum.

AD JOHANNEM POSTHIUM de Nicolao Ciſnero.

FOns ubi turrigeris antiquæ mœnibus urbis
Clara ſalutiferis nomina fecit aquis.
Ad ſe Ciſnerum Nicer invitavit, ut illi
Comiter hoſpitij jus daret omne ſui.
Non pater id Mœnus tulit, & niſi fata repugnant,
Iſle meis, inquit, ſedibus hoſpes erit.
Nec mora; ubi aula roſis tribus & Iovis alite gaudet
Illi avido illuſtres obtulit amne lares,
Audiit, & meditans litem componere Rhenus,
Et fuit, & noſter dixit alumnus erit.
Dicta Palatinus probat; & Ciſnerus ad altas
Pro ſolito Rheni more reſedit aquas.
At malè ſit Rheni, Poſthi ſuaviſſime, ripis
Qui nobis tantum noluit eſſe virum.

Nicolaus Rudingerus f.

JULII

JULII GUILIELMI ZINC-
GRAVII L. F.

Scazontes

DE CISNERO REDIVIVO,

Operâ ac ſtudio

REV. ET CL. DN. QUIRINI
REUTERI, D. & Profeſſ. in
Acad. Heidelb.

SAlvete manes, pars relicta CISNERI,
Aſtræa quem olim antiſtitem ſibi rarum
Delegit, & cui Minerva, Nicrinis
Amica ripis, pectus indidit factum
Verè è metallo nobiliore; vos, inquam,
Salvete manes, pars relicta CISNERI,
Et ſi qua tangunt gaudia hæc, lepidè veſtri
Gaudete honoris: ille ſe ecce REUTERUS,
Sacer ſupremi myſta Numinis, ſiſtit,
Oblivionis nocte veſtra qui ſollers
Poſtliminiò reſuſcitata ſub dium
Dextro laboret ſcripta Cynthio nata,
Momoq; (naſum ſcilicet cui ſoli
Conceſſum habere, præ ſe ut elevet cunctos,)
Oſtendat, his quoque haud minus plagis noſtris
Politioris dona literaturæ

Indul-

Indulta, Phœbos nec minus ſuos naſci.
Tu ſoſpitator ingeni modò REUTERE
CISNERIANI, *patriæ decus clarum*
Sic vindicare poſt, & in hoc tuum, perge:
Perge ô favente Perſica *bonâ ſeris*
Induſtriam hanc probare poſteris gratam.
Sic Fama perpes, cùm vigente CISNERO,
Te ſublevatum candidis ſub æthram alis
Perennitatis antè collocet Fanum.

EPIGRAMMA

AD

D. QUIRINUM REUTERUM PRAECEPTOREM OBS.

ANNUS, nec ille lapſus eſt totus, pias
Ex quo QUIRINO NIXII
Præſtante partes, mancipata ſcrinijs
Diu minis DUDITHII,
Licentiorem contueri poſthuma
Lucem propago cœperat.
Nunc ſoſpitante eodem in auras prodeunt
CISNERIANA pignora.
Omen bonum, quicunq; Luce debita
MANES caretis, tollite.
Hunc nam DEI ſi mitior ſuperſtitem
(Quæ vota noſtrorum omnium)
Longùm favor conceſſerit, vos ſingulos
Vitæ redonabit novæ.

IN

IN MOMUM.

ESSE *Palatinus cunctos quos educat aër,*
Inſipidos Maccos, voce frequente refers,
Zoïle Livoris ſoboles, nec nobile quenquam
Illorum ex Muſis nomen habere, crepas.
En tibi CISNERUM *vatem, Jurisq́ue-peritum,*
Annoſas doctum texereq́ue hiſtorias.
Tu de gente tuâ, vatem, Jurisq́ue-peritum
Da, doctum annoſas texereq́ue hiſtorias.
Sic mihi verus eris, veſtra ſic gloria noſtra
Cedet: ſin minus hoc, ZOILE *vanus homo es.*

Joh. Leonh. Weidner Palatinus f.

ALIUD.

SI quæras cur non agnati verſibus ornem
CISNERI doctos, CLARE QUIRINE, libros,
Quos tulit è tenebris & cæcâ nocte ſepultos.
Perdius & pernox cura laborq́ue tuus:
Ilicet accipies, quod priſca parœmia jactat,
Vino vendibili non opus eſt hederâ.

Joannes Bartolemæus Reuterus Moſbachenſis Collegij Sapientiæ *ſtudioſus.*

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

[illegible] Google